6
1-f
15

BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE
6
1 C
27

6-1.f.15

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

CATALECTA RABBINICA,

IN USUM
SCHOLARUM PRIVATARUM
EDITA,
A

DAVIDE MILLIO.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

TRAJECTI AD RHENUM,
Ex Libraria JOANNIS BROEDELET,
cIↄ Iↄ cc xxviii.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

DAVID MILLIUS

L. S.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Ut Catalecta haec Rabbinica prelo ſubjicienda curarem, propoſitum bene merendi de Academia & juventute praeſertim mihi commendata, effecit. Multi enim, qui generoſo impetu ad ſtudium Rabbinicum animum appulerant, noſtrae diſciplinae alumni egregii, facile videbant viam ad Rabbinorum Scripta, variis adhuc difficultatibus obſitam & impeditam eſſe, quae facillima etiam Hebraeorum ſcripta pervolventes morarentur, quo minus curſum proſequi, metamque ſibi propoſitam conſequi valerent. Inprimis quod formulae loquendi Rabbinicae, non ſatis expoſitae eſſent, quam difficultatem ut tollerem efflagitabant. Horum deſiderio edendo haec Opuſcula eo faciliorem me praebui, quod gauderem tales adhuc reperiri, qui conſuetum aliis noſtra tempeſtate in litteris verſandi morem averſarentur; quo fontibus neglectis rivulos modo ſectantur, ſuperficiaria quadam eruditione contenti, qui e vocabulariis, lexicis, atque indicibus ſapiunt, & omnia quae a Rabbinis proficiſcuntur aut vituperant, aut vix ac ne vix

BIBLIOTECA ROMA

quidem lectu digna judicant, cauſſati hyperbolis omnia in Rabbinorum ſcriptis contaminata eſſe & referta. Horum hominum cum magna multitudo ſit & mira audacia, hac occaſione pauca reponam. Fabulas immo aperta mendacia contra Chriſtum atque Apoſtolos veritatemque omnem, in Talmude aliisque Rabbinorum ſcriptis occurrere, haud inficior, ſed praeterea nihil ſani, pulcri, quodque explicationi Scripturae S. inſerviat reperiri, vehementer nego. Infinita Scripturae S. loca in meris tenebris jacerent, niſi e Rabbinorum monumentis lux illis affuſa fuiſſet: multa adhuc Interpretes doctiſſimos torquent, nonniſi e Judaeorum Scriptis exponenda atque illuſtranda. Neque ideo Rabbinorum monumenta vituperanda eſſe duco, quod tot fictis narrationibus abundent, ab hoc enim more ſcribendi nec Aegyptii, nec Graeci & Romani inter mortalium ſapientiſſimos numerati, quin ne Scriptores quidem Θεόπνευςοι abhorruerunt. Quae hic non fuſius proſequor, quia in Oratione *de fabulis Orientalium*, explicatius dicta ſunt, tantum ut promiſi, unum aut alterum adhuc locum adducam, e quo pateat, ipſos Magiſtros pleraque in Talmude occurrentia, allegorice exponere ſolere.

Ne illos adducam, quos Celeberrimus Wol-

Wolfius in Bibliotheca Hebraea recenſuit Auctores, aliquot adferam Fabulas, quae in שללות אפרים libro, de hoc argumento conſcripto, exponuntur. Memoratur ibidem fol. 6. & ſeq. fabula e Gem. תענית fol. 23. ubi ita narratur. R. Jochanan iter ſuſceperat, atque in hominem inciderat חרוב *ſiliquam arborem* (quod vocabulum ſimul *exitium* ſignificat) plantantem: quae cum nonniſi ſeptuageſimo poſt plantationem anno fructus ferat, R. Jochanan quaeſivit ex homine: tunc noſti, te tamdiu fore in vivis, ut arboris hujus fructibus veſcaris? Ad quae ille: talem in horto inveni arborem a Parentibus plantatam, quare & ego liberorum commodo planto. Deinde accidit colloquio hoc finito, ut pius Choni hammagnagal prandii tempore a ſomno occuparetur, eoque obrutus 70 annos dormiret. Tandem vero experrectus animadvertit, hominem fructum de arbore memorata comedentem, unde collegit Avum ejus illam plantaſſe arborem, & ad minimum dixit, dormivi 70 annos.

Anicularum & puerorum ludibrio & contemtui ſeſe expoſuiſſent Doctores Talmudici, ſi haec revera accidiſſe crediidiſſent, quare quid ficta hac narratione indigitetur in עוללות אפר' laudato loco, ita exponi-

 tur.

tur. In Gemara pravitatem indicari dicunt, cui mortalium vita, quae ſeptuaginta eſt annorum Pſ. xc. 10. & rebus mundanis impedita eſſet: liberis ſuis opes congererent, ut a Parentibus congeſtas accepiſſent, quae ſine divina benedictione, illis חרוב *exitio* & *maledictioni* cederent, oppido vero paucos, ſtudio Legis operam navare, glebae affixos. Ideo ergo tribum Levi, tot in S. Litteris mactari encomiis, quod ne filios quidem ſuos non cognoviſſet, dum ſcilicet res mundanas eis minime proſpiceret, ſed Dei ſermonem obſervaviſſet, & fœdus ejus: quare *copiae ejus eſſent benedictae.* Deut. xxxIII. 9 & 11. Ne quis vero, quod vita hominis in S. Litteris, cum ſomnio comparetur, quemadmodum Jobi xx. 8. inde colligat, animam poſt mortem ſenſu carere, atque nullum poſt obitum praemium aut poenam eam manere: ideo hic hominem fructibus veſcentem introduci, a Parentibus plantatis, quod juſti in *futuro ſeculo fructu actionum ſuarum fruantur.* Jeſ. III. 11. atque Deus memor ſit foederis ſui & benignitatis erga diligentes ſe, in liberos immo mille generationes Deut VII. 9.

In Gem. בבא בתרא fol. 73. alia narratur fabula: Nempe Rabba Barbar Chonna, hominem vidiſſe equitantem juxta mu-

murum longiſſimum, in cujus vertice Daemon nomine הורמין בר ליליתא, tam celeri curreret gradu, ut eques etſi equo calcar adderet, ſequi haud poſſet. Alio tempore, porro narratur, Daemoni duo ſternebantur equi, qui in duobus ſtabant pontibus, fluvio דונג incumbentibus. Tunc Daemon deſultorem agebat ἀμφιπποv, & quae utraque manu tenebat vini pocula, inter deſultandum ita miſcebat, ut ne gutta quidem exciderit.

Quid Magiſtri ficta hac narratione ſignificaverint, in עוללות אפרים fol. 8. c. 4. ſeq. exponitur. Equitem ſignificare hominem, vehementi & indefeſſo ſtudio legi divinae operam navantem, eamque perpetuo ſequentem, equitis hujus more, qui prope murum iter ſuum proſequebatur. Lex enim divina in Gem. יומא fol. 9. & סנהדרין fol. 24. variis de cauſis cum muro comparatur: Daemonem autem illum eſſe, qui alias שטן vocaretur: hic vero illi tribui nomina הורמין a רמה, quod ſervi ejus ab eo tanquam a רמין *excelſo* ad ſublimes evehendi videantur dignitates, quod revera tamen ut eventus docet רמז ſive *fabula* ſit, vana & inanis. Aliud quod ei tribuitur nomen eſſe בר ליליתא i. e. *filius noctis*,

quia Princeps ille tenebrarum, in filios tenebrarum dominetur. Hunc igitur Satanam in muro currere, h. e. ſe Magiſtrum Legis jactitare, ut cum Evam ſeduceret Gen. III. & tentare, an eodem modo homines pios ab oberſvatione legis avertere queat: quibus acclamaret: *quando cum peditibus curris defatigant te, quomodo ergo miſceres te cum equis?* Jerem. XII. 5. Cum vero hos equites a via divertere non poſſet, duos equos illi paratos eſſe, quibus inſultaret, id eſt, cum pios ſeducere non queat, tunc ad improbos reverti (confer Matth. XII. 43.) quos ſub poteſtatem ſuam redigeret, illisque inſultaret. Vel hos equos ſymbola eſſe Magiſtri dicunt, duorum Regum Dan. XI. 27. memoratorum: quorum animus eſt malefaciendi, & in menſa mendacium loquuntur. Improbos vero duobus hic comparari equis, quod homines mundani commode in duo diſpeſci queant genera, quorum nonnulli minime exſatientur pecunia, neque reditibus Eccleſ. V. 10. aut quibus non ſit data copia fruendi re illa, cap. VI. 2. alios vero eſſe, quibus omnis labor ori obveniat Eccleſ. VI. 7. priores igitur quam optime comparari cum equo, qui etiamſi cum equite opima videat paſcua, iter ſuum proſequatur, graminis

nis facultate non data: poſteriores vero equis eſſent ſimiles, nonniſi pabulum ſectantibus, vitam enim in otio tranſigerent veluti pecora, quae natura prona finxit, atque ventri obedientia. Hoſce equos ſtetiſſe in pontibus fluvii דנג *ceram* ſignificantis, quod eorum opera, qui ſub poteſtate Diaboli ſunt, cerae inſtar liqueſiant a praeſentia Jehovae Pſ. XCVII. 5. Pocula vini quae Daemon miſceret, eſſe mercedem improborum, quam propinat Diabolus, pocula nimirum excandeſcentiae Jehovae, quae infuſa bibunt impii, ad ultimam usque guttam Jeſ. LI. 17. 22. vel improbos duntaxat indulgere חומר *rebus mundanis*, quae eleganter חמר *vinum* Deut. XXXIV. 14. vocantur, quia opes ſuas ex uno in aliud quaſi fundant poculum, e ciſta in guttur, ita ut ne gutta quidem effluat, quae rebus divinis impendatur.

In Gem. בבא בתרא fol. 73. alia adducitur fabula, de רבה ברבר חנה, mercatorem videlicet ei dixiſſe, ſe locum oſtenſurum, in quo coeli cum terra conjungerentur, eo cum ſe Rabba contuliſſet, obſervaſſe coelum feneſtris inſtructum; in quarum una panem poſuiſſet, interea dum funderet preces: quibus finitis cum panem quaereret, nuſpiam inveniſſe, rogantique

an fures eſſent, qui panem abſtuliſſent, mercatorem regeſſiſſe, coelos moveri, quare craſtinus expectandus eſſet dies, quo panem inventurus eſſet. Haec autem ne κατὰ τὸ ῥητὸν acciperentur, ipſi caverunt Magiſtri, in עוללות אפרים. Per id quo coelum & terra conjunguntur hominem intelligunt, utpote qui e parte coeli anima videlicet, & terrae, corpore compoſitus ſit, quod e pulvere formatum, cum contra ſpiritus e coelo ſit, a Deo, Eccleſ. XII. 9. Homo (e Judaeorum ſententia Pelagiana) libero gauderet arbitrio, ita ut vitam ac mortem, benedictionem & maledictionem eligere poſſet, quae per feneſtras coeli a Deo homini immitterentur, Gen. VII. 11. II Reg. VII. 19. & Malach. III. 10. Pro duplici vero, e qua homo conſtat parte, praemium quoque duplex eſſe, coeleſte nempe atque terreſtre, illud ad animam, hoc ad corpus pertinere. Porro hominem panem ſuum in feneſtris poſuiſſe, benedictionis divinae ſymbolis II Reg. & Malach laudatis locis, quod bonis operibus divinam ſe benedictionem conſecuturum putaret, Pſ. LV. 23. ideo enim panem inter pauperes diſtribuiſſe & fudiſſe preces. Cum vero voti ſe & benedictionis divinae haud compotem fieri, precesque non exaudiri intelligeret, an fures eſ-

ſent

ſent quaeſiviſſe, pauperes intelligens, qui ejus eleemoſynas accepiſſent, nullo vero commodo, utpote a Deo, non compenſatas. Mercatorem autem pios, non in hoc ſed futuro demum ſeculo mercedis fieri participes, poſt mortuorum nempe reſurrectionem, ſignificaviſſe. In hoc mundo coelos adhuc moveri, igitur eum in eo adhuc ſtatu verſari, quo res viciſſitudini obnoxiae, atque pii interdum divites eſſent, inprimis autem pauperes, quod vera merces pios demum in futuro ſeculo maneret: quare expectandus dies craſtinus, cum e mortis ſomno expergefacti Pſ. III. 6. XVII. 15. hoc eſt in ſeculo futuro, quo pii pauperes, coeleſti benedictione & opibus augerentur. Haec hujus fabulae expoſitio legitur in עוללות אפרים fol. 70. ubi Cabbaliſtica etiam, ejus explicatio adducitur.

Hinc ſatis liquere puto, ne ipſos quidem Rabbinos, in his & ſimilibus narrationibus litteram ſectari, ſed ſub his corticibus atque involucris, ſublimiorem ſapientiam recondere voluiſſe. Cui enim perſuadebis, Viros qui Rempublicam tamdiu feliciter ſapienterque adminiſtraverunt, quales plurimi Doctores Gemarici, utpote Synedrii membra fuere, tam inſulſa & inficeta bona fide crediſſe, quae pueri noſtri, & vetulae repudiarent? Non

Non inficior quidem & inter Rabbinorum ſcripta reperiri nonnulla, quae non ſatis ſanis capitibus ſint adſcribenda. Ipſi enim Magiſtri conqueruntur, recentiores fabularum conditores a priſco illo fingendi modo eleganti deflexiſſe, & inconditis nugis multa contaminaviſſe. Idem autem de omnibus continuo ſcriptis Rabbinicis eadem iniquitate judicaretur, quam ſi omnes Graecorum Romanorumque Scriptores fabulis & nugis annumerare velles, quod multae in multis fabulae, & inaudita figmenta occurrant. Reperiuntur in Rabbinorum monumentis reconditae doctrinae theſauri, unde plurima & doctiſſima congeſta ſunt a viris illuſtribus, ad explicationem & illuſtrationem S. Codicis. Ampliſſimus hic pateret diſſerendi campus, ſi in utilitatem ſcriptorum Rabbinicorum exſpatiarer, atque loca Scripturae S. adducerem, nonniſi e Rabbinorum monumentis illuſtranda. Id quod ſupervacaneum duco, Viri enim in Eccleſia noſtra Principes, mihi hic otium fecerunt, qui non tantum ingentem ſcriptorum Rabbinicorum utilitatem, & quantum profecerint ipſi ſummis laudibus prædicant: ſed & ſuis commentationibus Rabbinica eruditione plenis, infinita Veteris & Novi Teſtamenti loca, uberrima luce perfuderunt.

Ut itaque ſtudioſae juventuti, ad ſcripta illa Rabbinorum viam munirem, opuſcula nonnulla Doctiſſimorum Virorum, quae introductionis loco eſſe queant, edere conſtitui, de quibus quaedam praefari debeo.

Typus deſcribendum curaui Celeb. Jo. And. Danzii, Jenenſium Profeſſoris olim Linguarum Orientalium, nunc Theologiae *Rabbinismum enucleatum*, qui aliis ejus generis ſcriptis palmam facile praeripit. Non enim ea modo attulit, quae ad intellectum faciliorum Rabbinorum & vulgarium pertinent, verum etiam multa immiſcuit, quae difficiliora illa Judaeorum ſcripta מדרשים appellata, immo & Gemaram ipſam expeditiorem & clariorem reddere poſſint.

Deinde ſubjunxi Librum meum ſingularem *de modis loquendi*, & *diſputandi formulis Talmudicis*, multorum Amicorum precibus & adhortationibus adductus: qui cum facile intelligerent, nihil adeo vetuſtiſſimorum Judaeorum & Gemarae ſenſum obſcurare & impedire, quam breves illos abruptos & inſolentes interrogandi reſpondendique modos, & diſputandi methodum a noſtra conſuetudine alienam, ut aliqua ratione iſti difficultati occurreretur optaverunt, & me ut tale quid ſuſciperem, iterum iterumque monuerunt. Aſſurrexi eorum voluntati, quod non

non cariturum fructu ſuo meum laborem ſperabam, & Tractatum הליכות עולם a Cl. L'Empereur verſum, nec ſatis accommodatum juventuti, nec ſufficientem ſtudio Talmudico videbam.

In hoc autem libro non tantum formulas Talmudis, verum etiam vetuſtiſſimorum ſcriptorum τῶν מדרשים e. g. מדרש רבות מדרש שמעוני ילקוט quae eodem fere ſtylo conſcripta ſunt, & iisdem loquendi modis utuntur, complexus ſum. Ita ut quantum quidem fieri potuit, preſſius Textum in verſione Latina ſequerer: in pluribus autem, non tam verba quam ſenſum reddidi, ubique utrum objiciendi an reſpondendi aut conciliandi pugnantia formula eſſet, monui. Ne vero obſcuritate laboraret formula, ſubjectis exemplis declarare rem & illuſtrare conatus ſum: talia autem exempla ſelegi, quae & Antiquitatibus ſacris, quarum maximam rationem in hoc ſtudio habendam eſſe puto, & Juri veteri Hebraeo lucem foenerarentur.

Ut exempla ſubjici poſſent, ſaepius e multis Gemarae foliis excuſſis, ſenſus & rei medulla colligenda fuit, multo ſane labore, ut breviter omnia proponerentur quae diffuſa, & vago illo & prolixo diſputandi

ſandi more in Gemara inveniebantur. Hinc ubi ſatis illuſtrata formula videbatur, diſputandi filum abrupi, ne in nimiam molem liber excreſceret. Voces tamen emphaticas & Antiquitatem redolentes, paraphraſi interdum explanare ſtudui; quamvis quarundam vocum, talis vix dari potuerit explicatio, ut Antiquitatum Hebraearum rudi, omnis difficultas ſublata videretur: quid ex. gr. ſit שנוי בעלים: שנוי קדש: גט שנכתב שלא לשמה; quid טבל / תחום השבת, & ejusmodi bene multa, quae cum in integris Codicibus Talmudis, ut שבת / גטין / זבחים, &c. utramque compleant paginam, in brevi exemplo vix ac ne vix quidem exponi potuere. Plura denique loca citavi, ut de formula ejusque uſu & vi certiorem redderem Lectorem.

Id etiam monendus es Lector Benevole, non omnes ſententias in exemplis allatas, univerſis Rabbinis probari, aut doctrinam eſſe Talmudicam, qua in re plurimi errant vulgo, & abſurdas pugnantesque ſententias Talmudi adſcribunt, & vehementer illam inconſtantiam, & divortia ſententiarum exagitant & rident; Nam diſputatio inſtituta eſt in Talmude, & Rabbini frequenter non ex animi ſententia, ſed exercitii

cau-

cauſa diſputant, nec gravia ſemper, ſed levia quoque levis adverſarii argumenta proferunt, ut oſtendant, quid a doctis & indoctioribus, quid vere & animi cauſa objici queat. Tandem vero ſaepius afferunt veram ſententiam, quae plurimum & optimorum calculis ſit confirmata, quae nomine הלכה *conſtitutionis* ornatur.

Hiſce cum formulis Talmudicis, quod non diſſimili ſint argumento, convenire judicavi Philippi Aquinatis, Ex-Judaei, Hebraicae Lingue Lutetiae Pariſiorum Profeſſoris libellum, *de veterum Rabbinorum in exponendo Pentateucho modis tredecim*, quos etſi aliquoties typis deſcripti fuerint hic adjeci, non enim mediocrem afferunt utilitatem ſcripta Rabbinica legenti, ideoque eos exemplis, quae in Talmude inveni hic illuſtrabo.

Primus modus eſt קל וחומר *Leve & grave.* i. e. argumentatio tam a majori ad minus, quam a minori ad majus. Prioris exemplum occurrit in זבחים fol. 51. 1. ubi traditur e Levit. III. 2. 8. & 13. colligi poſſe, in quocunque atrii interioris latere, ſacrificia minus ſancta mactari potuiſſe. Deinde *per argumentationem a majori ad minus* evincitur, ſacrificia minus ſancta, etiam

iam in Septentrionali atrii interioris latere, rite jugulari potuiſſe. Nam ſi ſanctiſſima nonniſi in parte ſeptentrionali atrii memorati mactare fas ſit, atque in caeteris Atrii partibus nefas; quanto magis ſacrificia minus ſancta, quae in aliis Atrii lateribus, quoque rite mactabantur, in ſeptentrionali mactata, legitima erunt? vid. זבחים f. 72. 1.

Argumentationis a minori ad majus exemplum in eodem Tractatu reperitur fol. 52. c. 2. ubi docetur: ſanguinem juvenci ſacerdotis caſtrenſis, ad altaris baſin eſſe effundendum, *argumentatione a minori ad majus*. Nam ſi ſanguis hirci a Principe oblati, & ſacrificii piacularis privati, quem nulla lex in Sanctum inferri jubet, ad altaris baſin effunditur; quanto magis ſanguis juvenci ſacerdotis caſtrenſis, cujus ſanguinem in ſanctum inferre lege ſancitum eſt, ad baſin altaris effundi debebit?

Secundus interpretandi *modus* eſt גזרה שוה *Decretum aequale*; cujus exemplum legitur in חגיגה fol. 9. c. 1. ubi quaeritur, unde conſtet, victimas ultimo feſti Tabernaculorum die a privatis offerendas fuiſſe, quae praecedentibus hujus feſti diebus neglectae eſſent? R. Iſmaël reſpondet, hoc ex deſcriptione poſtremi feſti Paſchatis diei patere, de quo vox עצרת uſurpatur Deut. xvi.

8. De octavo autem feſti Tabernaculorum die (qui ejus feſti poſtremus eſt, eadem vox עצרת uſurpatur Numer. xxix. 35. Igitur hic *decretum aequale* occurreret: Nam quemadmodum ſeptimo die Paſchatis (qui hujus feſti poſtremus eſt) ſacrificia diebus praecedentibus omiſſa jugulanda erant, eodem modo poſtremo feſti Tabernaculorum die, idem fieri debuiſſe.

Tertius modus ita ſeſe habet: בנין אב מכתב אחד *Aedificium Patris* (conſtitutio fundamentalis) *ex uno Scripturae loco*. Exemplum reperi in מכות f. 4 c. 2. ubi quaeritur, unde R. Juda probet, ob violatum praeceptum negativum, dicto non vero facto commiſſum, vapulare hominem. R. Ulam id R. Judam e Deut. xxii. 14. & 19. deducere putat, ubi de marito uxorem infamante ſermo eſt: jam quemadmodum is famae uxoris detrahendo, praeceptum negativum transgreditur, quod dicto non vero facto fiat, ideoque vapularet; ita quemvis alium, qui ejusmodi praeceptum negativum verbis transgrederetur, verberibus caedendum eſſe. Objicitur porro, quomodo id inde deduci queat, cum ibi gravius quid additum ſit, eum nimirum qui uxorem infamaſſet, non ſolum vapulare, ſed pecunia praeterea mulctari, quae poena aliis ejusmodi praecepti

cepti transgreſſionibus non eſſet ſtatuta: quaeritur idcirco ulterius unde id probetur. Reſpondet Riſch Lakiſch, R. Judam id e Deut. XIX. 16. probare, ubi de teſtibus falſo apoſtaſiae aliquem accuſantibus ſermo eſt: quemadmodum ergo hi falſum teſtimonium perhibentes, praeceptum ejusmodi negativum verbis transgrederentur, ideoque poenas darent; ita quoque caeteros ejusdem praecepti violatores vapulare omnes. Si quis roget, quo pacto a teſtimonio falſo, ad rem hic controverſam concludi queat, cum ſingulare illud ibi obtineat, ut hi teſtes non ſimpliciter vapulent, ſed ante ne falſa teſtentur moneantur, id quod vero alias non obtineret. Reſpondetur hanc objectionem ipſo exemplo ante allato ſolvi: nam & Maritum uxorem infamantem, ante moneri moris fuiſſe, ut ſollicite deliberaret, an vere accuſare uxorem poſſet, & deinde ſi in probatione defeciſſet, vapulare. Conveniunt igitur in eo, violatorem praecepti negativi, quod dicto non vero facto violatur, poenas dare atque *conſtitutionem fundamentalem*, *ex uno Scripturae loco deduci*, nempe Deut. XXII. 14. 19. ſecundum quem reliqua praecepta negativa dijudicari deberent. vid. בבא קמא f. 78. 1. ביצה 20. 1. פסחים 59. 1.

** 2 Non-

Nonnunquam hic Scripturam exponendi modus, ita occurrit: בנין אב משני כתובים *aedificium patris* vel *fundamenti conſtitutio, e duobus Scripturae locis.* Hujus exemplum habes in מכות f. 15. ubi traditur in פרשה ſive *Sectione de lucernis accendendis*, Numer. VIII. 2. non idem juberi, quod in ſectione de Leproſis gonorrhaea laborantibus, & cadaveribus e caſtris ejiciendis Numer. V. 25. In hac enim ſectione Iſraelitis praecipi, ut legem hanc ſtatim ab eo tempore obſervent, (non vero addi, an & futuro tempore ſit obſervanda.) In illa vero ſectione legem de lucernis accendendis futuro, non vero praeſenti ſtatim tempore juberi. Verum cum utrobique verbum צוה *praecepit* reperiatur (Moſen nempe juſſu Divino hoc populo praecepiſſe) alterum ex altero deducendum eſſe, arbitrantur. Nimirum quemadmodum leproſi & caeteri ante memorati, ſtatim a lege lata e caſtris erant ejiciendi: ſic lucernas primo quoque poſt legem latam tempore, accendendas fuiſſe. Praeterea quemadmodum lex de lucernis accendendis futuro etiam tempore erat obſervanda, ita impuros quoque ſequentibus temporibus e caſtris ejiciendos fuiſſe. Atque tandem additur: *ex his duobus locis conſtitutionem fundamentalem peti.* Scilicet, omne praeceptum,

plum, quod populo Dei juſſu imperatum legitur, aeque tempore legiſlationem proxime ſequenti, atque in poſterum tempore futuro obſervandum eſſe.

Quartus modus eſt כלל ופרט *generale & ſpeciale*: exemplum ejus habetur in זבחים f. 4. c. 2. ubi Numer VI. 17. citatur, ubi legitur: ואת האיל יעשה זבח שלמים *mactabit* (ſacerdos) *arietem in ſacrificium ſalutare*, ubi יעשה eſt *generale*, quod omnes miniſterii circa ſacrificia actus, includit. Hic autem tantum ad *ſpeciale* quid reſtringitur, nempe ad jugulationem, quod ſpeciale hic voce זבח indicatur.

Quintus modus פרט וכלל *ſpeciale & generale*, tantum prioris inverſio eſt.

Sequitur ſextus modus, qui vocatur כלל ופרט וכלל *generale & ſpeciale & aliud generale* אי אתה דן אלא כעין הפרט *ſi illud quod generale eſt, expoſueris per ſpeciale.* Exemplum ab Aquinate adductum, modum hunc ſatis exponit. Addendum tantum id deſumtum eſſe, ex נזיר f. 35. ubi col. 2. contrarii etiam exemplum adducitur, in quo unum reperitur generale, atque duo ſpecialia, hac formula: פרט וכלל ופרט haecque ſe inveniſſe Magiſtri ibidem dicunt Numer. VI. c. 3 & 4. מיין ושכר יזיר חמץ יין וחמץ

 שכרלא

שכר לא ישתה וכל משרת ענבים לא ישתה וענבים לחים ויבשים לא יאכל: כל ימי נזרו מכל אשר יעשה מגפן היין מחרצנים ועד זג לא יאכל: *A vino aut alio potu inebriante abſtineto, acetum vini & acetum ullius potus inebriantis ne bibito: & nullum potum e maceratis uvis bibito, nec ullas uvas recentes aut ſiccas comedito. Omnibus diebus Naryreatus ſui, de nulla re quae ſit ex vite vinifera vel nucleis acinorum, & cute comedito.* Hic primum ſpeciale eſt, *vinum aliusque potus inebrians*, generale quod illud ſequitur: *omnis res quae eſt ex vite vinifera.* Aliud ſpeciale *nuclei acinorum cutis*, ubi addunt: hic genus referendum & quoque extendendum eſſe ad alias ſpecies, quae nucleis acinorum &c. ſunt ſimiles.

Septimus modus clare quoque ab Aquinate expoſitus, atque e בבורות fol. 19. c. 1 & 2. illuſtratus eſt. Quare ad octavum ſcripturam explicandi modum me confero, qui ita ſeſe habet: דבר שהיה בכלל ויצא מן הכלל ללמד על הכלל: *Quando res quaedam ſpecialis ſub genere ſuo contenta excipitur, ad inferendum aliquid, quod cum genere ſuo non convenit, id ſit tam ad leve quam grave faciendum* i. e. *rem vel extenuandam,*

vel exaggerandam. Ita in קדושין f. 35. quaeritur: cum Scripturae loco Levit. XIII. 21. regula *de lepra* generalis contineatur, cur c. 29. addatur praeceptum de lepra, quae eſſet in capite vel in barba, cum haec quoque lepra perinde atque omnis alia ſub cute lateat, adeoque ad generalem lepram referri poſſit? Et reſpondetur: ideo hanc leprae ſpeciem a generali exceptam eſſe, ad aliquid aliud indigitandum, quod leprae in genere conſideratae proprium non eſt; ut videlicet doceatur leviorem eſſe leprae ſpeciem, quae in capite vel barba reperitur, quia hujus indicium, flavi tantum rari & tenues ſunt capilli, non vero albi, id quod in lepra generaliori, locum habet. Reliqui Scripturam exponendi modi veterum Rabbinorum, ab Aquinate ſatis bene expoſiti ſunt, ut uberiori exemplorum illuſtratione, haud indigere videantur.

Modos hos exponendi Pentateuchum, ſequitur Gabr. Groddeckii, Profeſſoris Gedanenſis doctiſſimi, *Spicilegium aliquot librorum Anonymorum & Pſeudonymorum, qui lingua Rabbinica partim impreſſi, partim MSSti reperiuntur:* quod Clariſſimorum hominum elogia ſemper meruit: inprimis, poſtquam doctiſſimae notae *Edzardianae*, *Normannianae*, aliaeque additae ſunt, de quibus Ce-

leberrimus Fabricius, in Praefatione Theatro Anonymorum & Pſeudonymorum Cl. Placcii praemiſſa, egit. Varia laudato Spicilegio continentur, ſcitu digniſſima: ordine praeterea Alphabetico diſpoſita ſunt omnia, ut a Literarum Rabbinicarum Studioſis, cum fructu evolvi queant.

Denique varia Excerpta e מכלל יופי, *Kimchi*, *Abarbanele*, *Maimonide*, *Aben-Ezra*, *Miſchna atque Gemara*, hiſce Opuſculis adjeci, ut commodis Auditorum meorum, quantum poſſem inſervirem. Stilum enim Rabbinicum ſatis familiarem ſibi reddituros exiſtimabam, ſi excerpta haec, quae in ſcholis Rabbinicis verti ſolent, domi ſedula manu tererent. Haec ſunt *Benevole Lector*, quae Te monere volui, Vale & conatibus noſtris fave. Dabam Trajecti Batavorum, Calendis Februarii MDCCXXVIII.

S E-

SERIES

OPUSCULORUM.

I.

Joh. Andr. Danzii, *Rabbiniſmus enucleatus.*

II.

Dav. Millii, *de modis loquendi & diſputandi formulis Talmudicis, liber ſingularis.*

III.

Veterum Rabbinorum in exponendo Pentateucho, modi tredecim.

IV.

Gabrielis Groddeck, *Spicilegium aliquot librorum Anonymorum & Pſeudonymorum, qui linqua Rabbinica partim impreſſi, partim MSSti reperiuntur.*

V.

Excerpta e R. Schelomo ben Melech

מכלל יופי, *Commentariis* R D. Kimchi, Abarbanelis, Aben Ezrae, R. Josephi Karo כסף משנה *in Maimonidem*, R. Jacobi Chajis F. Samuelis עץ החיים *in* מסכת· פסחים, & *e Miſchna atque Gemara* זבחים.

JOH. ANDR. DANZII

סגולתא דרבנן

SIVE

RABBINISMUS ENUCLEATUS,

QUOAD EA,

Quæ EBRAEO-CHALDAEIS

vel prorſus non, vel minus uſitata ſunt:

Praemiſſa DIRECTIONE legendi Scripturam absque punctis.

Digitized by Google

NOBILISSIMO, CONSULTISSIMO,

ATQUE EXCELLENTISSIMO

DOMINO

PAULO HENRICO TILLEMANNO,

JCTO CELEBRATISSIMO, SERENISSIMO DUCI SAXO MEININGENSI A CONSILIIS AULAE ET CONSISTORII,

PATRONO EXOPTATISSIMO,

JOH. ANDR. DANZ, P. P.

Aliquot Vir Excellentissime! praeteriêre anni, ex quo, dubium, an promiſerim, an ioco minatus fuerim, Nomini TUO aliquid inſcribere mearum rerum. Noveram enim, quod conſueveris, meas eſſe aliquid putare nugas. Non præſtiti hactenus, nemini prorſus ulla interea dedicatione moleſtus. Sed quod differtur, non aufertur. Ebraea illa erant,

erant, Tyronibus accommodata, primum ad Scripturam parantibus aditum. Hanc dudum legeras, malleus ſæpe numero ac fulmen Paſtoribus non ſatis verſatis. Interea temporis progeſſus es longius: non averſatus quotidianam cum Apellis converſationem; modo ulla in re reddant TE doctiorem. Pace itaque TUA liceat *Rabbinismum* commutare cum primis linguae elementis. Non, quod vel iſto indigere TE putem: aut ex horto jejuno & exili, poma Alcinoo (ut ajunt), aut Floræ ſerta, dare tentem. Verendum enim mihi eſſet, ne, quod Phormioni Hannibal, id TU mihi aliquando objectares. Sed ut uel tandem ſtem promisſis, meamque penes TE non intermori nam memoriam: ſimul ut teſtatum faciam illis, qui Theologiae ſe manciparunt, quam perverſe ſuam locarent operam, ſi hæc ſtudia negligant; quae ex ſolo pietatis amore, ac pro tranquillanda conſcientia propria, ILLI aeſtimant, qui Themidi alioquin litant, & clavum tenent Reipublicae. Accipe modo *Patrone obſervande!* munuſculum fronte ſerena, & quem a ludo literario noſti, ad perpetuum Nominis TUI cultum admitte benevole. Dabam Jenae, Idibus Februariis, Anni MDCIC.

PRAE-

PRAEFATIO.

L. B. S.

Quas hic capite primo conſpicis L. B. regulas, ante plures jam annos conſcripſeram. Pauciores erant: in iſtorum tantum gratiam conſignatae, qui meo ductu, privatos intra parietes, textum evolverant Ebraeum. Exercitati nonnihil in codice punctato, ejus expetebant lectionem ſine punctis. Perſuaſum quippe ipſis fuerat, Scripturam vocalibus ſuis non animatam, vel prorſus nullum habere ſenſum, vel infinitos. Iisdem enim literis, inprimis radicalibus, diverſas (profecto licet) addideris vocales, diverſas illico parient ſignificationes. Veritatem hujus oſtenderunt poene multi. Ea vero hominum indoles eſt, ut multi plus afferant ad Scripturam doctrinae, quam pietatis. Ex horum minimum libidine ac pruritu, naſi ad inſtar cerei, flexilis erit in partes quaſcunque. Quin ne reverenter quidem de Scriptura ſentientes, invenire videntur, ubi tute pedem figant. Res certe haud levis momenti; ob hominum ſalutem, exinde hauriendam. Gravius me, olim in examinandis diſſentientium opinionibus occupatum, affli-

afflixerat, quam reliquus apparatus omnis. Scripturam a puero veneror, tanquam divinitus revelatam: quae viam monſtret aeternum ſalvandis. De Numine ſupremo eum cum lacte materno conceptum imbibi, qui Bonitatem *&* juſtitiam *ſummam ipſi facit eſſentialem. Cum neutra harum Scriptura de induſtria ambigua exiſtimabatur poſſe conſiſtere. Unde pronum erat, inferre, eam vel divinam non fore, vel non ita ambiguam. Ut itaque divinitatis laudem ipſi conſervem, abſtergenda erat illa ambiguitatis macula, convulneratura omnem Scriptoris bonam indolem. Praeſtiti id ſine magno molimine. Facta ad integros libros Biblicos applicatione, ad oculum oſtendebam, μορμολύκειον illud ſubito faciem induere benigniorem. Omnis varietas extra orationis nexus locum invenit. Quicquid literarum vel ut Proteus*, formas ſe vertit in omnes, *ſi intra contextus tenacia tenetur vincula, ab antecedentibus & conſequentibus tam arcte premitur, ut mox* ſtatam *aſſumat formam, ſuis convenientem vicinis. Non agat pro arbitrio lector: ſed illis modo punctis exornet literas, quae poſtulat orationis filum. Reſpuit hoc adulterina, formasque plures una. Sin, præter omnem ſpem, ferre videtur; loca etiam quoad ſenſum cognata, Majorum lectio, in antiquis Verſionibus, Criticis, Talmudiſtarumque applicationibus obvia,*

via, litem finiant. Sed enim ad has tales angustias vix unquam nos redactos tunc memini: nec facile alium. Creſcebant itaque Commilitonum animi. Qui ſolius Scripturæ legendae ſubſidium modo petierant, in ſpem jam erigebantur cognoſcendorum librorum vocalibus prorſus carentium. Exiſtimantes, ſi hi certum pariant ſenſum; de eodem non deſperandum eſſe alibi. Pro hoc autem fine amplianda erant Praecepta: ſubinde etiam nonnulla inſpergenda prioribus. Solo tamen calamo excipiebantur: cum nemine communicanda, niſi qui vivam perciperet explicantis vocem. Ad quam nemo admittebatur, niſi qui notitia idiomatis Ebraeo-Chaldaei Biblici plane imbutus eſſet; literis etiam Syriacis ſatis adſperſus. Quae cauſa eſt, quare in poſterioribus capitibus uſitatiora Biblica prorſus praeterierim: contentus, ea ſaltem adduxiſſe, quae in iſtis vel prorſus inuſitata ſunt, vel rariſſime obvia. Syrorum autem nonnulla, paſſim penes hos obvia, commemoro: quod hi ad Rabbinismum conſtiuuendum alioquin minus conferant illis; atque adeo ab ipſorum ſcriptis credi poterant penitus excluſi. Talmudica aditurus, Syriacis carere non poteſt. Interpretes Scripturae vulgares conſulturo ſufficiunt inſtitutionibus Ebraeo-*Chaldaeis tradita; & cum praeſenti, iſtorum quaſi Additamento, conjuncta. Pleraque pure Ebrae ſunt: ubi recedunt,*

cedunt,

cedunt, hic invenies annotatum. Neque tamen ita omnia a me exhauſta dixerim; ut nil prorſus vel adjiciendam; vel mutandum forte in melius ducerem. Quis tam Suffenus foret, ut omnia Judaeorum ſcripta ſe evolviſſe glorietur, nedum annotaſſe obſervanda. Abſit a me haec jactantia: qui me modico meo modulo dudum metiri didici. Tyronibus ſcribo, aditum ſibi parantibus. In altius provecti, mea ope non indigent, facti ſibi ipſis regula. Adhaec tumultuaria eſt haec mea opera: quam hac facie nunquam typo traditurus fuiſſem, niſi a me extorſiſſent potius amicorum preces, quam exoraſſent. Nudas adeo regulas, omni exemplo & probatione deſtitutas, primum imprimendas conceſſi; ſuppreſſo meo nomine. Quaternionem non excedebant: inter eos ſaltem diſtribuendae, qui ſucceſſive in iisdem mecum militaturi eſſent Rabbinorum caſtris. Evenit tamen praeter votum, ut plures, etiam abſente easdem expeterent, ſed exornatas exemplis. Seligi hæc non potuerunt: omne otium, & raram a concatenatis occupationibus quietem, frequenti calamitatum incurſu evertente. Subinde nondum a ſaevientis fortunae procellis reſpiraram, en præſto erat typographus, cum impetu chartas ad imprimendum poſtulans. Vellicatim itaque ac ſaltuatim congeſta hic omnia: non relecta denuo, donec imprimentium emendanda forent errata. Formulas

las Rabbinis peculiares, ſecundum ſeriem literarum congeſtas, ac locupletatas adjeciſſem, exemplo Merceri aliorumque, ni tempore eſſem excluſus. Fiet tamen, Deo annuente, editione (ſi quae futura eſt) proxima. Interea his qualibuscunque utere feliciter.

DE
LECTIONE
ABSQUE
Punctis decenter inſtituenda.

Caput Primum.

§. I.

Lectio ſine punctis [a] tùm demum ſuſcipienda erit, quando quis, benè cognitâ punctorum permutandorum doctrinâ [b], flectionem Verborum tàm Imperfectorum [c] quàm Perfectorum [d] ex aſſe tenuerit; omnesque ſciat Nominum, inprimis Nudo-

A rum,

a Non modò in Rabbinorum ſcriptis, ſed ipſâ etiam Scripturâ Canonicâ. *b* De qua Inſtitut. Cap. II. §. 17. ſqq. *c* de quibus Inſtit. cap. V. §. 43. ad 49. *d* de quibus Inſtitut. cap. V. §. 41. & 42.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

rum , formas [e] : obſervatâ ſignificatione , tàm cuilibet Conjugationi [f] , quàm formæ [g] Nominum competente [h].

§. 2. Prima ſemper cura ſit de literis vocum Radicalibus [i] : altera cura de parte Orationis [k].

§. 3. Deprehensâ literâ ſemper radicali , alias connumeremus , vel præcedentes vel ſequentes , vel utrinque,

e Quas ſingulas expreſſas Vid. Inſtitut. §. 29. I. (α) 1, 2, 3, 4, 5, 6, 7. it. (β) Sunt earum numero XL. *f* Secundum ductum Interpretis §. 77. ad §. 90. *g* Vid. Inſtitut. §. 29. Obſ. p. 253. *h* Sæpe enim literæ non tantùm in Verbis , aptæ ſunt , ut pluribus aptentur Conjugationibus , Vid. infr. §. 17. ſed & in nominibus , formis diverſiſſimis. Confer præter Inſtitut. §. 29. I. inſuper etiam infrà §. 8. & §. 13. *i* Hoc ordine neglecto, vel præpoſterè obſervato , prorſus inanis eſt labor omnis , quem maximo ſubinde conatu ſuſcipiunt. Abſque eo certa nunquam prodeunt : & , ſi caſu forſan lectio fiat legitima, absque omni erit ſenſu. *k* Ut cognoſcas , utrum Nominum , an verò Verborum formam accommodare debeas. *l* Vid. Inſtitut. §. 5.

que, donec radicem [m] expleat.

2. Omnibus ad ſerviendum aptis [n], ſerviendi obſervetur ſedes: ac *quæ minus commoda ſibi ſede deprehenditur* [o], *habeatur pro radicali*; tot vicinis [p] aſſumtis, quot ad thema ſunt neceſſariæ. Si ne ſic quidem thema confeceris.

3. Tentes ordine quascunque tres vocis literas, ſe proximè conſequentes; fulcris, itemque ה quandoque neglectis.

4. Si tres non adfuerint, in extantibus conſilio utere de inveſtigando themate, §. 60. Inſtitut. propoſito. Vel [q]

m Ordinariè tribus conſtantem literis; raro ex pluribus. *n* Quia nulla *Servilis* dicitur ab actu, ſed ab aptitudine ſaltem, quæ non ſemper in actum introducitur, Confer. Inſtitut. §. 5. *o* Cujuſmodi בלש, & Ebraicè etiam א; quæ non ſerviunt, niſi ab initio; poſt radicales nunquam. Conf. tamen Inſtitut. §. 5. Obſ. 1. item §. 53. I. §. 54. II. *p* ſive præceſſerint, ſive ſequantur; ſive etiam una præmiſſa ſit, altera poſtpoſita. *q* Quia in Scriptis absque vocalibus exaratis, nec Dageſch compenſativum expreſſum inveni-

5. *Omnes Imperfectorum Species* percurrendo, *literis extantibus*, ordine tamdiu *applica*; *donec Radix prodeat*, cujus ſignificatio ſit conveniens [r] Contextui.

§. 4.

venitur, nec vocalis, aut ſedes toni; quæ in libris legitimè punctatis literas latitantes detegunt, juxta inſtitut. §. 60. III. aliâ incedendum eſt viâ, quæ ſufficienti Verborum copiâ jam ante inſtructis, & in re Grammaticâ non parum exercitatis, (quippe *quos unicè huc admittendos cenſeo* ſupr. §. 1.) difficilis eſſe non poteſt. *r* Ad hoc inprimis Lector animum intendat, neceſſe eſt: cum literæ inveniantur v. g. ויכלו וישב &c. quæ, ſi non omnibus, certè plerisque Imperfectorum ſpeciebus competunt: adeò ut impoſſibile ſit certam determinare, niſi in ſubſidium voces Contextum. Quando Gen. 15. 11. dicitur וישב אותם אברם formetur ex נשב, quod in Hiphil וַיַּשֵּׁב & *flatu abegit* eos Abram Jer. 41. 10. וישב ישמעאל את כל שארית העם, ex שבה formetur futurum apocopatum, coll. Inſtit. §. 57. I. 2. Obſ. 1. וַיִּשְׁבְּ & *in exilium abduxit* Iſmaël omne reſiduum populi: ſequitur enim in fine verſus, quod tranſiturus fuerit ad filios Ammon. Joſ. 20. v. 4. וישב עמם formetur à ישב *habitavit*;

§. 4. Præpoſitiones præpoſitæ s , i-
A 3 tem-

vit ; & , quia eodem ſubjecto manente, plura Præterita in ſenſum Futurorum convertenda præcedunt , legamus ſimiliter in Præterito וְיָשַׁב *& habitabit cum illis.* Gen. 19. 30. וישב במערה , quia oratio in præterito concepta præcedit , legamus וַיֵּשֶׁב *& habitavit* in ſpeluncâ quadam. Jeſ. 9. v. 8. (coll. Pſ. 55. 10.) אפרים וישב שמרון quia ſenſus nominalis requiritur , legi debet וְיֹשֵׁב coll. Interp. §. 76. Ephraim & *incola* Samariæ. Gen. 22. 19. וישב אברהם אל נער[illegible], derivari debet ex שוב *reverti* eò unde quis ante abierat : nulla enim præcedentium radicum ſignificatio ad hunc textum quadrat : benè tamen *redeundi* notatio , ob verſ. 5. è quà dicitur וַיָּשָׁב *deinceps reverſus eſt* Abraham ad pueros ſuos. Deut. 20. v. 5. ſeqq. ילך וישב לביתו ob præcedens futurum , quo cum poſterius per conjunctionem copulatur , legi debet וְיָשָׁב eat *& revertatur* domum. Simile judicium de altero , multisque aliis. Solus contextus circumſpectè conſiderandus & radicem determinat , & lectionem veram. *s* Sive connexæ hæ fuerint , ſive inconnexæ : præpoſitio enim inſervit ſuo Caſui , qui primùm eſt Nominum. v. g. 1. Sam. 9. 21. כדבר הזה prioris vocis extra contextum conſideratæ literæ

temque Articulus [t], Nomen indicant, aut Verborum Infinitivum [v].

§. 5.

teræ legi poſſunt דֹּבֵר *dicens*, דִּבֵּר *dixit*, דַּבֵּר *loquere* &c. ſed præpoſitio כ ad nomen reſtringit, vel infinitivum: ibi receptæ ſunt in his radicalibus (Vid. §. 8.) ſolæ formæ I. דָּבָר *verbum*, XVI. דֹּבֶר *ductus*, & XVIII. דֶּבֶר *peſtis*. duas poſteriores reſpuit contextus; qui ſolam primam דָּבָר admittit, cum articulo ob ſequens demonſtrativum articulo affectum, Vid. §. 22. כַּדָּבָר i. e. quare locutus es ad me *juxta verbum* hoc. Nec enim *peſtem* loquimur, nec *ductum* ſeu *ovile*; infinitivum autem reſpuunt reliqua. Prov. 16. 20. משכיל על דָּבָר attendens *ad verbum*. *t* Gen. 24.50. מיהוה יצא הַדָּבָר à Domino prodiit *res hæc*: ſed Zach. 4. 1. &c. המלאך הַדֹּבֵר בי angelus *ille loquens* ad me; non *verbum*, nec *peſtis*, vel *ductus*. *v* Quippe qui Nomina imitatur, quoad conſtructionem pariter atque ſignificationem, Vid. Interpr. §. 126, 127.129.206.Jeſ.32.v.7. ובדבר אביון משפט in hoc verborum ordine nullum edit ſenſum, niſi legas וּבְדַבֵּר *& in loqui*, h. e. (coll. Interpr. §. 127. §. 201. II. 2.) *& dum loquitur egenus juſtum*: ſecus ſi legeretur ובדבר משפט ואביון בדבר משפט vel etiam ובדבר משפט אביון, tunc enim legi poſſet וּבְדָבָר *& in cau-*

§. 5. י ſuffixis præmiſſum ˣ, item-
A 4 que

cauſa juſta egenum, repetendo ex præcéd. *ut perderet.* Ita Gen. 17. v. 22. וַיְכַל לְדַבֵּר אתו & abſolvit *loqui* cum ipſo. Abarb. Comment. ad. Jeſ. VII. 15. f. 19. col. 4. l. 9. בהיותו מורגל לאכול דברים מתוקים *in eſſe eum*, i.e. dum erit aſſuefactus *comedere* res dulces: f.18. c. 4. l.40. באומרו quod eſt בְּאָמְרוֹ *in dicere ipſum*, h.e. dum dicit.

x Abarb. ad Jeſ. I. f. 5. col. 2. l. 28. 29. עונות האדם ופשעיו הם אם במושכליו ואמונותיו המשובשות ואם במדותיו ומעשיו המגונים iniquitates hominis *ejuſque* prævaricationes, ſunt vel *in conceptibus ejus ac credendis ipſius* erroneis, ſive *in moribus ejus ac operibus ipſius* deturpatis. Jeſ. 41. 26. אין שומע אִמְרֵיכֶם nemo audit *ſermones veſtros* Jud. 5. v. 19. אֲמָרֶיהָ *ejus*; ſine י etiam legeres אָמְרָה *dixit F.* &c. Pſ. 48. 13. מִגְדָּלֶיהָ *turres ejus*; ſine י legi poterat מְגַדְּלָה *nutriens eam.* Neh. 4. 17. בְּגָדֵינוּ *veſtes noſtræ*; absque י & contextu, legi poterat בָּגַדְנוּ *perfidè egimus.* 2. Sam. 15. 3. ראה דְבָרֶיךָ טובים vide, *res tuæ* bonæ ſunt: absque י legi poterat דִּבֶּרְךָ *dixit tibi*, vel דַּבֶּרְךָ *loqui te*, ut Exod. 4. 10. גם מאז דַּבֶּרְךָ אל עבדך etiam a tempore iſto *loqui te*, i. e. coll. Interpr. §. 127. 128. *quo locutus es* ad ſervum tuum Deut. 4. 21. התאנף בי על דִּבְרֵיכֶם iratus

eſt

que Terminationes ים [y], ית [z], & ות [a], ſæpius [b] indicant Nomina.

§, 6.

eſt contra me propter *verba veſtra:* ſine ׳ Ezech. 13. 8. יען דַּבֶּרְכֶם שוא propterea quod *dicitis vos* vanitatem Jeſ. 54. 5. עֹשַׂיִךְ *factores tui:* absque ׳ Deut. 32. 6. הוא עָשְׂךָ ipſe *fecit te*, &c.

y Ordinariè terminationem dualem & pluralem conſtituit maſculinorum: ut Gen. 6. 19. שְׁנַיִם מכל תביא אל התבה *duo* de unoquoque venire facias ad arcam. cap. 2. 4. וְשָׁמָיִם & *cœli* Gen. 18. 2. אֲנָשִׁים נִצָּבִים *viri conſtituti.* Raro ם radicale eſt ſingularium, vel ſuffixum infinitorum, ut Gen. 6. 9. צדיק תָּמִים היה juſtus *integer* fuit. Jeſ. 65. 21. ונטעו כְּרָמִים ואכלו פִּרְיָם & plantabunt *vineas*, & comedent *fructum ipſorum.* *z* Deut. 29. v. 23. גָּפְרִית ומלח *ſulphur* & ſal: Gen. 10. 10. רֵאשִׁית *principium:* Num. 15. 5. רְבִיעִית *quarta* *a* Eſr. 4. 5. מַלְכוּת דריוש imperium Darii. Cant. 6. 9. מְלָכוֹת ופילגשים *reginæ* & *pellices.* *b* Cautione enim opus eſt, & contextus ubivis accuratè examinandus: cum omnes ejuſmodi terminationes etiam in Verbis deprehendantur. v. g. *Abarb.* ad Jeſ. 1. f. 5. col. 2. l. 26. כְּשֶׁקְּרָאתִיו *quum vocavi eum:* c. l. 27. אחר שהאכלתים את המן וקראתים עמי ישראל *poſtquam comedendum præbui illis Manna, & vocavi eos popu-*

lum

§. 6. Præformativæ א c נ d ת e ה f י g מ

lum meum Iſraël, Ezech. 24. v. 13. טִהַרְתִּיךְ *mundari juſſi te.* Conf. etiam Inſtitut. §. 39. IV. Exc. 1. גלית præter formam Nominum, legi poteſt גָּלִיתָ ut Ezech. 12. 3. וגלית ממקומך *& migrabis de loco tuo*: & in fœm. גָּלִית ad formam עָשִׂית ut Gen. 3. 13. מה זאת עשית *ad quid hoc feciſti?* nec non, ſi textus Chaldæus fuerit, præter ſecundam Præteriti, etiam in primâ ſing. unde eſt Dan. 2. 26. חֲזֵית *vidi.* Atque ita גלות & formæ nominum competit גָּלוּת, unde Jer. 24. 5. אכיר את גלות יהודה cognoſcam *deportationem* Judæ &c. atque Infinitivo גְלוֹת, unde v. g. Jer. 1. 3. עד גלות ירושלים uſque dum *migrares* Jeruſalem. Eodem modo in Conjugationibus reliquis. *c* א primam ſing. futurorum deſignat, ut Ezech. 24. 14. לא אֶפְרַע ולא אָחוּס ולא אֶנָּחֵם *non rejiciam, nec parcam, neque me pœniteat.* Interdum tamen aucta conſtituit Nomina v. g. Exod. 8. 15. אֶצְבַּע אלהים הוא *digitus Dei illud eſt*: Iob. 41. 2. לא אַכְזָר כייעירנו *nemo tàm ſævus eſt, qui excitet eum*: Num. 13. 23. אֶשְׁכֹּל ענבים אחד וישאהו במוט *botrum uvarum unum, & portarunt eum palangâ*: ſed Gen. 27. 45. למה אֶשְׁכַּל גם שניכם יום אחד

quare orbabor etiam utroque veſtro die eâdem. Lev. 6. 8. אַזְכָּרָתָהּ ליהוה *memoriale monimentum ejus Domino*, ex אַזְכָּרָה ſed eædem prorſus literæ Pſ. 77. v. 4. 12. &c. אֶזְכְּרָה אלהים *recordabor Dei* Pſ.. 90. 4. וְאַשְׁמוּרָה בלילה *& vigilia in nocte*. Hoſ. 9. 1. אהבת אֶתְנָן *dilexiſti mercedem meretriciam*, ex תנה, unde & אֶתְנָה *idem* Hoſ. 2. 14. *d* נ Conjug. Niphal ſignificat, inprimis ſi Afformativum inſuper adſit; abſque quo notat ſæpius 1. plur. futurorum. Abarb. in Jeſ. f. 19. col. 1. l. 5. כמו שנזכר בספר מלכים *quemadmodum commemoratur in libro Regum.* Ibid. f. 19. c. 4. l. 50. אדם נכבד *homo honorabilis*: ibid. l. 20. הנמשל *antitypus, id quod per metaphoram ſignificatur, aſſimilatum*: f. 19. c. 3. l. 63. התעלה היא כמין אמת המים נמשכת מהברכה העשויה בידי אדם i. e. תְּעָלָה *eſt quaſi fovea aquarum, derivata è piſcina manu hominum factâ*; Ibid. c. 4. l. 65. מה שנועצו לב יחדיו המלכים ההם לומר נעלה ביהודה ונקיצנה ונבקיענה לא תקום ולא תהיה *id quod conſultarunt eodem animo unà Reges iſti, dicendo, aſcendemus in Judæam, & vexabimus eam, & in duas partes dividemus eam, non ſubſiſtet neque erit.* In nominibus נ præformativum admodum raró occurrit, v. g. Gen. 30. 8. נַפְתּוּלֵי אלהים נפתלתי *luctationibus Dei luctata ſum*: in quibuſdam pro-

propriis, נִמְרוֹד *Nimrod* Gen. 10. 8. &c. *e* ת, præter 2. utriusque generis & numeri, etiam 3tiæ fœm. generis utriusque numeri Futurorum omnium competit. Abarb. ad Jeſ. VIII. f. 21. c. 2. l. 60. הלא תראה שפרשו *an non vides, quod interpretentur:* Prov. 23. 31. אל תֵּרֶא יין כי יתאדם *ne videas vinum, quum rubicundum ſe exhibet:* Lev. 20. 17. והיא תִרְאֶה את ערותו *& ea viderit pudendum ejus:* Gen. 3. 6. וַתֵּרֶא האשה *& vidit mulier illa.* Deut. 6. 13. ובשמו תִּשָּׁבֵעַ *& in nomine ejus jurabis:* Gen. 1. 9. וְתֵרָאֶה היבשה *& videbitur aliqua ariditas.* 2. Sam. 7. 24. וַתְּכוֹנֵן לך את עמך ישראל *& confirmaſti tibi populum tuum Iſrael:* Pſal. 68. 13. ונות בית תְּחַלֵּק שלל *& quæ domi ſedet diſtribuet ſpolium.* Jeſ. 6. 7. וחטאתך תְּכֻפָּר *& peccatum tuum expiabitur*, conf. Amos. 7. 17. Job. 24. 18. Lev. 23. 29. Job. 28. 16. 19. &c. Ezech. 24. 19. הלא תַגִּיד לנו *an non indicabis nobis?* Jud. 13. 10. וַתְּמַהֵר האשה וַתָּרָץ וַתַּגֵּד לאישה *& feſtinavit mulier illa, & cucurrit ac indicavit viro ſuo.* Jeſ. 14. 15. אל שאול תּוּרַד *ad infernum detruderis:* Ezech. 19. 12. וַתֻּתַּשׁ בחמה לארץ הֻשְׁלָכָה *ſed avulſa eſt in fervore, in terram projecta fuit.* In nominibus itidem format è diverſis Conjugationibus deſcendentia, v. g. Jeſ. 41. v. 19. c. 60. 13. ברוש תִּדְהָר וּתְאַשּׁוּר יחדו *abies, pinus, & opacæ arbores unà:* Exod. 28.

4. כתונת תַּשְׁבֵּץ *tunica conſtrictionis:* 1. Chr. 25. 8. מבין עם תַּלְמִיד *doctor cum diſcipulo.* Unde illud *Maimonidis* Hilc. Talm. Tora. cap. V. §. 4. כל תלמיד שלא הגיע להוראה ומורה הרי זה רשע שוטה וגס הרוח ויולא כאמר כי רבים חללים תפילה וגו׳ *quiſquis ſtudioſus, qui nondum pervenit ad docendi facultatem, & docet, profectò impius eſt, ſtolidus, & elatus ſpiritu: de tali dicitur* Prov. 7. 26. *ſanè multos proſtravit ſaucios.* Jer. 16. 7. כוס תַּנְחוּמִים *poculum conſolationum*; quæ forma mixta videtur ex Hiphil & Kal. Vid Inſtitut. §. 42. Obſ. 3 Jeſ. 24. 7. אבל תירוש *luget muſtum:* Exod. 12. 45. תושב ושכיר לא יאכל בו *inquilinus & mercenarius non comedet de eo:* Lev. 20. 12. תֶּבֶל עשו דמיהם בם *confuſionem fecerunt, cauſa cædis ipſarum eſt penes ipſos.* De illis, quæ in fine ſimul augentur, Vid. infrà. *f* Num. 22. 11. אולי אוכל לְהִלָּחֶם בו *fortaſſis potero pugnare adverſus ipſum* Jud. 9. 38. צא נא עתה וְהִלָּחֶם בו *egredere quæſo! nunc, & pugna cum ipſo*, ex Niphal. *Abarb.* Comment. in Jeſ. f. 18. col. 4. l. 33. המשילם בזנבות האודים העשנים *aſſimilavit eos caudis titionum fumigantium:* 2. Sam. 1. 4. הַגֶּד־נא לי *indica quæſo! mihi:* 1. Sam. 10. 16. הַגֵּד הִגִּיד לנו *indicando indicavit nobis* &c. ex Hiphil. Ruth. 2. 11. הֻגֵּד הֻגַּד לי כל אשר עשית *indi-*

indicando indicatum fuit mihi omne quod feciſti &c. ex Hüphal : de cujus infinitivo conf. Inſtit. §.41. II. 1. in notis. Nomina per nudum ה præformativum aucta, in Scriptura quidem rariora sunt v. g. Ezech. 22. 22. כְּהִתּוּךְ כסף בתוך כור *ſecundum liquefactionem argenti in medio catini* : ſed Rabbinis frequentiſſima, formæ הבדל *differentia*, v. g. Bava bathra f. 133. a. l. ult. הוא סבר יש לה הפסק ורחמנא אמר אין לה הפסק *ipſe opinatur, quod hæreditati detur abruptio ſ. inhibitio*, *Miſericors verò dixit, non fore ipſi abruptionem* : Vid. Maimon in Hilc. זכירה cap. 12. §. 4. Idem *Maim.* Comment. ad Cod. Sanhedr. cap. X. poſt Gemaram l. c. f. 119. col. 2. l. 43. עד שיהיה להם כח והרגל והשתדלות *donec fuerit ipſis facultas, & aſſuefactio* ſ. *conſuetudo, atque conatus.* Ita הֶפְסֵד *damnum*, הֶתֵּר *ſolutio*, ex נתר, ac infinita alia. *g* י deſignat 3. maſc. futurorum, v. g. Gen. 43. v. 14. אל שדי יִתֵּן לכם רחמים *Deus omnipotens det vobis miſericordiam* : Eſth. 5. 3. וְיִנָּתֵן לך *& dabitur tibi* : Pſ. 20. 6. יְמַלֵּא יהוה כל משאלותיך *impleat Dominus omnes petitiones tuas* : Prov. 28. 13. ומודה ועוזב יְרֻחָם *ſed confidens* (prævaricationes ſuas) *& deſerens, afficietur miſericordia* : Num. 6. 25. יָאֵר יהוה פניו אליך *lucere faciat Dominus faciem ſuam erga te* : 1. Sam. 11. 13.

לא

מ [h], item ת cuidam præcedentium poſt-

לא יוּמַת איש ביום הזה *non interficietur quiſpiam hoc die:* Jeſ. 65. 16. יִתְבָּרֵךְ המתברך בארץ באלהי אמן *quiſque benedicturus ſibi in hac terra, benedicet ſibi per Deum Veracem.* Interdum format Nomina hëemanthica, Appellativa quidem raò admodum; Propria verò frequentiſſimè, v. g. Joël 1. 10. אמלל יִצְהָר languet oleum; ad cujus formam eſt יִצְחָק *Iſaac:* 1. Sam. 17. 4. וּבַיַּלְקוּט *hoc eſt, in aliquam peram* formâ quaſi ex Hiphil & Kal mixtâ; ad quam inclinat proprium יַעֲקוֹב *Jacob.* ſed יוֹסֵף *Joſephus*, יְהוֹשֻׁעַ *Joſua*, יְהוֹנָתָן *Jonathan*, יָכִין *Jachin* Simeonis filius Gen. 46. 10. &c. formantur ex Hiphil. יששכר pro יִשָּׂכָר *Iſaſchar*, ex Niphal, alia ex aliis.

h מ Participia ſignat, v. g. Prov. 24. 5. איש דַעַת מְאַמֶּץ כוח *vir intelligentia fortificat robur:* Avoth. c. 2. θ 15. R. Tarpon inquit: היום קצר והמלאכה מרובה והפועלים עצלים והשכר הרבה ובעל הבית דוחק i. e. *dies brevis eſt, & opus multum* (ars longa, vita brevis) *ac operarii pigri, merces autem magna, & pater familias urget.* Ibid. th. 7. Rabban Gamaliël f. R. Judæ dixit: מרבה בשר מרבה רמה מרבה נכסים מרבה דאגה· מרבה נשים מרבה כשפים· מרבה שפחות· מרבה ומה· מרבה עבדים· מרבה גזל· מרבה תורה

Utuntur Doctores Talmudici hoc loquendi modo reſponſionis loco, quum de objectionis validæ & ſpecioſæ ſolutione haud conſtat: *Sunt*, inquientes, *qui di-*

cunt: opponentem hoc alii vero alio modo ſibi habuiſſe reſponſum, vid. בבא בתרא III. 2. בבא קמא IX. I. זבחים LXIII. I.

Præterea formula hac occurrente indicatur, ſententiam omnium fere ferre calculum, quosdam tamen eſſe ad aliam deflectentes opinionem: quandoque phraſi hac præcedenti argumento nihil probationis accedit vid. מועד קטן VII. I. ביצה XIII. I. גיטין XLV. I. Nonnunquam hæc loquendi forma geminatur.

איכא דאמרי איכא דאמרי. Vid. זבחים LXIII. I. חולין XCVII. 2. CII. I. תענית II. 2. XIII. 2.

אימא סיפא אלא סיפא רישא כאומר. *Quæro* quare *in fine* Miſchnæ (hoc vel illud doceatur?) ſed reſpondetur (Doctorem Miſchnicum) *In Miſchnæ fine hoc vel illud tradere, eandem ob cauſam Miſchnæ initium hunc fundere ſenſum.*

Genus loquendi vere Talmudicum, quo Doctores Gemarici utebantur, e Miſchnæ fine ad objectionem ex ejusdem Miſchnæ initio petitam ſive illi adverſantem, reſpondentes.

Exemplum eſto, quod obvium eſt in *Gem.* נזיר V. 2. ubi Padaidi objicitur quo modo

modo affirmare auſit, eum qui votum Naziræatus nuncupaverit, 29. tantum dies Deo eſſe ſanctum; cum Doctor Miſchnicus in traditionis initio doceat Naziræo primo & trigeſimo Naziræatus die, cæſariem eſſe tondendam; quo argumento reliqui Rabbini ſtatuant Naziræatum 30. dierum eſſe. Verum huic objectioni Padaides occurſurus *quærit*, quo pacto ideoque *in fine Miſchnæ* doceatur Naziræum, quod ſi trigeſimo die caput raſerit voto eſſe ſolutum; hoc utique Magiſtrorum ſententiæ adverſari docentium, triginta diebus in Naziræatu exactis demum comam Naziræi tondendam eſſe? Denique Padaides ſibi ipſi reſpondet: *quoniam in fine Miſchnæ docetur* Naziræum 29. dies duntaxat Deo ſacrum eſſe: *eandem ob cauſam Miſchnæ initium hunc fundere ſenſum*: trigeſimum diem non ad Naziræi votum, ſed comæ tonſionem pertinere.

איצטריך ליה ס״ד. *Neceſſe eſt* (in hoc diſputare caſu) *ſecus enim putares.*

Gemarici hoc loquendi modo utuntur, reſponſuri ad objectionem, cur ritus aliquis iterum diſertis præcipiatur verbis, utpote qui ob decretum, jam alio in loco

ſancitum, ſatis evidens ſit? *Neceſſe eſſe* (tum inquiunt in hoc diſputare caſu) *ſecus enim putares.*

Ita in סנהדרין XVIII. I. habetur, ſummum Sacerdotem, ſi aliquem aperta vi, & ex proæreſi interfeciſſet mortis ſupplicium ſubiiſſe: ſin vero inſcius cædem commiſiſſet, aditum ei ad civitates refugii patuiſſe. Hinc objicitur, nugas agi, quoniam omnes homicidæ capite plectendi, cunctisque qui invite cædem patraverant conceſſum erat ut ad aſyla confugerent. Verum reſpondetur: non nugas agi, *ſed neceſſe eſſe* in hoc caſu diſputare, *ſecus enim putares*, ad Pontificem M. certas ob rationes, legem hanc non ſpectare, vid. בבא קמא III. I. LII. I. בבא מציעא LXIV. 2. בכורות XX. I. מגלה IV. I. IX. 2. חגינה LI. I. סנהדרין XVIII. I. 2.

Congruunt cum hac loquendi forma.

אימא לא צריכא. *Dicerem, non* (hoc ita ſe habere) ideo *neceſſe eſt*, confer: זבחים IX. 2. חולין V. 2. סנהדרין XXV. 2. XXXVI. 2. בבא מציעא LI. I.

אימא לא קא משמע לן. *Haud ita eſſe contenderem, hanc ob cauſam docet*, vide ſis מגלה XVIII. I. סנהדרין XVIII. 2. בבא מציעא

מציעא LXIV. 2. בבא קמא LII. I.

אינו דין ש׳. *Non ne æquum eſt ut &c.*

Eſt hæc argumentatio tam a majori ad minus, quam a minori ad majus, uti ſequens exemplum demonſtrat.

In Codice זבחים XI. 2. quæritur e R. Joſuæ ſententia, cum agnus paſchalis, ſuo nomine non vero ſuo tempore jugulatus, idoneus pronuntietur, alia autem ſacrificia eodem tempore, paſchalis agni nomine jugulata, legitima cenſeantur: *Nonne æquum eſſet ut*, cædem hoſtiæ die 14. menſis Niſan, tempore agno paſchali proprio, paſchatis nomine mactatæ idoneæ eſſent? quia agnus paſchalis ſuo nomine hoc die jugulatus legitimus habetur vid. זבחים LV. I. בבא קמא LXXXVIII. I. סנהדרין XXXV. 2. XXXVI. I.

איכו. Occultiori loquendi modo apud antiquos Hebræorum Magiſtros voce hac ſignificabatur, quod apud recentiores dictione אם כן. *Si ita eſt.* Vid. חולין XCV. 2. חגיגה V. 2. תענית III. 2.

איני idem quod אין & plerumque ſequitur והא ubi objectionis ſignificationem habet; vid. חגיגה V. 2. תענית X. 2. מועד קטן IV. 2.

איסור כולל. *Interdictum generale*:

 Magi-

Magiſtri ita vocant præceptum rem alicui interdicens, ubi quidem res non gravius atque jam eſt prohibetur, ſed quivis ut certo tempore illa abſtineat monetur: quod e ſequenti clarius patet exemplo.

In crimen ob *interdictum generale* is veniebat qui expiationis die, adipe veſcebatur; adipem enim comedere ſemper religio erat; expiationis autem die plane nefas habebatur. Igitur altera interdicti pars rem jam vetitam quidem concernebat, altera autem maxime perſonam ne re vetita expiationis die uteretur, vid. כריתות LXXXVI. I.

איסור מוסיף. *Prohibitio ſuperaddens.*

Is Talmudicis dicitur caſus cum res jam vetita nova prohibitione vetatur, quod in ea licitum erat: utroque prohibitionis gradu a re prohibita proficiſcente.

V. G. lege cautum erat, ne quis ſacrificiorum reſiduo veſceretur; adipem vero quemcunque comedere, ſtatuto perpetuo jam interdictum erat. Si quis igitur adipem hunc liquidum, a ſacrificiis reſiduum comediſſet, illi bina offerenda erant ſacrificia; alterum propter adipem, alterum, quia reſiduum fuerat ex ſacrificii reliquiis, vid. חולין LXXXVI. I.

אכולי משמע או דלמא, אפלגי משמע. *An hoc*

hoc de tota (re) an forte de parte ejus intelligendum.

Ut formula hæc eo clarius intelligatur, in memoriam revocandum exemplum ſuperius ſub אבעיא להו allatum, ubi docetur ſi quis aliquem audiviſſet dicentem: Naziræus ero hac conditione ut comam radere mihi ſit integrum; hocve audiens dixerit: Ego quoque: Unde quæritur, *an verba hac de tota* (priori oratione) *an forte de ejus parte ſint intelligenda*: videlicet an poſterior teneatur ad utrumque obſervandum; an ad alteram effati duntaxat partem, ſcilicet Naziræatus votum, non autem capilli tonſionem vid. נזיר xı. 2.

אלא. *Verum.*

Multiplex ſenſus eſt hujus dictionis, ſignificans: Doctorem Gemaricum, ſententia ſua relicta, meliorem arripere poſtquam ab alio dubium contra illam prolatum eſſet. Quoties vero deciſionis Auctor argumentum objicit, אלא ſequitur quamvis, nulla præceſſerit objectio. Varia junguntur cum hac voce, quorum exempla hæc ſunto.

אלא טעמא דפלוני. *Verum ratio* ꝫ N. *eſt.*

Doctores Gemarici uſurpant hanc formulam, quum Doctor Miſchnicus ritum aliquem definivit; & ratio ambigua quæ in Gemara profertur, ſententiam contrariam

riam ſtabilire videtur. Hinc objicienti, hanc opinionem nullam probabilitatis ſpeciem præ ſe ferre, reſpondetur: Ritum hunc ab omnibus probari. *Verum rationem* aliam *eſſe* & N.: Cum vero prima ratio rejicitur aliaque adfertur dicitur.

אלא היינו טעמא דפלוני. Vid. יומא LXIV. I.

Ita in Codice זבחים 111. 2. R. Juda, nomine Rabh aſſerere contendit, ſacrificia piacularia ſub nomine holocauſtorum mactata illegitima, ſub nomine profanorum animalium autem jugulata, legitima eſſe; quod ratione probatur, quæ Canone Talmudicis alias uſitato nititur: כל דמינה מחריב בה דלא׳ מינה לא׳ מחריב ברה. *Res ejuſdem ſpeciei, ſe invicem ſanctitate privare poſſunt* (v. g. ſi ſacrificium piaculare vice hoſtiæ pro delicto, quæ ejusdem ſunt ſpeciei, fuerit oblatum, *res autem diverſæ ſpeciei vel gradus, nequaquam.* Id quod contrariam corroborare videtur ſententiàm, videlicet res diverſi ſanctitatis gradus, ſe non invicem ſanctitate poſſe privare, adeoque ſacrificium piaculare ſub nomine holocauſti mactandum eſſe, quoniam in ſacrificio piaculari & holocauſto, varii ſunt ſanctitatis gradus. Idcirco additur.

Aliam

Aliam R. Judæ eſſe rationem e Lev. XXII. 16. petitam vid. פסחים I. I.

אלא לעולם תני הכי ותני הכי. *Igitur ſemper* (obſervandum Doctorem Miſchnicum) *Miſchnam modo hac, modo illa methodo interpretari.*

Obſervandum formulam hanc occurrere, quoties Doctor Miſchnicus, non certum aliquem obſervat ordinem; ſed traditionem quam in Miſchna priori poſuit loco, ultimo exponit; aut quam poſteriori loco attulit, prius interpretatur; Additur enim: *Igitur ſemper obſervandum &c.* verum unumquodque peculiarem habere rationem.

Ita in Cod. נזיר obſervatum Doctorem Miſchnicum in tract. שבת Cap. II. m. I. id quod poſteriori loco collocaverat, primo explicare; interrogavit nempe qua re Sabbatho lucernam accendant, & qua re non accendant? explicans, quanam re non accendatur, quam quæſtionem poſteriori tamen adduxerat loco. In בבא בתרא contra Doctor Miſchnicus inverſo procedit ordine, id enim quod primo in Miſchna propoſuerat, nempe quod quidam ſint, qui ipſi hæredes ſunt & hæredes ſibi conſtituunt; primo etiam loco interpretatur, hæcque adjicitur formula: *Igitur ſemper obſervan-*

ſervandum, *&c*. Vid. נזיר II. I.

אלא מסיפא. *Verum e* (Miſchnæ) *fine* (probatur).

Modus hic loquendi uſitatus, cum quædam cæremonia, certa ratione in Miſchna affirmatur, & negatur: Porro cum caſus aliquis medius proponitur cui Miſchnæ initium adverſatur, finis vero patrocinari videtur, caſus hic ex ejusdem Miſchnæ fine probatur.

Exemplum ſit quod docetur in Cod. זבחים II. 2. in initio, hoſtiam ſub ſuo & ſimul alio nomine jugulatam (v. c. agnus paſchalis ſub agni paſchalis & ſalutaris hoſtiæ nomine) illegitimam eſſe; In fine vero ejusdem Miſchnæ traditur, ſacrificium סתם *abſolute* (i. e. ſub nullo plane nomine), & ſimul ſub nomine ſacrificio illi competente, jugulatum, legitimum eſſe. Porro medius quiſpiam ponitur caſus: ſi nempe סתם abſolute tantum mactatum fuerit, quid tum ſit ſententiæ? & reſpondetur quamvis traditionis initium videatur refragari, tamen in ejus fine implicite omnino doceri, ſacrificium abſolute mactatum illegitimum eſſe, adhibita hac formula: *Verum e* (Miſchnæ) *fine* (probatur). Vid. זבחים III. I.

אלא האי קא משמע לן. Vis & uſus hujus

jus formulæ videatur ſub litera ר.

אלא בדין הוא ד׳ ומשום דקתני סיפא קתני רישא. *Sed præſtaret ut* (Doctor Miſchnicus in Miſchnæ initio hujus rei non injiceret mentionem,) *quia vero in* (Miſchnæ) *fine ejusmodi phraſi utitur, in initio ejus mentionem etiam facere debuit.*

Infra poſita auctoritas vim & emphaſin hujus loquendi modi demonſtrabit.

In Tract. נזיר xv. 1. docetur quod ſi quis naziræatu 100 dierum ſuſcepto, aliud inſuper naziræatus votum, 30. dierum nuncupaſſet; quod ſi filius ſibi naſceretur, & filius optatus ante ſeptuageſimum diem naziræatus naſceretur, Patrem non niſi 30. dies ut naziræum tranſegiſſe, votumque pro filio 30 dierum in 100. illis diebus comprehendi. Id quod quibusdam anſam præbuit objiciendi: ſatius fuiſſe ſi Doctor Miſchnicus ultima verba prioris caſus omiſiſſet (videlicet ſi ante ſeptuageſimum diem naziræatus ei filius natus fuiſſet, quod duntaxat 30. dies in naziræatu fuerint tranſigendi. Ad quod reſpondetur: *verum præſtaret ut Doctor Miſchnicus hujus caſus non injiceret mentionem, quia vero in Miſchna fine ſimilis caſus adfertur* (ſcilicet ſi poſt ſeptuageſimum naziræatus ejus diem filius ei natus fuiſſet, quid tum ſit dicendum?) *idcirco*

in

in initio Miſchnæ ejusmodi caſus (nempe ſi ante ſeptuageſimum diem naziræatus, filius ei natus fuiſſet) *mentionem etiam facere debuit.*

אלא פלוני דאמר כפלוני דתניא. *Verum N. eſt qui dicit ſecundum N. nam traditio eſt.*

Formula hæc uſurpatur, cum Doctor Gemaricus proponit ſententiam cum alio communem, hinc ad interrogationem, quænam ſit hujus ſententiæ ratio? reſpondetur: *Verum N. eſt qui dicit &c.*

Ita in Codice נזיר quæritur; quam ob cauſam Rabh 70. dies naziræatus, de quibus in antecedenti exemplo; כאן לכאן tam ad præteritum, quam futurum votum ſcilicet 30. dierum referat? & reſpondetur: *Verum Rabh eſt qui dicit ſecundum ſententiam R. Joſæ, nam traditio ejusmodi eſt.* Vid. נזיר xv. 2.

אלא מאי איכא לך למימר. *Sed quid tum tibi dicendum.*

Uſus hujus loquendi modi ex adducto loco interpretandus eſt.

In Codice תמיד LXIII. 2. legitur: Ligna in altari comburenda, e ficu, nuce & pinu deſumenda fuiſſe, quibus R. Eliezer addit buxum, dabulam & Sycomorum &c. Vitiginea & oleaginea autem altari

altari admovere nefas fuiſſe : qua de re Rabh Papa hanc reddit rationem, quia ligna hujus generis nimium fumum excitaſſent. Rabh Acha Achaides vero mavult ideo vetita fuiſſe, ne terra Canaan vitibus & oleis conſita, his arboribus ſpoliata vaſtaretur. Hæc ratio evertitur, objiciendo : nonne exciſis dabulis futurum fuiſſet, ut terra quoque vaſtaretur ? in quam ſententiam & alius quiſpiam ivit rogans : quale de ficu judicium ſit ferendum? hac adhibita formula : *Sed quid tum dicendum? &c.* Conf. בבא מציעא LVI. 1. גיטין XLIII. 2. ראש השנה XIII. 1.

אלא מהא מהכא דתנן. *Verum* (hoc) *inde* (probatur) *quia docemus.* Vid. זבחים II. 2. III. 1. בבא מציעא XXXIV. 1. חולין V. 1.

אלא כי הא דאמר פלוני. *Verum ita eſt, quemadmodum N. dicit :* vid. נזיר IV. 1. ערכין XXII. 2.

אלא כיון ד׳. *Quoniam vero ſe hoc ita habet.* Vid. זבחים IV. 2. חולין IV. 1.

אלא אמר רב אמר קרא. *Sed Rabh dicit, Scripturam innuere.* Vid. תמיד LXII. 2. נזיר X. 1.

אלא הכי קתני. *Verum ita docet.* Conf. כריתות XC. 2.

אלא אימא. *Sed dicam.* Vid. בבא מציעא LVIII. 2. LXII. 1. זבחים LXIV. 2.

Sequitur alia dictionis אלא ſignificatio: quoties enim Doctores Gemarici, in dubio aliquo formando, ea utuntur, objectionem denotat; quam neque opponens, neque Miſchnæ Auctor *ſolvit. Exempla quæ ex variis codicibus coacervavi dicta demonſtrant.

אלא מעתה נבי. *Verum* (nonne) *nunc quoque* (dicere poſſum?)

Utuntur hac loquendi forma Doctores Gemarici, e Scripturæ ſive Miſchnæ phraſi, aut alia ratione ritum quempiam definientes, unde ſimili dicendi forma, alio in loco occurrente, quærunt: an non illic ſimilis ritus definiendus? hac utentes formula: *Verum nonne nunc quoque dicere poſſum.*

Ita phraſis *Lev.* XXVII. 10. המר ימיר Hebræorum Magiſtris probare videtur non binas ſed unam licuiſſe hoſtiam permutare: hinc idem Lev. XXVII. 31. innui arbitrantur, quærentes; an verbis גאל יגאל idem indicetur? nempe haud duos, ſed unum hominem duntaxat ſacrificia redimere poſſe, hac addita formula: *Verum nonne &c.* vid. פסחים VI. I. LVI. I. פסחים I. I. סנהדרין XXII. 2. חולין I. מכות VIII. I. III.

III. I. בבא קמא IX. 2. חגיגה X. 2. סוכות II Col. I.

אלא מה תלמוד לומר. *Sed quem locus ille fundit ſenſum?*

Quando ex aliquo Scripturæ dicto ritus probari quidem poteſt, ſed cui alius locus aut etiam phraſis quædam refragatur, formula hæc quæſtionis vicem gerit: quinam ideoque ſit prioris loci ſenſus?

Ita e Lev. I. 4. verbis וסמך ידו על ראש העלה ונרצה לו לכפר עליו. *Et imponat manum ſuam capiti holocauſti, ut ſit acceptum pro ipſo ad expiandum ipſum,* Magiſtri colligunt manuum impoſitionem expiationem impetrare. Cum autem *Lev.* XVII. c. II. diſertis dicatur verbis, non niſi ſanguine effuſo expiari poſſe peccata, quæritur: *quinam igitur ſit loci prioris ſenſus?* Vid. זבחים VI. I.

אלא מאי קא משמע לן. *Verum quid nos eo docet?* Vid. זבחים XII. I.

אלא הא דאמר פלוני. *Verum quid ſibi vult quod N. dixit?* Vid. בבא קמא c. I.

אלא הא דתניא. *Verum quid ſibi vult hoc quod docetur?* Vid. שבת CXVII. 2.

אלא מאי אי הכי. *Sed quomodo tum ſe res habet?* reſp. (hoc vel illo pacto) *ſi ita eſt*

(hoc objicere poſſum) conſ. בבא מציעא LXV. 2.

אלא מעתה הא דאמר פ׳. *Verum nunc* (cum hoc ita ſe habeat) *ecquid iuxta N. dicendum?* Vid. חגיגה xx. 2. נזיר xxvi.

אלא מעתה דכתיב. *Verum nunc* (quid ſecundum id dicendum) *quod ſcriptum.* Vid. סוכה fol. v. 2.

אלא לאו שמע מינה. *Verum an non ita inde diſcis?* Vid. סוכה iii. 1.

אלמא. Frequenter Doctores Talmudici, hac voce orationem exaggerant æque in objectionibus, ac reſponſionibus ea utentes: Idemque fere in objectionibus ſignificat quod לכה & tunc legitur אַלְמָא, alias vero אַלְמָא. Vid. סוכה vii. 2. שבת xxiii. 2.

אלמא חנו תניא. *Cur igitur docetur?* Vid. בבא מציעא xxxiv. 1. חולין lxxx. 1. מנחות cv. 1.

אלמא אתא קרא אפקיה מק״ו. *Igitur Scripturæ locus hoc, argumento a minori ad majus eximit.*

Talmudici ſemper pene hac utuntur loquendi forma, cum cæremonia quædam argumento a minori ad majus demonſtrari quidem poteſt, ſed argumentandi vis Scripturæ loco enervatur.

Hoc modo in Codice זבחים probatur ſacra profanis ad immolandum poſſe illegitima

gitima reddi: quia res ſacræ ſe invicem ſanctitate orbare poſſunt; quanto magis profana poterunt illegitima facere ſacra. Hoc vero argumentum tollitur loco Scripturæ e Lev. XXII. c. 15. petito, ac additur. *Igitur Scripturæ locus hoc, argumento a minori ad majus eximit.* Vid. זבחים III. 2.

אלמא מבעי ליה. *Igitur hoc eodem ſe habet modo.*

Uſus hujus formulæ ex infra ſcripto patet exemplo.

In בבא בתרא II. 2. III. 1. traditur: quod ſi paries in vicini aream ruiſſet, areæ Dominum illum reficere debuiſſe: verum non 4. ulnis altiorem extruere fas fuiſſe, ne vicini proſpectui officeret. Porro ibidem docetur, quod ſi porta ad tres vel quatuor vicinos pertinens, collapſa fuerit, neminem eorum ad eam ſtatim reparandam fuiſſe obligatum. *Ergo* ſi ratio illa de proſpectu procederet, *ſequeretur, hoc eodem ſe habere modo* videlicet, portam ne ejus ruina officeret viſui vicini, confeſtim reparandam fuiſſe: vid. בכורות XXXII. 2. תמיד XLII. 1. חולין IV. 2.

Quandoque אלמא abſolute ponitur, vid. ערובין I. LXXX. 1. בבא בתרא III. 1. VI. 1.

אליבא דפ׳ לא קא אמינא כי קא אמינא.

 Secun-

Secundum (ſententiam) *N. nihil dicendum verum inquam &c.*

Forma hæc loquendi congruit cum אי אליבא דפלוני niſi quod præpoſita particula אי, objectionis, heic vero reſponſionis ferat ſignificationem: quodve memoratus auctor non indicet propriam ſuam ſententiam, ſed duntaxat ex alius mente ſententiam proponat. Vid. בבא מציעא XLVII. 2.

אליבא דפ׳ לא תיבעי לך דלא פליגי כי פליגי. *Secundum* ꝫ *N. ſententiam an ex Te quaritur? nam non de eo diſputant, verum in alia re diſſentiunt* &c. Conf. מעילה XXXVI. 2.

אליבא דפ׳ לא תיבעי לך כי תיבעי וכו׳. *Juxta ſententiam* ꝫ *N. non ex Te quaritur verum quod quaritur aliud eſt &c.* Vid. שבועות XXXIII. 1.

אלו לא נאמר קרא הייתי אומר ג״ש. *Niſi Scriptura locus eſſet propoſitus, per comparationem argumentum deducerem.*

Formula hac cum אתא קרא אפקי concordante, multis de ea diſputare ſuperſedeo, vid. בבא מציעא LXI. 1.

אמאי נימא. *Quamobrem dicere potuiſſet?*

Genus loquendi vere Gemaricum, quo utun-

Digitized by Google

utuntur cum ſententia conſtitutione quadam nitens proponitur, & ab opponente alia conſtitutio adducitur, ex qua patet prioris conſtitutionis fundamentum nihili eſſe.

Ita in בבא מציעא xxxvi. 1. traditio habetur qua quæritur: quod ſi depoſitarius alterius fidei commiſiſſet depoſitum ſibi concreditum, apud quem deterius factum eſſet, quid tum fuerit ſententiæ? Rabh neutrum damni illati reum pronunciat, Rabh Jochanan vero ſtatuit, priorem damnum reſarcire teneri; & hanc quidem ob cauſam; quod primus depoſitor dicere potuiſſet; rem meam aliorum curæ committere nolo. Adverſum hoc Rabba filius Chama objicit: aliam quoque reperiri traditionem; ſi quid aliquis quod ſuæ fidei commiſſum, ſuis dediſſet liberis ſervandum, hos ſi majorennes fuerint, remque depoſitam deteriorem fecerint, damnum hoc reſarcire non teneri. Si igitur prior ſententia firma eſſet hic exciperetur caſus, *quare hicce depoſitor dicere potuiſſet?* rem meam depoſitam aliorum curæ committere diſplicet. Vid. בבא מציעא xxxvi. 1. בבא קמא 11. 1.

אמאי ליהוי. *Quamobrem? potius ita ſit.* Vid. יבמות LXVI. 1.

אמאן. Convenit hæc dictio cum אה״א: hac

 obſer-

obſervata differentia, quod hac quæſtione ſemper pene auctor aliquis reſpiciatur, videlicet *juxta cujus ſententiam* hæc vel illa conſtitutio ſit.

אמאי והא קאמר. *Cur* (hoc ita foret?) *utique ita dixit.*

Formula hac ferme ſemper uſi ſunt Hebræorum Magiſtri, cum conſtitutio aliqua aliis rebus aperte refragari videtur, hinc hac formula quærunt: *cur* (hoc ita foret?) *utique ita dixit.*

Hujusmodi conſtitutio occurrit in Tractatu נזיר. Etiamſi quis dixerit: Naziræus ero uſque ad vitæ finem, hunc non niſi 30. dies in Nazireatu tranſigere. Hoc cum alicui mirum viſum, quo pacto hæc conſtitutio locum habere poſſit, cum diſertis ille dixiſſet verbis: ab hinc uſque ad extremum vitæ ſpiritum Naziræus ero; igitur mirabundus quærit: *cur* (hoc ita foret,) vel quî hoc ita fieri poſſet, cum *utique revera dixerit:* Naziræus ero uſque ad vitæ finem. Vid. נזיר VII. I.

אמאי הא. Forma hæc loquendi idem cum antecedenti ſignificat, conf. מגלה XXVI. I. חולין XXXV. I.

אמאי אמר רחמנא. *Cur hoc ita eſſet? cum in ſcriptura dicatur.* Vid. זבחים XCVI. I.

אמאי ולטעמיך. *Quamobrem ita foret? cum te ipſo*

ipſo confitente &c. Vid. זבחים LVII. I.

אמאי ליחוש מא. *Quare* (hoc ita eſſet?) *utique divinandum.* Vid. חולין IV. I. כריתות XC. I.

Nonnunquam dicitur וליחוש דלמא, vid. כתובות LXXXIX. 2.

Aliquando legitur וניחוש דלמא. *Hoc ponderandum forte* (regeri poſſet). Vid. בבא בתרא fol. CLX. col. 2.

אמר פלוני ב׳ כולי עלמא לא פליגי כי פליגי ר׳ פ׳ סבר ופ׳ סבר. *Regerit N. uno ore comprobare omnes, duobus illis Doctoribus, non hanc ſed aliam deciſionem eſſe controverſam; nam alterum hoc, alterum vero illud perhibere.*

Cum duo Doctores Gemarici de ambiguo cujusdam deciſionis ſenſu diſceptant; & ab opponente controverſiam non percipiente argumentum objicitur, hæc loquendi forma adhibetur; opponentem deciſionem non intelligere, etenim *uno ore comprobare omnes &c.*

Ita in Codice נזיר VII. I. traditio habetur, R. Jochanan & Riſch Lakiſch diſputare, utrum is qui Naziræatum in impuro loco in ſe ſuſcipit, vapulet? Tum alius id non intelligens, ratus memoratos Doctores in eo diſputare, an is qui Naziræatum in religioſo loco aut in ſepulchro

 ſuſce-

ſuſcepiſſet, Naziræus nominari queat; dubium contra hoc aliquod movit, cui reſponſum, *Uno ore comprobare omnes non hanc ſed aliam deciſionem Doctoribus illis controverſum eſſe.* חגיגה VII. 1.

אמר לך פלוני כולי עלמא סברי והכא בהא פליגי. *Reſpondet tibi N. omnes aſſerere rem hoc vel illo pacto ſe habere, verum de hoc illos diſputare.*

Quoties quæſtio præceſſit: an eadem diſſenſus Doctorum de quadam materia diſputantium ſit origo, quæ aliis de alia materia differentibus diſceptandi anſam præbuit? reſpondetur minime! Etenim omnes, id eſt ambo in eo conveniunt aliam eſſe horum diſſenſus originem, tumque per כולי עלמא ſive *omnes*, duo alii tantum intelliguntur Doctores. Aliquando formula hæc ita concipitur ואיבעית אימא דכולי עלמא סברי והכא בהא קא מיפלגי. Vid. סוכה VI 2.

Ita R. Joſi & Rabbi diſputant, an Naziræo comam alere integrum ſit? hinc quidam exiſtimavit eandem eſſe horum diſſenſus originem quæ eſt Rabh Matnæ, & Padaidis, nempe an Naziræus 29. dies voto obſtrictus ſit? & reſpondetur minime! nam omnes i. e. R. Joſi & Rabbi eandem amplectuntur ſententiam, videlicet

cet Naziræum 30. dies Deo eſſe ſacrum, verum eorum diſſenſus oritur a voce עד an phraſis, *Num.* VI. 5. עד מלאת הימים. *Uſque dum compleantur dies illi*, Naziræatus finem includat? &c. Conf. נזיר VI. 2.

אמר פלוני חלוק היה פלוני אף ברישא.

Regerit N. N. in priori caſu in Miſchna initio allato quoque diſputare.

Cum duo caſus ejusdem cæremoniæ proponuntur, & Doctor Gemaricus controverſiam de poſteriori duntaxat movet; cum prior cujus in antecedentibus Miſchnæ verbis mentio facta tamen æque ambiguus ſit, & ideo objectio formatur, hæc adhibetur reſponſio. *Regerit N. N. in priori caſu &c.*

Reperiuntur hujusmodi caſus in Codice נזיר XI. 1. ubi traditur ſi quidam Naziræatum ſuſcipit, hac conditione ut vinum bibere & ad mortuum accedere ſibi integrum ſit, eum Naziræum eſſe & ei illicitum eſſe vinum bibere, & ad mortuum accedere. Poſterior vero caſus eſt, quod ſi quis dixerit: bene novi, cum quis votum nuncupaverit ſe fore Naziræum, illi quibusdam rebus eſſe abſtinendum: verum neſcio, an illi vinum aut alium potum inebriantem bibere licitum ſit. De hujusmodi R. Simeon quæſivit an Naziræus

ræus appellari poſſit? Hinc ad quæſtionem cur R. Simeon de priore non quærat R. Joſua filius Levi reſpondisſe fertur, *R. Simeonem iiſdem verbis quoque de priori caſu in Miſchna initio allato diſputare* נזיר xi. i.

אמר לך ההוא לדרשא. *Reſpondet tibi N. ſe loco hoc ad aliam traditionem probandam uti.*

Magiſtri præcipue adhibent hanc loquendi formam, cum duo Doctores de conſtitutione quadam diſputantes, ſuam uterque ſententiam ſuo modo probat, alterque interrogatur quid ſibi de probatione adverſarii ſui videatur? cumque reſpondendum illum loco longe aliud demonſtrante uſum esſe, hæc formula occurrit.

Exemplum dicta illuſtrabit, quod in Codice נזיר reperi: ubi quæſtio proponitur, quod ſi quis abſolute absque temporis definitione votum Naziræi ſuſcepisſet, quantum temporis in Naziræatu tranſigere debuerit? Rabh Matna arbitratur 30. dies, hoc nixus argumento, quia Num. vi. legitur, קדש יהיה; יהיה vero numerum trigeſimum complectitur; verum Padaides 29. tantum dies Deo esſe ſanctum Naziræum inde asſeruit, quod vicies novies Naziræi in Sacris Literis mentio occurrat; Unde Rabh Matnam rogarunt; numne

ſatis

ſatis firmum ſibi hujus videretur argumentum? Minime Rabh Matna, inquit, quoniam non ideo vicies novies Naziræi in Scriptura ſit mentio, ut inde hi 29. Naziræatus dies concludantur, *ſed hoc aliud quid probare &c.* Vid. נזיר v. 1.

אמר לך פלוני איידי ד' משום הכי נמי. *Reſpondit tibi N. Miſchnæ phraſin per accidens duntaxat adferri.*

Eſt hic loquendi modus in Gemara frequens, cum de conſtitutione quadam a duobus Doctoribus allata diſceptatur; alterque Miſchnæ loco ſuam ſententiam evidenter ſatis demonſtrat. Alter ideoque rogatus, qua igitur ratione hunc locum, tum ſuæ ſententiæ contrarium declinare poſſit? reſpondere ſæpius ſolet hac formula: *Miſchnæ phraſin* non eo fine quo adverſarius vult, ſed *per accidens duntaxat* & aliud quid probantem, *adductam eſſe.*

In *Gem.* נזיר docetur Naziræum 30. dies voto eſſe obſtrictum; porro dicitur hanc conſtitutionem ſecundum Rabh Matnæ ſententiam eſſe, ſed quænam eſt ſecundum Padaidem hujus Miſchnæ explicatio? ac reſpondetur: *Padaidem* Naziræatum 29. dierum ſtatuentem *ita eam exponere:* In Miſchna equidem mentionem fieri 30. dierum, verum non eo fine, ut inde Naziræatus

ræatus evincatur, *ſed hunc numerum trigeſimum per accidens duntaxat adduci*, Naziræum ſcilicet trigeſima die voti ſuſcepti, comam radere potuiſſe. Vid. נזיר v. 2.

Aliquando formula hæc ita occurrit:

אידי דתנא רישא תנא נמי סיפא. *Cum Doctor Miſchnicus* (Miſchnæ) *initium per accidens adducat*, *ejus finem eodem modo proponere debuiſſet.* Vid. חולין LV. 1.

אמר פ' במחלוקת שנוי ופלוני היא. *Reſpondit N. diſputando hac eſſe tradita*, *verum deciſionem eſſe ſecundum N.*

Propriam vim hujus formulæ ex infra poſita auctoritate diſcimus. In Cod. נזיר IX. 2. docetur, quod ſi quis votum nuncupaverit, vovendo ſe munus hordeaceum oblaturum eſſe, votum tritico ſolvere licuiſſe, addita hac ratione quia hordeum offerre nefas: quum vero hordeum ſit frumenti ſpecies, quemadmodum triticum, tritico etiam exſolvi potuiſſe quia itidem frumenti ſpecies. Poſtremo quæritur ecquem hæc deciſio habeat auctorem? ad quod *Chiskia reſpondiſſe fertur*, *hoc diſputando eſſe traditum*, *& Schammaanorum redolere ſententiam.*

אמר פלוני. *Dicit N.*

Formula hac abſolute occurrente, prior diſputatio non infringitur ſed potius ſtabili-

bilitur, aut aliquid explicationis cauſa additur. Cum vero invertuntur verba פלוני אומר *N. dicit*: tum deciſio non approbatur verum aliquid excipitur. Cum variis jungitur formulis, videlicet:

אמר ר' פלוני אמר ר' פלוני. *Rabbi N. dixit Rabbi N. hoc reſpondiſſe.*

Occurrit hic loquendi modus, cum Doctor aliquis traditionem nomine & verbis ſui Præceptoris refert, a quo eam accepit.

Ita Rabh Jehuda dixit nomine Rabh ſe a Magiſtro ſuo, nempe Rabh accepiſſe decem res prima creationis die a Deo eſſe factas, Cœlum ſcilicet, Terram, rudem illam indigeſtamque molem, Lucem, Tenebras, Ventum, Aquam, ſpatiumque diei & noctis, conf. חגיגה XI. I. מועד קטן XXIX. I. חולין IX. I. תמיד LXIII I.

אמר ר' פלוני בשם ר' פלוני. *Dicit R. N. nomine Rabbi N.*

Modus loquendi Gemaricis uſitatus quum quiſpiam traditionem refert, quam ipſe quidem non audivit ſed ab alio, qui hoc a Præceptore ſuo accepit, didicit; ubi vero ponitur אמר ר' פלוני אמר ר' פלוני id a Præceptore ſuo didicit.

Ita in Codice תמיד LXV. 2. quæritur, quam-

quamobrem menſæ, in quibus victimarum inteſtina in templo purgabantur, e marmore duntaxat, non vero auro aut argento fuerint fabricatæ, ad quod *Rabb. Chanina nomine Rabbi Aſſe & R. Aſſe R. Samuelis* vice reſponſum dediſſe fertur, quia auro aut argento inteſtina efferbuiſſent, vid. יבמות LXVI. 2.

אמר פלוני ואיתימא פלוני. *Dicit N. & ſi diceres N. hoc perhibuiſſe.* Vid. יבמות LXXI. 2.

Quandoque formula hæc ita occurrit.

אמר ר' פלוני משום ר' פ'. Vid. בבא מציעא LVIII. 2. סוכה fol. VIII. col. 1. יבמות LXXI. 2.

אמר פלוני פלוני היא. *Reſpondit N. N. hujus deciſionis eſſe auctorem.*

Cum in Miſchna deciſio quædam traditur hac quidem formula תנו רבנן *tradunt Rabbini*, nullius vero Doctoris nomen appoſitum, tum quando quæritur a quonam hæc deciſio proficiſcatur? hac loquendi forma deſignant in ſpecie illius auctorem: *Reſpondit N. N. hujus deciſionis eſſe Auctorem.*

Ita traditio quædam habetur, quod ſi fœmina quædam Deo devota ſe polluerit, tum a marito naziræatus voto ſolutam, ut illud de novo ſuſcipiendum non eſſet hoſtiam

ſtiam piacularem non vero holocauſtum offerre debuiſſe; cumque hæc traditio nullius Auctoris nomen præ ſe ferret, interrogatur, quisnam ſit hujus traditionis ſeu Miſchnæ auctor? Cui quæſtioni formula hac obviam itum: *Rabb Chiſda reſpondit R. Iſmaëli hanc traditionem debere originem:* conf. חגיגה XIX. I. חולין XXXI. I. שבועות IV. I.

Nonnunquam formula hæc ita in Gemara occurrit.

אמר מר הוי אומר ואימא. *Perhibet N. Dominum* κατ᾽ ἐξοχὴν ita vocatum *hæc dixiſſe, verum ſi dicerem? &c.*

Cum decisio cujusdam ritus reperitur, & ex aliquo Doctore quæritur, an ea non alio modo exponi poſſit? hic adhibetur loquendi modus.

Ita in *Gem.* נזיר docetur, verba עד מלאת הימים *uſque dum compleantur dies illi* Num. VI. 5. finem Naziræatus ſignificare, eumque trigeſimum eſſe voti diem. Porro deciſio hæc repetitur: *utique* מר *Dominus dixit* verba *Numer.* c. l. עד מלאת heic trigeſimum denotare naziræatus diem, *verum ſi dicerem* ea hebdomadis cujusvis, naziræatus, aut etiam anni ſignificare finem? conf. נזיר VI. I.

Aliquando abſolute dicitur אמר מר *di-*

 xit

xit Dominus, vid. סוכה fol. III. col. 2. בבא מציעא XLIII. I. כריתות XCI. I. XCIII. I. 2.

אמר רחמנא. *Scriptura dicit.*

Frequenter Doctores Gemarici hoc loquendi modo utuntur, docentes ſe conſtitutionem aliquam e Scriptura probare.

Ita in *Gem.* זבחים fol. IV. I. e Rabh ſententia ſacrificium piaculare (ex. gr. puerperæ) legitimum pronuntiatur, quamvis alterius ſacrificii piacularis nomine immolatum fuerit: quod Rabh inde probat quia *Scriptura dicit Levit.* XII. 6. ובמלאת ימי טהרה תביא בן יונה או תר לחטאת. *Exactis diebus purgationis* (puerperæ) *afferet pullum columbæ aut turturem in ſacrificium piaculare.* Si igitur modo nomine hujus ſacrificii offerretur, non temeratum cenſebatur. Congruunt cum hac formula.

אמר קרא. *Dicit Scriptura.* Vid. בבא מציעא XLVII. I. & מעילה XLV. I.

אמר תורה, conf. מעילה XLV. I.

אמרת ומה שאין (הך) לא כל שכן אינו דין שיהא תלמוד לומר. *Dicis hujusmodi rem non hanc habere ſignificationem, quanto magis igitur æquum foret, ut res quæ ita ſe non habet etiam non hanc ferret ſignificationem,*

ideo

ideo traditio eſt. Vid. נזיר XVII. 2. & XVIII. I. סנהדרין XXXV. 2. XXXVI. I.

אמר לך פלוני קא כוותיך דאמר. *Reſpondit tibi N. ſe eandem tecum tueri ſententiam, dicit enim &c.* Vid. נ״ר XVI. I.

אמר פלוני אפילו תימא פ׳ היא. *N. inquit, quamvis perhibeatur N. hoc dicere*, vid. תענית IV. 2. כריתות XCI. I.

אמר פלוני הא מני פלוני היא. *Quærit N., qualis ille ſit Auctor? & reſpondetur N. eſt.* Conf. כריתות XCI. I. בבא מציעא XLVIII. 2. & LV. 2.

אמורא. *Amoræus, Gemaricus eſt.*

Uſi ſunt hoc verbo Magiſtri, docentes Gemaricum Gemarico opponere non poſſe, niſi deciſione utatur, in Miſchna tradita. Præterea bene notandum, Amoræum ſive Gemaricum nunquam adverſus traditionem, quæ in Miſchna ponitur, propria auctoritate diſputare poſſe; verum Rabh & Rabbi Chiam quamvis Gemarici ſint, pro Doctoribus Miſchnicis haberi; quamobrem Doctori Miſchnico etiam opponere poſſunt. Ideo ſæpiſſime in Gemara hæc reſponſio reperitur: רב תנא הוא ופליג. *Rabh Doctor Miſchnicus eſt, hinc* Doctoribus Miſchnicis *opponere poteſt.*

Ita in חולין XXXIV. 2. traditur: R. Aſ-

ſen auctorem eſſe res profanas, aliquando eodem impuritatis gradu inquinari poſſe, quo res ſacræ polluuntur: Porro Rabh Zera R Aſſi dixiſſe fertur: Quosdam aliam conſtitutionem huic deciſioni contrariam in medium protuliſſe; ſed reſpondetur: Auctorem hujus deciſionis *Amoraum* ſive *Gemaricum eſſe*, cui nefas Miſchnæ quicquam opponere.

אם אינו ענין תניהו ענין. *Si hoc non probat, aliud quid illuſtrare certum eſt.*

Præprimis obſervandum hanc formulam apud Talmudicos inveniri; quando aliquod Scripturæ dictum affertur, cæremoniam de qua ſermo eſt non accurate probans; quippe quæ ex alio jam demonſtrata ſit loco; quum igitur quæritur, quamobrem locus ille ſit citatus? reſpondetur: *Si hunc non probat ritum, ergo alium &c.*

Modus hic loquendi occurrit in Codice נזיר xviii. 2. ubi traditio habetur; quod ſi Naziræus Nazirætus tempore pollutus fuerit, dierum Nazirætu conſumptarum non haberi rationem, verum ab integro votum ſuſcipiendum, comam radendam, totumque corpus luſtrandum eſſe, ſecundum legem a Deo *Num.* vi. 11. latam. יקדש את ראשו ביום ההוא. *Sic ſanctificabit* (Sacerdos) *caput illius* (Nazirœi) eo die. Inde

Inde alii docent, naziræatus dies ab octavo die fuiſſe numerandos. Verum Rabh Joſe filius R. Judæ perhibet: locum allatum hoc non probare, quia clare alias in ſacris Literis octavus indicatur dies, unde Naziræatus numerandus eſſet. Additur denique: *Cum igitur* verba ביום ההוא *hanc non probent ſententiam, aliud quid eis indicari certum eſſe*, nempe diem quo Naziræus capillos raſerit. Conf. סנהדרין xv. 1. liv. 2. חולין cxviii. 1. בכורות xxxii. 1. נזיר liv. 1. בבא מציעא lxi. 1. מעילה xlvi. 1. חולין lxxiv. 1. מכות xv. 1. זבחים viii. 1.

אם כן נכתוב נימא קרא. *Si ita eſſet, alia Scriptura uſa fuiſſet phraſi.*

Formula hæc in Talmude occurrit, quum e dicti cujusdam verbis, probationis cauſa allatis aliquid deducitur, quod illis verbis non continetur. Tum enim ad quæſtionem, an hoc non inde elici poſſit; reſpondere ſolebant: *Si ita eſſet, Scriptura alia uſa fuiſſet phraſi*: hac vero dictione occurrente alium verba ſenſum fundere. Cum hic loquendi modus in objectione occurrit, אם כן omittitur, vid. קדושין iv. 1.

Hoc modo R. Iſaac Abdimides loco

 Levit.

Levit. VII. 16. ביום הקריבו את זבחו probare ſatagit, ſacrificiorum ſanguinem poſt occaſum ſolis aſperſioni inidoneum eſſe: hoc præprimis fretus argumento, quia eodem quo effuſus die ſpargendus eſſet. Deinde quæritur: quo pacto hoc inde demonſtrari poſſit? phraſin enim hujus Scripturæ loci duntaxat probare: carnem hoſtiarum a Sacerdotibus eadem qua mactata die comedendam eſſe. Sed reſpondetur: *Si ita eſſet, alia Scriptor Sacer uſus fuiſſet phraſi*, nimirum ביום זבחו יאכל quia vero vox הקריבו addita, priorem optime ſtabiliri poſſe ſententiam, conf. זבחים LVI. 2. IV. 1. סנהדרין XV. 2. XVI. 1. בבא קמא LXXX. 2. בבא מציעא XLVII. 2. בבא בתרא LXVIII 2. חולין CXLI. 1. יבמות LXVIII. 2.

Aliquando formula hæc ita ponitur.

אם כן לימא קרא. Vid. סוכה fol. 11. col. 2.

Quandoque formulæ hujus vices gerit.

אם כן לשתוק קרא מיניה. *Si ita eſſet, Scriptor Sacer hoc ſilentio præteriiſſet.* Vid. יבמות LV. 1.

אם תמצי לומר. *Si dicas.*

Modus hic loquendi uſu venit, cum opponens quiſpiam argumentum objicit, cujus

cujus occaſione aliam difficultatem movere ſatagit; tum priori miſſo argumento hæc adhibetur formula: *Si dicas.*

Nonnunquam etiam formula hæc uſurpatur, quoties Doctor Talmudicus quæſtionem aliquam ſive e propria ſive ex alterius ſententia proponit.

Ita in Codice ערכין xx. 1. dubium movetur, quod ſi quis pretium quo ipſe æſtimatus eſt, bis voverit, hiſce quidem verbis דמי עלי *pretium ſit ſuper me.* Utrum bis ſit cenſendus, pretiumque illud bis pendendum, aut ſemel duntaxat? Et reſpondetur: *Si dicas:* quia dum bis hæc verba repetiit, idcirco ei pretium duplex eſſe ſolvendum: hoc aliam parere difficultatem, nam ſi dixiſſet שני דמי עלי *duplex pretium ſit ſuper me.* Quid tum eſſet ſententiæ? Conf. חולין xlv. 1. & xlvi. 1. ערכין xix. 2.

אנן הכי קאמרינן. *Nos ita dicimus.*

Hac formula uberius ſententia aliqua explicatur, cum opponens ex ignorantia, ſententiam Doctoris Miſchnici aut Gemarici minus recte percipiens, dubium aliquod movit; tunc reſpondetur: *Nos ita dicimus:* hanc non vero aliam ut opponens putat eſſe Doctoris opinionem.

Ita in Codice זבחים ix. 1. fertur opponens

ponens quiſpiam autumaſſe, hanc deciſionem proferri: cum agnus paſchalis ſine ſimilagine paretur; cur ſi ejus reliquiæ poſtridie paſchatos mactarentur, ſimilago adhibenda? cui conſtitutioni argumentum aliquod objecit. Verum huic a Doctoribus Talmudicis reſponſum fuit: *nos ita dicimus:* cum ſacrificii euchariſtici reliquiæ abſque pane offerri queant, quamobrem cæterarum victimarum reliquiis, quæ hoſtiæ euchariſticæ inſtar offeruntur, ſimilaginem addere neceſſe ſit?

אנן איפכא מתנינן לה. *Nos hoc inverſo docemus modo.*

Ex Gemara didici, hanc loquendi formam etiam uſurpari, cum duo Amoræi Doctores Gemarici non in re, ſed verbis duntaxat diſſentiant; Cum alter alterius (quo minus ſententiæ accedat) verba corrigit dicere adſolet. *Nos hoc contrario docemus modo.*

In Tract. בכורות v. 1. R. Jochananis deciſio habetur: primitiva, non ſolum in deſerto fuiſſe conſecrata, ſed etiamſi quis illa a Levitis redemiſſet, ſacra tamen manſiſſe. Riſch Lakiſch vero auctor eſt, ea quidem ante, verum redemptione facta non amplius ſacra fuiſſe. Deinde Rabh Mordachai, Rabh Aſſi oppoſuit vos ita,

Nos

Nos vero inverſo hoc tradimus modo, ſcilicet primitiva in deſerto non ſacra fuiſſe. Cui Rabh Jochanan reſpondit, ſententiam ſuam prius allatam hoc tantum dicere: haud opus fuiſſe in deſerto primitiva Deo conſecrare, atque ita memoratos Doctores in verbis duntaxat differre: Conf. בבא מציעא XLVII. I.

אנא נמי סמכינא. *Ego quoque hoc nitor fundamento.*

Formula hac utitur Doctor Talmudicus, contra alium diſputans, conſtitutionemque afferens, adverſario contrariam; qua dicit, etiam ſe præter alias deciſiones motum, ut hanc quam defendit, arripuerit ſententiam: *ego quoque*, inquiens, *hoc nitor fundamento.*

Ita in Codice נזיר VI. 1. Rabh Matna & Padaides acerrime diſputant, illo Naziræo 30. dies, hoc vero 29. tribuente. Hic ad deciſionem provocat qua dicitur: ſi quis duplicis Naziræatus feciſſet votum, nona & quinquageſima die potuiſſe radi, voto ſuo ideoque per conſequens ſolvi, quia trigeſima dies tam finem primi quam initium ſecundi voti attingere: id & Padaidis ſententiæ adverſari, & Rabh Matnæ corroborare, Doctor quidam Talmudicus putavit: Sed Padaides: *ego quoque*, inquit *hoc nitor fundamento*, nam ſi trigeſima

 die

die cæſariem totondit, voto jam non amplius obligatur, ideoque Naziræatus communis 29. duntaxat eſt dierum.

אסמכתא. *Fulcimen tum teſtimonium veriſimile:* quod non plene probat.

In Tract. מעילה XLV. 2. traditur: vinum libaminis, ubi illegitimum factum, in loco ſacro igne fuiſſe abſumendum; eodem plane modo quo in loco Sancto fuit effundendum. Id quod Rabbina adſtrui conatur voce קודש, qua Scriptor Sacer uſus, præcipiendo reliquias igne eſſe abſumendas. Sunt vero quidam hanc inquientes ſententiam Rabbinorum duntaxat ſapere placitum; unde regeritur: Rabbinam hanc opinionem Scripturæ dicto fulcire; denique excipitur *teſtimonium hoc tantum eſſe veriſimile.* Vid. מעילה XLIX. 2.

אף אנן נמי תנינא. *Hoc quoque ita dicimus.*

Magiſtri Hebræi hoc loquendi genere ſunt uſi: cum ſignificare vellent, deciſionem citatam aliquo in loco non argumentis probari; quia alio in Gemara loco de eo fuſius jam diſputatum fuit; ſed eam illuſtrationis cauſa adduci, quia novum & dicendi excultum habitum ſententiæ adfert.

In Cod. זבחים XIII. 2. deciſio proponitur:

ritur: intentionem Sacerdotis ſacrificium illegitimum quidem non tamen abominabile reddere poſſe, & additur hac de re alio in loco jam actum eſſe, hac adhibita formula: *Hoc quoque ita didicimus*; hanc ob cauſam in laudato loco non prius probari. Conf. חולין IX. I. סנהדרין XLI. 2. בבא מציעא LIV. I. כריתות XCIV. I. ערכין XXVI. 2. יומא LIV. I. יבמות LVII. 2. LXXXIII. 2. שבת LXXVI. 2.

אף אני אביא. *Hoc quoque includam.*

Cum de rebus diverſis, aliqua ſaltem proprietate & ſimilitudine inter ſe convenientibus, in Miſchna ſermo eſt; & de alterutro aliquid prædicatur, illi alterius etiam, quia ei ſimilis, deciſio includitur.

Ita holocauſtum & ſacrificium pro delicto, quamvis in plurimis differant miniſterii partibus: in eo tamen conveniunt, quod ambo ſint ſancta ſanctorum Hinc quia holocauſtum, non ſub ſuo nomine mactatum offerri quidem poteſt, quamvis votum tamen non expleat; ita idem de ſacrificio pro delicto judicium ferendum cenſetur, *hac formula: Hoc quoque includam*; quod non ſuo nomine mactatum eodem modo offerre quidem liceat, ſed ad votum complendum

dum ſit inidoneum. Conf. זבחים v. 2. XII. 2.

אמר פלוני אפילו תימא פלוני היא. Vid. אפילו וכו׳. Conf. ראש השנה x. 1.

אפתח אנא פתחא לנפשי. (Reſponſionis januam ipſe aperiam.) *Ipſe mihi reſpondebo.*

Cum argumentum objicitur, quod a Doctore Gemarico, cui objectum ſolvi nequit, tum opponens ipſe reſponſionem dando; *ipſe*, inquit, *mihi reſpondebo.*

Ita Riſch Lakiſch, dubium movit; ſi ſacrificia non ſub ſuo nomine mactata, expiationem haud impetrent, cur igitur offerantur? Id cum ab alio non ſolveretur, *ipſe ſibi hanc reſponſionem dediſſe fertur:* hujusmodi victimas non expiationis gratia, ſed ſalutarium victimarum inſtar offerri. Vid. זבחים v. 1.

אפשר איתא להא דר׳ פלוני ולא תנינא לה. *Potuit ne R. N. aliquid adſtruere cujus ne veſtigium quidem in Miſchna reperitur?*

Quando Doctor quidam Gemaricus refert, Doctorem alium aliquam adduxiſſe ſententiam, cujus neque vola, neque veſtigium, in Gemara extat: non tamen plane rejicienda videtur, hicce adhibetur

tur loquendi modus.

Ita in Codice זבחים LVIII. x. R. Jochanan perhibet: R. Joſen auctorem eſſe totum holocauſtorum altare, verſus ſeptentrionalem plagam, fuiſſe exſtructum; hinc quæritur: quo jure R. Jochanan hoc aſſerere poſſit? *potuit ne R. Jochanan aliquid adſtruere cujus ne veſtigium quidem in Miſchna reperitur?* Et plerumque ſequitur: deinde majori niſu inveſtigarunt, & invenerunt.

אשכחן (זה), (זה) מנלן. *Invenimus hoc, ſed reliqua unde probantur?*

Crebro Talmudici hunc loquendi modum uſurpant, diſputantes de variis ritibus, quorum cum unus tantum probatus ſit, de cæteris eadem conſtitutione gaudentibus, quærunt: *hunc invenimus, ſed reliqui unde probantur.*

Ita Hebræorum ſapientes, e Sacris Litteris demonſtrant, quatuor ſacrificandi partes, mactationem nempe, ſanguinis exceptionem, adductionem & aſperſionem, ſub ſuo fieri debere nomine: idcirco Lev. III. I. verbis ואם זבח שלמים probant mactationem ſuo fieri debere nomine. Quo probato addunt: *Conſtat igitur de mactatione, verum reliqua miniſteria ſub ſuo nomine fieri debere, unde*

de probatur? vid. זבחים IV. I. מגלה XIX. I. סנהדרין XXVIII. I. יבמות LXVIII. 2. LXIX. I. ערובין II. I. שבת II. 2.

אתא קרא אפקיה מקל וחומר אלמא אתא קרא אתיא זה מזה. De qua vid. ſuperius conf. זבחים III. 2.

Convenit hæc formula, cum דנין זה מזה. Vid. יומא fol. LII. col. 2. ראש השנה fol. XI. col. 1. & 2.

ב.

בא זה ולמד עלזה. *Locus hic adducitur alterius loci illuſtrandi cauſa.*

Formula hæc reſponſionis loco occurrit, quando quæritur cur Scriptor Sacer binis utatur locis; ritum eundem ſancientibus; cum alteruter ſufficeret.

Ita in Codice זבחים LXXXII. 2 indicatur, Lev. XXII. c. I præcipi inquilino apud Sacerdotem degenti, primitias comedere licuiſſe; in aliis vero ejusdem commatis verbis doceri, inquilino maſculo qui apud Sacerdotem eſt, primitiis veſci potuiſſe. Hinc quæritur cur poſterior adducatur locus cum prior abunde monſtret maſculum inquilinum Sacerdotum domeſticum primitiis veſci poſſe? & reſpondetur: poſſe-

poſterius dictum prius tantum illuſtrare.

באנו למחלוקת פלוני ופלוני. *Pervenimus ad controverſiam N. & N.*

Doctores Talmudici cum materia aliqua finita aliam tractandam exordiuntur: hac plerumque formula utuntur, ſimul indicantes ſe controverſiam hujus & alterius Magiſtri explicaturos eſſe. Vid. שבת VII. 2.

בהי לא לכתוב רחמנא. *Quem caſum* (ritum) *Scriptura S. non notaret?*

Occurrit hæc formula, cum Scriptura S. de cæremoniis agit, affinitatem quandam peculiarem inter ſe habentibus; unicuique deciſionem propriam addens, tum rogant quamobrem cuilibet ritui deciſio ſui ſit appoſita? cum uno demonſtrato, per legitimam conſequentiam, quia ſecum conveniunt, cæteræ ceremoniæ inde facile demonſtrari potuiſſent; ac reſpondetur: hoc fieri haud poſſe etenim: *Quem caſum* (ritum) *Scriptura S. non notaret?*

Ita in Sacris literis ſingulatim agitur de ſacrificiis piacularibus Naziræi & Leproſi, ob adipis eſum oblatis, ea ſub ſuo mactanda eſſe nomine. Unde quæritur cur ſingillatim de hiſce diſputetur victimis, etenim ſi de ſacrificio piaculari Naziræi ob adipis

adipis eſum id conſtet, de ſacrificio piaculari leproſi, quia ob ſimilem cauſam oblatum, facile idem ferri poſſe judicium, id quoque ſub ſuo mactandum eſſe nomine. Sed reſpondetur: *Quem igitur caſum (ritum) Scriptura non notaret?* ſi enim de poſteriore expreſſe non dixiſſet, diceres: memorata ſacrificia, quia in quibusdam a ſe differunt, ideo quoque ratione oblationis non ſecum convenire, vid. זבחים VIII. I. בכורות V. 2.

בו ביום *Hoc illo die contigit.*

Illo nempe die quo R. Gamaliel ſe magiſtratu abdicavit, & R. Eliezer Azarides, Princeps creatus eſt. Vid. ברכות XXVIII. I. שבת XVI. 2.

בטלה דעתו אצל כל אדם. *Sententia ejus omnibus nauſeam creat.*

Utuntur hac formula Gemarici, indicantes ſententiam aliquam omni carere probabilitate, vid כריתות XCIII 2.

בלשון יחיד אני שונה. *Hoc in ſingulari doceo.*

Frequenter DoctorGemaricus hac formula ſignificat, ſe ſententiam quam defendit, non omnium, ſed unius duntaxat Magiſtri auctoritate ſtabilire.

Ita in Cod. חולין CXXII. 2. Riſch Lakiſch dicitur, e R. Jochanan quæſiviſſe: an

an pellis capitis vituli ſubrumi, & quidem mortui polluere poſſit? Negavit R. Jochanan, unde Riſch Lakiſch contrarium probare vult Magiſtrorum decreto, uno ore comprobantium, eandem eſſe cuticulæ hujus rationem atque carnis vituli ſubrumi extincti, quæ omnium ſuffragio inquinare poſſit. Ad hanc quæſtionem reſpondet Jochanan: neque ex omnibus id probo, ſed, *hoc in ſingulari didici*, ſcilicet ſecundum ſententiam Eleazaris filii Judæ hoc ſe ita habere.

במאי קא מיפלגי. *Quare diſcrepant?* ſive *quodnam eſt illorum diſſenſus fundamentum?*

Formula hac in diſſenſus alicujus cauſam inquiritur.

In Tract. תענית xxvii. i. R. Juda Samuelis nomine Sacerdotes, inquit, Levitas & Iſraëlitas, ſacrificium aliquod illegitimum poſſe reddere, quod ſi illis abſentibus ſacrificium juge offeratur. Verum in traditione exotica docetur, R. Simeonem filium Eliezeris auctorem eſſe, victimam inſtrumentis muſicis abſentibus, ſacrificando illegitimam fieri: unde quæritur: *quodnam ſit fundamentum, quod hi in diverſas abeant ſententias?* & reſpondetur: præcipuam cantus ſacri partem ore fieri, hinc ut ut in-

ſtrumenta muſica non præſto adſint, ſed Levitæ duntaxat, ſacrificia rite offerri poſſe; R. Simeonem vero aſſerere: præcipuum concentum inſtrumentis muſicis fieri, conf: בבא קמא LXXXV. I. בבא מציעא XXXVIII. 2. סנהדרין IV. I.

הכא במאי עסקינן. Vid. במאי עסקינן.

במה דברים אמורים. *Qua de re hæc verba dicuntur?*

Hac formula ſpecialius in ritum conſtitutione probatum inquiritur, quæ generalis erat propoſita.

Ita in תענית x. 2. dicitur; non cuivis licere eas ſibi ſumere cæremonias, quas Doctores ſibi vindicant. Unde quæritur: *de quibus cæremoniis hic ſermo ſit?* & reſpondetur eas intelligi cæremonias, quæ Doctoribus honori cedunt: v. c. ne veſtibus Doctoribus propriis incedant: verum aliis in ritibus, veluti luctus, jejunii &c. cæteros omnes Doctoribus æquiparari poſſe, vid. זבחים XI. I. שבת XXXVIII. I.

במה הכתוב מדבר. *Quo de caſu* (heic) *Scriptura loquitur?*

Ita in מכות x. 2. quæritur: *quo de caſu Scriptura loquatur.* 1 Sam. XXIV. 14. מרשעים יצא רשע. *Ab improbis prodeat improbitas?* & reſpondetur: hoc de duobus intelligendum

dum eſſe hominibus, quorum alter aperta vi ex proæreſi, alter vero invitus alium interfeciſſet; & id quidem nemine præſente, ita ut judices hos ſupplicio afficere non potuerint: verum Providentiam Divinam cædem patratam ultam eſſe; ita, ut prior a poſteriori ſcalam aſcendente & præceps acto oppreſſus, ſit enecatus. Pœnam itaque hunc dediſſe merito dignam; ſed neque poſteriorem, factum impune tuliſſe, cum nimirum ad aſyla ſe recipere cogeretur.

בעינן למצות. *Diſceptamus de hoc ritu, quia præceptus eſt.*

Cum Doctores Talmudici de aliquo ritu non abſolute neceſſario, in Scriptura S. tamen imperato diſputant, & objicitur ritum illum ſupervacaneum eſſe, quia etiam eo non obſervato, nihil inde verendum ſit incommodi; tum reſpondetur: *Diſceptamus de hoc ritu, quia præceptus*, eoque obſervato, res omnium optime peragitur.

Ita v. c. Lex quædam lata eſt de effundendis ad altaris baſin ſparſi ſanguinis reliquiis; quod etiamſi neglectum fuiſſet, offerens tamen expiationem impetraſſe cenſebatur. *De hoc vero ritu diſputari* additur; *quia præceptus*, atque eo obſervato expiari omnium optime offerens poſſet, vid. זבחים LII. 1. & 2. VII. 2. סנהדרין IV. 1.

בחירתא. *Liber eximius, ſpecioſus.*

Verbum hoc recte intellecturus, obſervet: Doctores Talmudicos Tractatum Talmudicum עדיות *de teſtimoniis coram judicio perhibendis* agentem, ita vocare, quia omne teſtimonium inde depromptum, indubitatum eſt. Hinc duobus Doctoribus Gemaricis, de aliqua Miſchna diſceptantibus, ille qui ſententiam ſuam teſtimonio, e Codice עדיות petito probare poteſt, altero diſcedit ſuperior.

Ita in Cod. בכורות xxvi. 1. Rabh Juda & Rabh Joſe de Miſchna diſputant, in qua quæritur: an lana primitivorum vitio aliquo laborantium, & ex eo vitio tandem mortuorum utendum ſit? Rabh Juda verba hæc, inquit, primitiva ſpectare, vitio aliquo infecta ac jugulata; ſin vero ex eo vitio hæc animantia fuiſſent extincta, omnium calculo lana hac uti nefas haberi. Denique R. Nachman R. Joſi, contrariam ſententiam amplectenti regerit, R. Judæ opinionem omnium eſſe optimam, e deciſione eximia, *Codicis ſpecioſi* עדיות comprobatam.

בשלמא לדידי וכו' אלא לדידך א'

בשלמא. *In pace eſt* (admitto) *ad me quod attinet*, illam ſententiam: *verum quomodo ſecundum*

tuam

tuam ſententiam in pace eſt? (tibi ipſi contradicis).

Hæc ad objectionem eſt reſponſio, cum opponens aliquid a reſpondente allatum admittit quidem, ſed id illi tamen contrariari aſſerit.

Ita in Tract. מועד קטן xx. 2. traditur: quod ſi quis Sabbato nuntium accepiſſet, conſanguineum diem ſuum obiiſſe, ac illo Sabbato finito, finitum quoque fuiſſe tempus lugendi, eum, non niſi unum diem luctui impendere debuiſſe. R. Manne etiam autumat veſtimenta non fuiſſe diſcindenda; R. Chanina contra affirmat, R Mannæ contradicturus. Cui R. Manne reſpondet: *ad me quod attinet in pace eſt, admitto illam ſententiam, ſed tibi ipſi contradicis:* cum enim te confitente, non ſeptem dies luctui vehementiſſimo impendantur, quomodo igitur lugenti ſeptimo die veſtis eſtſcindenda? vid. כריתות LXXXVIII. 2. שבת XII. I.

בשלמא למאן דאמר אלא למ״ד מאי. *Concedi equidem poteſt ſecundum ſententiam ita dicentis; verum quid ſecundum eum dicendum, qui aliter ſtatuit?* Vid. חגיגה XV. 2. סוכה *fol.* II. & III. *col.* 2. שבועו׳ XIV. I.

Aliquando formula hæc occurrit:

בשלמא האיך אלא האי. *Ad hoc quod attinet in pace eſt, verum ad illud* quid dicendum? Vid. ראש השנה *fol.* 11. *col.* 2.

בשלמא זה אוה לא קשיא אלא זה אוה קשיא. *Concedi equidem poteſt rem hanc non eſſe controverſam, ad aliam vero quod attinet, de ea quæſtio manet.*

Modus loquendi vere Talmudicus, qui in objectione ponitur, cum binorum rituum conſtitutio profertur, quæ Miſchnæ adverſari videtur: tum enim Amoræi conſtitutionem hanc ex parte admittentes, maxima vero ex parte impugnantes, formula hac uti ſolent.

Ita in חגיגה *fol.* XVIII. *c.* 2. traditur: illotis manibus licere, obſonia profana aut decimas manducare; & objicitur conſtitutionem hanc Miſchnæ adverſari, quia nefas habetur cibis profanis aut decimis illotis manibus veſci Denique additur: *Concedi equidem poteſt de decimis non eſſe controverſiam*; quoniam alia eſt R. Meieri, alia vero Rabbinorum in antecedentibus memoratorum conſtitutio, qui quoniam ſunt Doctores Miſchnici, idcirco ſibi invicem opponi non poſſunt; *verum ad profana obſonia quod attinet, illorum conſtitutio admodum controverſa eſt.*

ג.

גברא אגברא קא רמית. *Viſne hominem homini opponere?*

Utuntur Doctores Talmudici hoc loquendi modo, indicaturi, auctoritate Miſchnici ſive Gemarici Doctoris contra alium, qui itidem Miſchnicus ſive Gemaricus eſt pugnari non poſſe: Sed contra Gemaricum requiri in ſpecie Miſchnicum Doctorem, ut oppoſitio valeat.

Ita in Codice תענית IV. 2. R. Juda refert, more receptum fuiſſe, ut ultimo die feſti tabernaculorum pluvia a Deo peteretur; R. Gamaliel vero hoc ſeptimo die menſis Marcheſvan (Octobris) factum fuiſſe contendit. Porro Rabh Aſſe R. Jochananis nomine dixit; conſtitutionem R. Judæ ſententiam ſapere. Denique R. Zera R. Aſſi dubium movit: quo pacto R. Jochanan hoc aſſerere poſſit, cum R. Eliezer conſtitutionem hanc R. Gamalielis ſententiam redolere affirmaverit? Hoc vero R. Zera tulit reſponſum: *Viſne hominem homini opponere?* id eſt R. Eliezeris R. Jochananis ſententiæ, qui ambo ſunt Doctores Miſchnici: conf. תענית IV. 2. חולין LII. 2. סנהדרין VI. I.

גבי דבר זה נמי הכתיב. *Cum hac de re quoque ſcriptum eſt:* cur hæc conſtitutio non ponitur?

Obſervandus eſt & hic loquendi modus, qui in Gemara frequenter objectionis vicem gerit; cum Gemariſtæ conſtitutionem aliquam Scripturæ phraſi fulciunt, & alia ſimilis conſtitutio e ſimili phraſi deducitur, tum rogare ſolent: cur ejusmodi conſtitutio non ponatur? *cum hac de re quoque ſcriptum &c.*

Ita in נזיר IV. col. 2. traditur; ſi quis diceret ecce Naziræus ero ut Simſon, hæc nulla ſponſio erat, quia Simſon nunquam Naziræatus votum nuncupavit, ſed antequam natus, Deo ſacer fuit. Quicunque igitur Naziræatum in ſe ſuſcipit, ejusmodi ſe comparare debet rebus, quæ Deo voveri poſſunt. Si quis autem diceret: הרי עלי כבכור *ego Naziraatum in me ita ſuſcipio, quaſi animans primogenitum voverem,* ille qui ita dicit voto obſtrictus fuit: quamvis enim primogenita jam ante votum Deo ſacra ſint, Naziræi votum tamen illis comparari poteſt, quia Deuter. xv. c. 19. de primogenitis legitur: הזכר תקדיש ליהוה אלהיך *mas ſanctus erit Jehova Deo tuo.* Objicitur: *cum quoque Numer.* VI. 2. *de hujusmodi Naziraatu ſcriptum eſt:* quum vir aut mulier nuncupaverit

rit votum, vovendo votum Naziræi לְהזיר לה׳ *ſe de integro Naziræum fore Jehovæ*, i. e. Naziræum aliud Naziræatus votum ſuſcepturum: quid igitur cauſæ eſt, cur Naziræatus votum illegitimum ſit, etiamſi quis dixerit Naziræus ero Simſonis inſtar? nam hoc pacto Simſon votum ſuſcipere potuit, quamvis ante nativitatem Deo conſecratus fuerit.

גופא. *Subſtantia* (traditionis).

Dictione hac utuntur Doctores Gemarici, quum traditionem aliquam exoticam ברייתא dictam adducunt, quam alio loco *ὡς ἐν παρόδῳ* tractarunt; jam vero plenius explanaturi, גופא dicunt: *Subſtantia traditionis hæc eſt*; tumque pleniorem illam explicationem auſpicantur. Dum vero Doctores Gemarici referunt traditionem, a Doctore Miſchnico profectam, hanc uſurpant formulam: אמר מר *dicit Dominus.*

Hoc modo traditionem exoticam referunt in Tract. סנהדרין XVIII. 2. ubi diſſeritur: nunquam Regem Synedrio interfuiſſe, ideo ut ſuffragia daret. Præterea neque Regi, neque Sacerdoti Principi, ad annum intercalandum aſſeſſoribus Synedrii, quibus ſolis hoc licitum erat, calculum adjicere licuiſſe: Additur denique, fundamentum rei hic tractari, cujus antea

E 5 men-

mentio duntaxat injecta erat: vid. סוכה *fol.* VII. *col.* I. שבת VI. 2. & VII. 2. יבמות LXVIII. I.

גורעין ומוסיפין ודורשין *Demunt* (quid voci, alteri) *adjungunt*, *& ita exponunt.*

Vis hujus formulæ noſcitur ex בבא בתרא *fol.* CXI. *col.* 2. ubi docetur. *Num.* XXVII. *c.* II. ונתתם את נחלתו לשארו. *Et dabitis poſſeſſionem ejus propinquo*, voci נחלתו vau eſſe demendum, voci לשארו adjungendum, atque legendum נחלת שארו לו *poſſeſſio proximo eſt tradenda*, vid. בכורות XLIV. 2.

גלוי מלתא בעלמא. *Communis hæc eſt illius rei illuſtrandæ ratio.*

Concordat hæc dicendi forma cum זכר לדבר, vid. בבא מציעא XXII. 2. סנהדרין LXXVI. I. יבמות LXVIII. 2.

גמרא גמיר וסמכוה אקרא. *Traditionem perfectam propoſuit*, *&* (Magiſtri) *illam Scripturæ dicto fulciverunt.*

Inprimis obſervandum, formulam hanc adhiberi, cum aliquod Scripturæ dictum non probationis ſed illuſtrationis cauſa adducitur.

Ita in תענית traditio habetur, loco *Ezech.* XLIV. *c.* 9. illuſtrari poſſe; Sacerdotem, cujus fratres ob circumciſionis dolores

lores mortui, & qui ideo non circumcidebatur, in templo ad Sacra facienda fuiſſe ineptum; quia memorato in loco hæc habentur verba: *corde aut carne præputiato, ædem intrare mihique miniſtrare nefas eſto.* Et additur: traditionem hanc ante Ezechielis ævum jam exſtitiſſe: ideoque *traditionem perfectam eſſe, & Scripturæ dicto duntaxat fulciri, illuſtrari.* Vid. תענית XVII. 2. זבחים XVI. 2.

גמר זה מזה. *Simile ex ſimili argumentatur.*

Formula hæc reſponſionis loco occurrit, quoties deciſio cujusdam ritus fulcitur argumento deſumpto, a ritu huic ſimili, ſive etiam a phraſibus amice inter ſe conſpirantibus; hinc ad interrogationem: quo fundamento hæc deciſio nitatur? reſpondetur: *alterum ex altero argumentatur.*

Ita in Cod. חולין LXXXIV. I. quæritur: quo argumento R. Meier fretus adſtruat, ſanguinem avis cui inter mactationem vitii aliquid accidit, operiendum fuiſſe? Ad quod R. Simeon filius Lakiſch reſpondiſſe dicitur: R. Meierum argumentum petere a ſacrificiis extra atrium mactatis, in quorum lege quia eadem reperitur phraſis, nempe שפיכת quæ hic occurrit, ubi de ave vitio aliquo laborante ſermo eſt;

Digitized by Google

eſt; *ſimile ex ſimili dijudicari*, vid. מנחות xxvii. i.

גמרא. *Traditio eſt.*

Cum Doctores Gemarici ritum aliquem probare conantur, qui aliis orbatus præſidiis, conſiſtere non poteſt, traditionis auctoritate eum fulciunt, hac formula: *Traditio eſt.*

Ita in Tract. עבודה זרה *fol.* xxv. *col.* i. traditio habetur, ſolem quemadmodum Joſuæ tempore gradum ſtitit, ita etiam Nakdemonis Gorionidis (qui alias Boni audit) ævo, curſum non promoviſſe: quæ ſententia cum Scripturæ ſuffragio careat, *traditione Gemarica* adſtruitur. Vid. חולין xxvii. i. עבודה זרה xxv. i. בבא קמא lxxxii. 2.

גמירא גמירא. *Traditione perfecta hoc traditum eſt.*

Formula hæc idem valet quod præcedens, & plerumque objectio ſequitur, aliquando etiam ſimpliciter ponitur גמירא, quod traditionem ſignificat a Moſe acceptam; tumque nulla ſequitur objectio: aliquando dicitur גמרא גמיר, vid. בבא בתרא cxv. 2 סנהדרין liii. i. סוכה v. 2. ראש השנה iv. *col.* i.

דאמרי

ד.

דאמרי תרווידהון. *Nam ambo hoc dicunt.*

Formula hæc uſurpatur, cum Doctores qui pene ſemper diſſentiunt, in certa ſententia tamen aliquando conveniunt.

Ita in Cod. תענית xxv. 2. quæritur: cum jejunium quoque præceptum ſit ut eo pluvia impetretur, & pluvia illa expetita tempore meridiano contingat; cur populus ſe domum recipiens, ſtatim prandium capiat, prandioque finito demum hymnum Hallel legat? quamobrem non ante prandium Hallel ob impetratam pluviam recitetur? Ad quod Abaja & Rabba qui alias fere ſemper diſſentiunt, *ambo reſpondent:* quoniam lege ſancitum, Hallel non niſi captum poſt cibum recitandum eſſe.

דאתיא מדרשא חביבא לי׳ ואקדמי׳. *Quoniam quod per conſequentiam deducitur, illi admodum placet, ideo hoc ipſum præmittit.*

Frequenter Doctores Gemarici hac formula utuntur, cum binæ conſtitutiones proferuntur, quarum altera in Scriptura S. exſtat, altera vero per legitimam conſequentiam ex ea deducitur, ſive traditione aliqua nititur: tum enim poſteriorem

rem primo loco exponere ſolent.

Ita in בבא בתרא *fol.* CVIII. *col.* I. & 2. quæritur: quamobrem in Miſchna primo loco explicetur: patrem filii hæreditatem adire, dein vero, liberos parentum hæreditatem cernere? ac reſpondetur: *quia hæc conſtitutio duntaxat per conſequentiam deducitur*, ſcilicet e *Num.* XXVII. II. e voce שארו quæ e Magiſtrorum ſententia *parentem* denotat, *idcirco hoc illi admodum placet, atque hoc ipſum præmittit.*

Paſſim hujus formulæ vicem gerit איידי דחביבא לה אקדמה. Vid. ראש השנה XII. I.

דברי תורה. *Verba legis.*

Duplicem formula hæc habet ſignificationem, aliquando enim ipſum textum legis, quandoque interpretationem illius, ſive traditiones orales in monte Sinai datas, ejusque interpretationi inſervientes, denotat: quod Jarchi in ſcholiis, formula hac occurrente, paſſim obſervat.

Ita in Cod. חולין XXVIII. I. dicitur nomine R. Eliezeris Cophrenſis, non *verba legis*, ſed Rabbinorum conſtitutiones avium unguelectioni patrocinari. Vid. סוכה *fol.* VI. *col.* 2. יבמות LXXXV. 2. ערובין IV. X. 2.

דברי תורה מדברי קבלה לא ילפינן.

Verba

Verba legis e traditionum verbis non deducimus.

Per verba legis Hebræorum Magiſtri Pentateuchum: per Cabbalam vero prophetarum monumenta intelligunt: hacve loquendi formula indicant: Pentateuchi verba e Prophetarum ſcriptis illuſtrari, non vero probari poſſe.

Ita in בבא קמא *fol.* 11. *c.* 2. obſervatur: quamvis vox נגח 1. *Regum.* XXII. *c.* 11. denotet *cornibus petere*, inde tamen non firmum necti argumentum, vocem hanc in Pentateucho eandem habere ſignificationem: *Nam verba Legis e traditionum verbis non deduci*: verum verbum ideo ſignificare *cornibus petere*, quia *Deuteron.* XXXIII. *c.* 17. hoc ſenſu venit.

דברי הכל. *Hæc ſunt omnium verba.*

Hacce loquendi formula Doctores Talmudici, interdum duntaxat eos reſpiciunt auctores, qui ſecum diſputant, ubi illi omnes conſentiunt; quandoque eadem omnes indicant Doctores Talmudicos, vid. מנחות XVI. 2. כריתות XCII. 1. סנהדרין II. 2.

דברה תורה כלשון בני אדם. *Scriptura utitur phraſibus filiorum hominum.*

Utuntur Doctores Gemarici hac formula,

mula, quoties a Scripturæ phraſi argumentantur, quæ repetitur, & poſterior vox peculiare quid indicare videtur.

Ita in בבא מציעא XCIV. 2. traditio habetur, quod ſi depoſitarius rem apud ſe depoſitam perdidiſſet, pro cujus cuſtodia mercedem conſequitur, proinde eſſe ac ſi id furto abſtuliſſet, quia *Exod*. XXII. *col*. 11. dicitur: אם גנב יגנב Verum Doctor Gemaricus reſpondet: repetita hac phraſi nihil quicquam probari poſſe, ſed *Scripturam uti phraſi filiorum hominum*, ſecundum linguæ indolem. Vid. כריתות LXXXIII. 1. יבמות LXXI. 1. מכות XII. 1.

דהא בעא מיניה. *Nam ex illo quæſivit.*

Utuntur Doctores Gemarici hac formula, rationis loco; reſponſionem in Gemara allatam non ineptam aut abſurdam eſſe, quia ad interrogationem quadrat.

Ita in Cod. זבחים *fol*. XV. *col*. 1. quæritur: unde conſtat Sacerdotis intentionem malam, vel aliam atque habere debet vel perverſam, adductum ſanguinem ſacrificii piacularis avis illegitimum reddere poſſe? ad quod reſpondetur: Sacerdoti forte perverſam fuiſſe intentionem, antequam ſanguinem ad altare adduxerit; & hanc reſponſionem non abſurdam eſſe inde colligunt,

gunt, quia eſt ad R. Jeremiæ interrogationem reſponſio: *nam ex illo quæſivit.*

דומ'א ד'. *Huic ſimile eſt.*

Frequenter hic loquendi modus in Talmude occurrit, cum ob ſimiles phraſes comparatio aliqua inſtituitur. Exempla in מכות *fol.* VIII. *col.* I. & יבמות LIV. I. & LXIX. I. exſtant.

דורשין תחלות. *E primo loco, ſubtili argumento aliud deducunt.*

Forma hæc loquendi uſurpatur, quoties vocabulum aliquod in Scripturæ loco bis vel ter occurrit, & a quibusdam asſeritur, e voce primo loco poſita, nullum peti poſſe argumentum; ab aliis vero, peculiare quid ea adſtrui poſſe, defenditur.

Ita in Gemara סנהדרין III. 2. quæſtio proponitur: unde conſtet tres judices Senatum minimum conſtituere? ad quod R. Joſua reſpondit: Rabbinos hoc eruere e loco *Exod.* XXII. *c.* 7. 8. ubi ter vocabulum אלדים reperitur, ibi enim præcipitur: pater familias ſe conferet ad Judices אלדים quo primum membrum indicatur; deinde dicitur: עד האלדים quod ſecundum ejus ſenatus membrum indigitat: additur denique אשר ירשיען אלדים *quem condemnabit Magiſtratus*; R. Jonathan vero,

ro, *ſubtili argumento deducit: e vocabulo* אלהים *quod primo occurrit*, argumentum nullum peti poſſe, verum rationem quod tres Judices minimo etiam judicio intereſſe & præeſſe debuerint, alio niti fundamento. Vid. סוכה *fol.* VI. *col.* 2.

דיו מן הדין להיות כנדון. *Sufficit ut id quod ex* (argumentatione) *provenit, ſimile ſit ei unde argumentum ſumitur.*

Cum per argumentationem a minori ad majus, vel contra aliquid deducitur, & alius quis argumentum hoc nimis extendere cupit; tum hæc formula uſurpatur: qua docetur hoc fieri haud poſſe, etenim *ſufficere, ut id quod ex argumento provenit, ſimile ſit ei unde &c.*

Ita in בבא בתרא *fol.* CXI. *col.* 1. per argumentum a minori ad majus adſtruitur: filium hæreditatem bonorum a matre relictorum adire poſſe, quia etiam filia hæreditatem matris conſequatur, quæ tamen bonorum paternorum hæres eſſe non poſſit. Hinc, cum quidam eo progreſſi, ut, etiam in matris hæreditate, filium filiæ anteponendum eſſe opinati ſint: hi reſponſum tulerunt: *ſufficit ut id quod ex argumentatione provenit*, videlicet filium hæreditatem matris adire poſſe, *ſimile ſit ei unde argu-*

argumentum ſumitur, nempe filiæ, neque illi in hæreditate bonorum matris, filius anteponatur. Vid. בבא קמא XXXVII. 2. ערובין V. 2.

דיקא נמי דקתני. *Hoc quoque argute probabo, nam docetur.*

Obſervandus eſt hic quoque dicendi modus, qui in Gemara occurrit, quoties conſtitutionis ratio, ſive e Scriptura, ſive alio decreto, nervoſe admodum & argute deducitur.

Ita in עבודה זרה *fol.* V. *col.* 2. quæritur: unde conſtet Naziræo non poculum vino plenum, nec Noachi poſteris membrum a vivo animante abſciſſum, eſſe porrigendum? Reſpondetur, quia *Lev.* XIX. *c.* 14. edicitur: ante cæcum offendiculum haud eſſe ponendum. Excipitur, conſtitutionem prius memoratam, hunc fundere ſenſum: porrigentem tum demum in culpa eſſe, ſi Naziræus aut Noachi poſteri, rem vetitam ipſi attingere non poſſint; ſin vero ipſi potuerint, ipſos ſolos culpam ferre debere, neque reum eſſe illum, qui porrexerit; ac ratio additur: *hoc tibi argute probabo, quia in Miſchna dicitur* לא יושיט *non porriget, homo poculum vini Naziræo*, haud vero לא יתן *non dabit*, vid. עבודה זרה VI. I. חולין LXVII. 2. חגיגה IV.

F 2 I.

I. בבא מציעא XXXVI. 2. XLVI. I. LI. I. בבא בתרא III. 2. בבא קמא VII. I.

דכולי עלמא ולא פליגי. *Nam totus mundus (i. e. omnes in eo conveniunt) neque diſputant.*

Convenit hæc formula cum אמר לך פלוני כולי עלמא סברי והכא בהא פליגי. Cujus ſignificationem vide ſub א enodatam Conf. פסחים IV. I. סנהדרין IV. 2. גיטין LIII. col. 2.

דכולי עלמא וכו׳ והכא בהא קא מיפלגי מר סבר ומר סבר. *Nam omnes (conſentiunt), verum heic hac de re diſceptant, nam Dominus per excellentiam ita vocatus dicit, & Dominus dicit.*

Formula hæc idem valet ac אמר לך פלוני כ״ע. Vid. יומא LVIII. 2. LIX. I. יבמות LXVII. 2.

דכולי עלמא אלא היינו טעמא. *Nam omnes in eo conſentiunt: verum hac eſt ratio.*

Cum Doctor Gemaricus deciſionis rationem adfert, de qua alii Doctores diſputant, & Amoræus contra exiſtimat, non hanc ſed aliam deciſionis rationem hiſce auctoribus controverſam eſſe: formula hæc reſponſionis loco venit; quod ut eo clarius pateat, ut conſuevi exemplum adjeci.

In

In Codice נזיר R. Meier aſſerit: quod ſi quis dixerit: voveo me volucres oblaturum, ſe ad Naziræatum hoc voto obſtrinxiſſe: reliqui vero Magiſtri eum a Naziræatu liberum pronunciant. Hinc Riſch Lakiſch autumavit, hanc hujus diſſenſus eſſe rationem; quod verba hæc obſcura ſint, quoniam ſcilicet verba: voveo me volucres oblaturum, aperte Naziræatum non indicent, ſed ex conſequentia ſint explicanda: & quia hic votum nuncupaverit ſe plures aves oblaturum, quæ non niſi a Naziræis vovebantur, hinc eum Naziræum eſſe. Sed reliqui Doctores hanc rejiciunt rationem, nam Rabbi Jochanane referente, *omnes in eo conveniunt*, hanc deciſionis rationem Doctoribus non eſſe controverſam, *ſed R. Meierum alia ratione niti &c.* Vid. נזיר III. 2.

דכתב רחמנא הוה אמינא וכו׳ ואי כתב וכו׳. *Nam ſi Scriptura ita ſcripſiſſet, ita dixiſſem, verum, &c. & ſi Scriptura aliter ſcripſiſſet, aliter dixiſſem.*

Formula hæc in reſponſione uſurpatur, cum Gemariſtæ rationem reddunt, cur conſtitutio aliqua, binis fulciatur Scripturæ locis.

In Gemara זבחים *fol.* IV. *c.* 2. evincitur *Deut.* XXIII. *c.* 24. verbis מוצא

 שפתיך

שפתיך תשמור *quod ore tuo prodiit ſervabis.* Et *Lev.* VII. *c.* 37. זאת התורה לעלה *hæc lex eſt de holocauſto, &c.* præcipi neque ſacrificiorum, neque Dominorum ſacrificia offerentium permutationem, eſſe admittendam, id eſt, victimas non alio quam proprio, & Dominorum offerentium nomine eſſe offerendas. Rogatur porro, cur Scriptura binis utatur locis, alteruter enim ſolus ſufficeret? Verum reſpondetur, hoc neceſſe eſſe, nam ſi *Scriptura ſolum ſcripſiſſet* מוצא שפתיך תשמור *id votum quod ore egreditur eſſe ſervandum, neque mutandum,* dixiſſem, non conſtare quibus de Sacrificiis Scriptura loquatur, & an hæc lex holocauſtis applicari poſſit. Si vero Scriptura aliter ſcripſiſſet, videlicet duntaxat: *hæc eſt lex de holocauſto,* omiſſo priori loco, dixisſem, hoſtiam non ſuo nomine jugulatam, immolationi inidoneam esſe. Vid. מנחות XXVII. 2.

דלמא שאני הכא התם דאמר. *Forte (ibi) hic alia eſt ratio, quia dicit.*

Utuntur Doctores Gemarici, hac formula reſponſionis loco, cum opponens aliquis, quem conſtitutionis illius de qua diſputatur ratio latuit, conſtitutionem aliam

aliam huic conſtitutioni opponit; ex eaque ſimilem procedendi modum evincere adlaborat, tum enim reſpondere ſolent: has conſtitutiones ſibi opponi non poſſe, addita hac formula: *forte enim ibi alia eſt ratio quia dicit.*

Ita in חולין xxviii. 1. traditur, in jugulatione duo ſigna eſſe reſecanda, arteriam aſperam ſcilicet, & œſophagum. Huic ſententiæ objicitur: etiamſi unum duntaxat inciſum ſit ſignum, jam jugulationem eſſe legitimam, quod מליקה *ungue ſectionis* exemplo demonſtratur; ſed reſpondetur: argumentum hoc nullius eſt momenti; *ibi enim forte alia eſt ratio*, nam ſpina dorſi & cervix in volucre ungue ſecantur, quod in jugulatione non obtinet, quippe quæ non ungue ſed cultro peragitur, vid. זבחים ii. 2.

Congruunt cum præcedenti, binæ hæ formulæ.

דלמא הכי קאמר. *Forte ita dicit.*

Vid חולין xiii. 2. נזיר ii. 2. חגיגה x. 1.

דלמא קאמר. *Fortaſſe ait.*

Conf. נזיר ii. 2.

דלמא אידי ואידי חד שיעורן. *Forte æque hoc ac illud, eadem gaudent menſura* (in qua conveniunt).

Veteres Hebræi, præcipue hanc adhibuerunt dicendi formam in reſponſione, cum quis impugnare ſententiam ſtudebat argumento, quod tamen illi ſententiæ non adverſari, ſed potius convenire videbatur: quod quo facilius intelligi queat, exemplum quod inveni infra locavi.

In Gemara תענית *fol.* x. *col.* 1. Gnanja diſſerit: in Babylonia preces propter pluviam impetrandam, ſexageſima poſt æquinoctium Septembris die, populo demum eſſe indictas: R. Huna filius Chin, nomine Samuelis, hanc dicit conſtitutionem, Gnanjæ redolere ſententiam. Verum objicitur: Samuelem illam nunquam foviſſe ſententiam, inde probari: quod in Babylonia degentes ferantur R. Samuelem conſuluiſſe, quo tempore roris & pluviæ mentio eſſet injicienda? (ſcilicet in precibus pluviæ ergo fundendis); quodque reſponſum tulerint lege ſancitum eſſe, ut hoc illo tempore fieret, quo ligna in hyemem parantur. Formula hæc denique adhibetur: *Forte hoc & id quod Gnanja determinat eadem gaudent temporis menſura:* ſive idem fuit tempus, Samuelem igitur cum Gnanja fortaſſe conſentire.

דמשמע הכי ומשמע הכי. *Nam hoc æque; atque illud intelligendum.*

Mo-

Modus eſt dicendi, cum è Doctoribus Talmudicis quæritur, cur ritum aliquem ſive præcipiant ſive vetent, qui in lege tamen neque jubetur, neque interdicitur? tum enim reſpondere adſolent: hoc omnino fieri debere, quia Scripturæ dictum utramque cæremoniam omnino complectitur: *Nam & hoc & illud intelligendum.*

Ita in Gemara זבחים *fol.* XIV. *c.* I. quæritur: cur Doctores Gemarici ſententiam pronunciarint de ſacrificiis, in altari holocauſtorum offerendis, quod Sacerdotum cogitatione, cum digitos in ſanguinem ſpargendum intingerent, illegitima reddi nequeant: cum in Scriptura *Lev.* IV. 25. nil quicquam de digitorum intinctione reperiatur? Ad quod reſpondetur: hoc omnino obſervandum fuiſſe: exiſtimaret enim quis, quia in loco citato jubetur: ולקח באצבעו *Deinde accipiens Sacerdos de ſanguine ejus digito ſuo*, perinde eſſe ac ſi eſſet וטבל *immerget Sacerdos digitum ſuum*, cujus mentio injicitur *vſ.* 17. *ejuſdem capitis*. Verum ideo in laudato loco non phraſin uſurpari וטבל, *ut utrumque inde deduci queat:* nempe quod Sacerdotum intentio, quam ad digitorum, vel manus in ſanguinem immiſſionem habuerat, ſacrificium non abominabile reddere queat, quia hæc intinctio quoque

 manu

manu fieri potuerit, neceſſe tamen eſſe, ut digiti ſanguini inferantur.

דנפקא לן מהתם. *Quia hoc nobis inde deducitur.*

Modus loquendi Gemaricis valde uſitatus, cum ritu aliquo in Scriptura jam ſatis probato, aliud Scripturæ dictum adducitur ad eundem ritum fulciendum; quod tamen minime illud cujus gratia erat additum, ſed aliud quid probat.

Ita in Cod. זבחים *fol.* IV. *c.* 2. quidam *Lev.* VI. *c.* I. verbis ובשר זבח probare ſtudent: ſacrificia permutare nefas eſſe, hæc vero ſententia cum alio ſcripturæ dicto ſit adſtructa reſpondetur: locum hunc hoc minime demonſtrare, *nam hoc nobis deducitur e Lev.* III. *c.* I. Formula hæc fere ſemper jungitur cum

דנין (זה מזה) ואין דנין זה מזה. *Simile a ſimili non vero a diſſimili dijudicatur.*

Gemariſtæ de aliqua ſententia diſputantes, ubi aliquis illorum exemplo, ad ſtabiliendam ſententiam ſuam utitur, minus ſubſtratæ materiæ convenienti, formulam hanc in reſponſione adhibere ſolent.

Ita in הגיגה VI. I. Schammæani & Hilleliani de חגיגה *ſacrificio comparandi*, & ראייה *feſtivitatis victima* diſceptant; Schammæani arbitrantur חגיגה *comparandi victimam* duobus,

bus, feſtivitatis vero uno comparandam fuiſſe Siclo. Quod victimarum feſto Pentecoſtes oblatarum exemplo illuſtrant, tum enim major holocauſtorum quam ſalutarium numerus parabatur, ideoque חגיגה *ſacrificium comparandi* quod in holocauſtum ſacrificabatur, majoris fuiſſe pretii. Schola Hilleliana vero defendit ראייה *feſtivitatis victimas* carioris fuiſſe pretii: Principes *Num.* VII. 10. enim altare holocauſtorum initiantes, ingentem ſalutarium, exiguum vero holocauſtorum numerum immolaſſent: idcirco feſtivitatis victimam, quæ שלמים *ſalutaris* erat, cariori pretio tum veniſſe. Verum Hilleliani regerunt, exemplum allatum a Schola Schammæana huc non quadrare, *quia ſimile a ſimili non vero a diſſimili deducatur*; Ideoque privatorum ſacrificia privatis ſacrificiis illuſtranda eſſe, non vero publicis, ſacrificium autem Pentecoſtes fuiſſe publicum, vid. יומא *fol.* LV. 1. ראש השנה VII. 1. VIII. 2. בבא קמא LXXXIII. 2.

(דקא) דברים ככתבן. *Verum verba ad literam ſunt intelligenda.*

Obſervanda eſt hæc quoque dicendi forma, qua Hebræorum Sapientes utuntur ſignificaturi, dictum aliquod ſecundum literam tantum eſſe intelligendum.

In

In Gemara זבחים *fol.* LIX. *c.* 2. R. Joſe diſputat *Exod.* XXVII. 1. ubi altare Moſaicum deſcribitur, quinque cubitorum longitudine & quinque cubitorum latitudine fuiſſe, verba ad literam eſſe intelligenda, ideoque hanc menſuram de toto altaris ambitu eſſe intelligendam. R. Juda contra hanc menſuram ad mediam altaris partem reſtringit, quoniam vox רבוע quod *quadratum* fuerit adponitur, quæ quoque *Ezech.* XLVIII. *c.* 6. uſurpatur: ubi altare quod ab Ezechiele delineatur quadratum futurum dicitur: quemadmodum igitur media hujus aræ pars fuit quadrata, altitudine & latitudine quinque cubitorum; ita & altaris Moſaici partem intermediam ejusdem fuiſſe menſuræ arbitratur. Verum R. Joſe rejecta ſententia R. Judæ, totum Altare Moſaicum quinque cubitorum longitudine & latitudine fuiſſe, hac evicit formula: *verba ad literam ſunt intelligenda.*

דקא דבר הכתוב בהווה. *Scriptura loquitur de eo, quod ut plurimum exiſtit.*

Ita e. g. in Cod. מנחות *fol.* III. diſſeritur: *Exod.* XXII. *c.* 30. lege quidem tantum interdictum eſſe, carnem in agro diſcerptam comedere, verum & animantia in urbe diſcerpta non eſſe manducanda, unde conſtat? Reſpondetur, *Scriptura duntaxat*

xat de eo loquitur quod ut plurimum evenit: hinc quia animantia plerumque in agro diſcerpuntur, de illo caſu duntaxat lex ſcripta eſt.

דרך קצרה. *Modo compendioſo* (conciſo).

Cum in Scriptura quædam breviſſime expreſſa deprehenduntur, & in Gemara rogatur; quid cauſæ ſit quod Scriptor Sacer hac, haud vero alia phraſi utatur, ſive quod caſum recenſeat unum, omittat vero alterum? formula hæc in reſponſione uſu venit: Et in Gemara hoc ipſo ſignificari putant, Magiſtri eſſe, diſcipulum via breviſſima erudire.

Ita in חולין LXIII. 2. quæſtio ponitur: cur in ſcriptura *Lev.* XI. ubi de animalibus mundis & immundis agitur, volucres duntaxat impuræ, beſtiæ contra puræ memorentur? ad quod Rabbi reſpondet: Deus quia ſcivit plures beſtias immundas eſſe quam mundas, avium vero purarum majorem numerum atque impurarum eſſe, idcirco minimum earum numerum expreſſit. Id quod ℥ Rabh ſententiam corroborat, dicentis nomine Meieri, Magiſtrum quemvis diſcipulum *via breviſſima* erudire.

דתנן דתניא. *Nam legimus in* (Miſchna) *nam lectio eſt* (in Beraita).

Modus

Modus hic frequentiſſimus a Gemaricis uſurpatus eſt, ubi traditionem adducunt ad ritum aliquem adſtruendum facientem.

Ita in Tract. חולין *fol.* XIII. *c.* 2. R. Gnubka filius Chama tradit: unumquemque quamvis non ſit Iſraelita ſacrificia poſſe offerre: *nam traditio eſt*, hoc probari e *Lev.* XXII. 18. ubi præcipitur איש איש אשר יקריב quoniam igitur vocabulum איש bis ponitur; decreverunt Magiſtri alias gentes æque ac Iſraelitas ſacrificia ſive votiva ſive ſpontanea offerre poſſe. Vid. חולין XXVII. I. בבא קמא V. I. XII. 2. LXXXIII. 2. נזיר VII. 2. VIII. I. XVIII. I. חגיגה II. I.

ה.

הא דידיה הא דרביה. *Hæc eſt ejus, alia vero Magiſtri ejuſdem ſententia.*

Utuntur Doctores Gemarici hac reſponſione, quum in Doctoris alicujus Miſchnici effatis diverſæ occurrunt ſententiæ, quæ contradictionem involvere videntur: dum enim illi ideo dubium movent, reſpondetur: *alteram eſſe ejus propriam, alteram*

vero

vero Magiſtri ſententiam cui ille non aſſentiatur. Quandoque dicitur: תרי תנאי ואליבא דפלוני *duo Doctores ſententiæ N. favent*, vid. תענית *fol.* IV. *c.* 2.

Ita in Cod. בבא בתרא *fol.* CXVI. *c.* 1. R. Jochanan dixiſſe fertur, ſummæ iræ Divinæ ſignum eſſe certiſſimum, ubi quis abſque hærede diem obiit ſupremum: alio verò in loco dicit: Summæ iræ divinæ ſignum eſſe certiſſimum, ubi Magiſter nullum relinquit diſcipulum; ac additur *priorem Magiſtri poſteriorem vero ejus eſſe ſententiam.*

(כי האי) הא תנא דבי ר' פלוני. *Ecce traditum eſt in Collegio R. N.* (*hoc ita ſe habere*).

Modus loquendi Gemaricis valde uſitatus, cum ſententia proponitur a Doctoribus cujusdam ſcholæ, uno ore comprobata.

Ita in בכורות *fol.* XXXII. 1. traditur: vocabulum גאולה quidem deduci a גאל, verum פדייה a גאולה quamvis idem ſignificet non derivari, quia ſint diverſa vocabula; cui ſententiæ opponitur: *in Collegio R. Iſraelis, omnes uno ore confiteri* verba diverſa a ſe invicem non deduci, modò eandem

dem ſervent ſignificationem. Vid. זבחים VIII. 2.

הא אלהים. *Ecce Deum* (teſtor).

Formula hac Doctores Talmudici uſi ſunt, cum rem jure jurando affirmarent, ut Græci μὰ Δία & μὰ τὰς Θεὰς.

Ita in חולין LIV. 1. Rabh Jitzchak auctor eſt, quid ſi beſtia mactanda a feris fuerit vulnerata, inquirendum fuiſſe an vulnus fuerit lethale: id quod affirmat hac aſſeverandi forma: *Deum teſtor*! Rabh ita quoque facere conſueviſſe.

הא דפלוני לאו בפירוש אתמר אלא מכללא אתמר *Hoc illius pronunciatum expreſſe prolatum non fuit, ſed aliunde concluditur.*

Ita v. c. in בבא מציעא *fol.* XXXVI. 1. traditur: Rabh dixiſſe quod ſi cuſtos qui depoſitum ſervandum accepit, illud rurſus alterius curæ commiſiſſet, ſub cujus cuſtodia deterius factum fuiſſet, hunc poſteriorem cuſtodem nulli culpæ eſſe obnoxium, quandoquidem ille prior, ſi idem ſub ejus cuſtodia accidiſſet, omni fuerit culpa exemptus. Porro Rabh Chiſta addit: *hoc non eſſe* ꝫ *Rabh pronunciatum expreſſe prolatum, ſed aliunde concludi*, vid. חולין XCIV. 1. XCV.

XCV. 2. שבועות XXI. I.

Aliquando formula hæc quæſtionis vicem gerit, tumque ita occurrit: בפירוש שמיע לך או מכללא שמיע לך. *An hoc expreſſe prolatum, an vero aliunde audiviſti?*

הא נמי תנינא. *Hoc quoque didicimus.*

Genus loquendi vere Talmudicum, quod in objectione occurrit, cum diſputatio quædam redundare videtur, alio ſcilicet loco jam pertractata: & reſponſum eſt, diſputationem non eſſe ſuperfluam, quoniam non eodem modo ibi pertractata eſt, ſed aliud quid ea ibi ſtabilitum; tum alter eodem modo utique jam eſſe diſputatum, idemque ſtabilitum aſſerturus, utitur hac formula: *hoc quoque didicimus.*

Ita in Gemara זבחים *fol.* XII. *col.* I. adſtruitur: ſacrificia גבוה *excellentiora* ſub nomine נמוך *ignobiliorum* jugulata, ad offerendum inepta; hoſtias contra ignobiliores ſub nomine excellentiorum mactatas, idoneas eſſe. Unde quæritur, cur hoc de ritu rurſus controvertatur, cum de eo jam in prima Miſchna diſputatum ſit? Reſpondetur: in memorato loco equidem de victimis ſanctioribus & minus ſanctis controvertitur, haud vero de minus ſanctis, quod etiam inter illa, differentia de-

prehendatur. Denique objicitur: *nonne hoc quoque didicimus? Cap.* x. *Miſchn.* 2. *hujus Codicis* זבחים.

הא איפלינו בה חדא זימנא. *Ecce hac de re, ſemel alias diſceptarunt.*

Crebro hoc dicendi genus in Gemara ponitur, cum Talmudiſtæ de ritu aliquo diſceptant, de qua in Miſchna jam diſputarunt tum enim objicitur: *Ecce, hac de re ſemel alias diſputatum eſt.*

In Gemara חגיגה fol. XVII. col. 2. Schola Schammæana aſſerit: Pentecoſten, ſi in ערב שבת *diem Sabbatho antecedentem* incidat, immolationem victimarum poſt Sabbathum differri, tempusque hoſtiis feſtivitatis jugulandis idoneum indicari: Hilleliani contra defendunt, ſtatim feſto ingruente, victimas immolare fas fuiſſe. Obj. *ecce hac de re alias diſputatum*, an ipſo feſtivo tempore victimæ ſalutares mactari queant.

הא בהא תליא. *Hoc (alterum ab altero) dependet.*

Frequenter Doctores Gemarici hac loquendi formula utuntur, cum conſtitutio quædam difficultatem aliquam habere videtur; tum enim ad quæſtionem, quamobrem conſtitutio hoc, non vero alio modo ſan-

ſancita ſit? reſpondere ſolent; *hoc ab alio dependet.*

In Gemara נזיר *fol.* XVIII. *col* 2. Rebbi & R. Joſe Judæ filius digladiantur: prior ait Naziræum impurum redditum, de integro votum exequi, ejusque initium poſt illum diem, quo victima immolanda eſt, capere, videlicet poſt octavum purgationis diem: poſterior vero defendit votum Naziræi ab integro ſuſceptum, a die quo ſe totondit, h. e. ſeptimo, incipere. Rabh Chiſta porro conſtitutionem profert, qua ſancitum, Naziræum etiam ſæpius pollutum non niſi unum offerre ſacrificium, quæ R. Joſæ filii R. Judæ ſententiæ patrocinatur aſſerentis, votum de integro ſuſceptum, ineundum eſſe a ſeptimo purgationis die. Atque ratio additur: quia nullum inter antecedens & proxime ſubſequens Naziræatus votum fuit tempus, ad ſacrificia immolanda idoneum, quo unus Naziræatus ab altero diſtingueretur. Objicitur, Rabh Chiſtæ ſententiam difficultatem aliquam parere videtur, videlicet noctem poſt Naziræi purgationem octavam, tempus oblationi inidoneum eſſe, quod Rebbi aliique inficiantur. Verum objectioni huic occurritur; difficultatem hanc nullius eſſe momenti, quia *alterum ab altero de-*

pendet, ſcilicet veſpera a die, & dies a veſpera; hinc, ſi veſpera octava tempus oblationi inidoneum eſt, Naziræatus de integro ſuſceptus, nonniſi proximo mane incipit; ſin contra Naziræatus hic, veſpera octava ſuſcipitur, vid. גיטין LXVII. I.

הא אמרה הדא זימנא. *Hoc ſemel dictum.*

Concordat hæc formula cum הא איפלגו בהדא זימנא, vid. נזיר *fol.* VI. *col.* I.

האי מאי קושיא. *Qualis hæc eſt objectio?*

Eſt hæc objectio, quæ ſententiam aliquam nullo niti fundamento oſtendit. Id quod infra poſita auctoritas liquido demonſtrat.

Ita in עבודה זרה *fol.* XXIV. *c.* 2. traditur, e 1 *Samuel.* VI. 14. conſtare, vaccas in holocauſtum fuiſſe oblatas, & notatur tum temporis hoc tantum fuiſſe licitum, cæteroquin holocauſta ex bobus tantum maſculis offerre fas fuiſſe; id quod aliis anſam præbuit quærendi: *qualis hæc eſt objectio?* ideo enim potius licitum fuit, quia locus ubi illa vacca in holocauſtum parabatur, במת יחיד *excelſum privati cujuſdam fuit*; vid. חגיגה X. 2. XI. I.

אלא הא קא משמע לן. vid. הא קמ״ל.
Conf. שבת VI. 2.

ההוא מבעי ליה. *Hoc deſiderat* (utitur) *ad id.*

Quum e Doctore cum altero diſputante, quæritur: cur non alterius ſententiæ accedat, ſatis utpote Scripturæ loco probatæ? ac reſpondetur: ſe Scripturam aliter explicare quam ille perhibet, tum additur: *hic loco hoc ad alind quid probandum utitur.* Et aliquando loco ההוא ponitur האי, vid. יבמות LXVIII. I.

Ita in Tract. חולין XXXVIII. 2. docetur: *Lev.* XXII. 27. ubi legimus: שור או כשב vocabulum או ſignificare, e heterogeneis agnum cum fœtu non eſſe mactandum. Alter vero ait: *ſe voce uti* או *diſtinctionis cauſa*, ne nempe legatur שור כשב bos & agnus, ſed bos aut agnus, quum natus fuerit, vid. בבא קמא CII. I. בכורות VIII. 2. נזיר III. 2. מגלה XVII. 2. חגיגה III. X. סוכה fol. IX. col. I. יבמות LXIV. I.

היא גופא גזירה ואנן ניקום ונגזר גזרה לגזרה. *Hoc ipſum eſt interdictum, an igitur interdictum propter aliud interdictum ſanciremus?*

Cum quæritur, quo pacto ſententia quædam legitima pronuncianda ſit, utpote qua alia everti poſſet deciſio? tum reſponſionis loco hæc uſurpatur formula.

Ita in Cod. עבודה זרה *fol.* xxi. *c.* 1. quæritur : cur Judæis Syriæ incolis conceſſum ſit gentibus ædes locare, cum iis interdictum, ædes gentibus venundare? Porro additur : hac deciſione aliam forte everti conſtitutionem, qua prohibitum gentibus in Palæſtina domum neque locitare neque vendere : etenim quia in Syria locantur, in Palæſtina quoque locandas eſſe, quis cenſeret. Verum reſpondetur, *decreto interdictum eſſe in terra Iſraëlitica* aliis gentibus ædes locare, ne gentes ſub hac ſpecie domus mercarentur, *an propter hoc, aliud decretum in Syria faciendum?* vid. חולין civ. 1. סוכה vi. *col.* 2.

היכי כתניתי לה. *Hoc quomodo didiciſti, intellexiſti?*

Modo hoc loquendi frequenter utuntur Gemarici in objectione, ubi quæritur quo de caſu ſententia quædam intelligenda, aut qua de re deciſionem fecerint?

Ita in Cod. זבחים fol. ix. c. 2. Rabba quæſtionem movet, quod ſi חטאת חלב *ſacrificium piaculare adipis eſu oblatum*, ſub nomine חטאת דטומאת מקדש וקדשיו *ſacrificii piacularis, pro eo qui quum pollutus eſſet, inſcius rem ſacram comederat : aut qui pollutus templum intrave-*

traverat, oblatum eſſet, quid tum ſit ſententiæ? Cui Rabh Acha filius Rabbæ reſpondet: hunc æque atque omnes priores caſus de quibus in antecedentibus diſputatum, illegitimos eſſe. Unde Rabh Aſche Rabh Acham filium Rabbæ rogat: *hanc Rabbæ quæſtionem quomodo didiciſtis*, an de שינוי קודש *ſacrificiorum permutatione*, an vero de שנוי בעלים *Dominorum offerentium commutatione?* reſpondetur: de offerentium commutatione quæſtionem hanc intelligendam eſſe.

היכא דגלי גלי והיכא דלא גלי לא גלי.
Ubi Scriptura quid revelat, manifeſte indicat, ibi revelat, ubi vero non revelat, ibi non manifeſte indicat.

Modus hic loquendi multis in locis reperitur, quando duobus de ritibus qui ſimilitudinem inter ſe habent, quæritur: cur in deciſione differant, cum enim inter ſe conveniant,ut eandem haberent deciſionem, par eſſet: tunc formula hæc in reſponſione occurrit.

Ita in Tract. זבחים *f.* XIV. *c.* 2. quæritur: quamobrem ſanguis ad altare ſtante Tabernaculo etiam per Iſraëlitam deduci poſſit,carnis vero adductio quæ quoque miniſterii pars eſt,quæ omitti poteſt,non niſi per ſacerdotem

 per-

peracta, legitima cenſeatur? nam cum hi actus inter ſe conveniant, ambo igitur ſive per Iſraëlitam ſive per ſacerdotem fieri potuiſſe videntur; verum reſpondetur: *quoniam ubi Scriptura revelat ibi revelat &c.* & quia heic membrorum adductio expreſſe Sacerdoti injungitur, non niſi Sacerdoti hac ſacrificandi parte defungi licuit.

היכא דאתמר אתמר היכא דלא אתמר לא אתמר. *Ubi dictum, dictum; ubi non dictum, ibi omiſſum eſt.*

Congruit hæc formula cum præcedenti, hoc obſervato diſcrimine, quod גלי Scripturæ locum; אתמר vero Miſchnicorum deciſionem ſignificet, vid. חולין LVI. I. 2.

הכל לאתויי מאי. (*Dictio*) הכל *ecquid includit?*

Semper pene vox הכל quædam denotat non ita clare demonſtrata: dum igitur de voce הכל in antecedentibus diſputatum, Doctores Gemarici hanc uſurpant formulam: *dictio* הכל *ecquid complectitur?* quandoque a vocabulo כל argumentum petitur.

Ita in בבא בתרא IV. I. Doctor Miſchnicus, clare recenſuerat omnes mœnium ſpecies, quæ ab iis eriguntur qui ſocietatem iniverunt: dein vero repetit הכל omnes, in-

inquit, ſunt exſtruendæ ad ſimilitudinem murorum, in illa regione uſitatorum? unde quæritur: *dictio* הכל *ecquid includit?* Vid. חגיגה 11. 1.

הכי השתא. *An nunc hoc illo modo ſe habet?*

Modus loquendi Gemaricis valde uſitatus, cum ad objectionem per argumentum ab alio ritu petitum reſpondetur: aliquando etiam formula hæc in objectione uſurpatur, quoties ritus per diſſimile exemplum (argumentum) probatur (demonſtratur).

Ita in בבא בתרא xciv. 2. Miſchna proponitur, in qua lege ſancitum: fructus ſi quis emerit, eum quartarium lolii inquinamenti, pro quolibet ſato accipere teneri: quantum vero illum quartarium exceſſiſſet, venditorem recipere debuiſſe. Conſtitutioni huic alia deciſio objicitur, lege ſancitum eſſe, quod ſi duo depoſitores curæ alterius pecuniam commiſiſſent, alter centum, alter vero ducentos florenos, dein vero quilibet ducentos repeteret florenos; depoſitarium his centenos tantum florenos ſolvere, reliquos vero reſervare, dum certa producatur probatio, utri horum ducenti floreni reddendi ſint. Denique quæritur: *an hoc nunc illo modo ſe habet?* Vid.

בבא בתרא xcv. 1. שבועות xxiii. 2. מנחות xv. 2.

הכא במאי עסקינן. *An quæris qua de re diſceptemus ?*

Formula hæc uſurpatur de ſententia à Doctoribus Miſchnicis, non vero Gemaricis allata; illi enim obſcure & ænigmatice loqui amant, nec mentem ſuam claris verbis exprimunt : Hi vero ubi ſententiam ſuam in ſe obſcure propoſuerunt, ipſi eam explanare, omnemque obſcuritatem tollere tenentur; interdum formula hæc occurrit cum הכי קאמר; cum vero objectionis ſignificationem habet, occurrit cum במאי עסקינן, vid. יומא lii. 2. liv. 1.

Ita in בבא קמא vi. 2. traditur *Exod.* xxi. doceri, quod ſi aliquis proximi agrum vel vineam læſiſſet, & jumenta ſua ſiviſſet depaſci aliena: illum de optimo in agro ſuo vel in vinea, pro damni æſtimatione illi reſtituere debuiſſe. Porro quæritur de cujusnam agro ſive vinea heic ſermo ſit, an ejus qui damnum intulit aut qui damnum fecit? ac reſpondetur: cur hac de re diſputent, cum pateat orationem hanc damnum inferentis agrum aut vineam ſpectare : *an quæris qua de re diſceptemus ?* hunc enim ſi optimum agrum aut vineam proximi depravaverit, jacturam factam reſar-

ſarcire teneri. Vid. חולין xxx. I. נזיר LXII. 2. XVII. I. יומא LIII. I. ראש השנה V. 2. גטין XLIX. I. שבת LXXVIII. I.

הכא נמי ליתי לפקיה. *Heic igitur quoque veniat, ad hoc excipiendum.*

Obſerva hunc loquendi modum objectionis loco à Doctoribus Gemaricis uſurpari, quoties in antecedentibus dictum, in hoc vel illo caſu, argumentationem à minori ad majus vel contra, Scripturæ loco enervari, tum enim paſſim ſequitur: *heic igitur quoque veniat ad hoc excipiendum*, nam etiam eſt Scripturæ locus, argumentationi à minori ad majus repugnans.

Ita in Cod. זבחים *fol* III. *c.* 2. traditur: dictum *Lev.* XXII. *c.* 15. ולא יחללו את קדשי בני ישראל argumentationem à minori ad majus enervare, ſcilicet ſancta ſanctis quidem pollui poſſe, non vero profanis. Unde colligunt ſi hoc valet, æquum eſt ut heic quoque R. Eliezeris argumentum à minori ad majus enervetur, voce תוכו quæ legitur *Lev.* XI. 33. nempe, quamvis res puræ illis, quæ cadavere pollutæ tangantur, oleo intercedente puræ manere poſſint, vaſa tamen pura impuris immiſſa contaminari, etiamſi vaſa pura à vaſe impuro, re quadam

dam intermedia, ad inſtar parietis ſecernantur.

הכא נמי כיון ד'. *Heic igitur eodem modo ſe res habet, quandoquidem &c.*

Congruit huic formulæ, אף אני אביא quam ſub א vide illuſtratam זבחים v. 2.

הכי קא קשיא לן. *Ita ſe noſtra habet objectio.*

Locutio, qua de vera ſententia errantem corrigere ſolent.

Ita in בבא קמא *fol.* VI. *col.* I. Rabh aſſerit: depoſitarium, ſi res curæ ſuæ commiſſas furto ablatas perhiberet, & jurejurando coram judicio confirmaſſet; poſt vero ſe pejuraſſe ſponte confiteretur, duplum non reſtituere, etiamſi teſtes eum pejuraſſe teſtificentur. Objicit Rabh Aſſe, quid eſt cauſæ R: Nunne quod Rabh Magiſtro ſuo objecerit, nihil intereſſe differentiæ, ſi depoſitarius ſe pejuraſſe confiteretur ſive iret inficias? quem Rabh corrigens hoc, inquit, noſtrum eſt dubium, ſive, *ita ſe noſtra habet objectio, &c.?* Vid. כריתות LXXXVII. 2.

הלכה כפלוני. *Conſtitutio eſt juxta N.*

Hac loquendi forma exprimitur, conſtitutionem aliquam publice in Schola eſſe propoſitam.

Ita

Ita in Cod. מכות *fol.* XXIII. *col.* 2. Rabh Ada filius Ahabæ, nomine Rabh *conſtitutio*, inquit, *R. Chanania juxta* filii Gamalielis ſententiam eſt, qua ſtatuerunt exciſionis reum ſi flagelletur abſolvi. Vid. תענית XVIII. 1. & XXVI. 2. בכורות XXXVIII. 2. יבמות LX. 2.

הלכה נקבל אם לדין יש תשובה. *Si conſtitutio eſt ἀναμφισβήτητος, eam concedemus, verum ſi e conſequentia deducitur, excipi poteſt.*

Ita in Cod. כריתות LXXXVII. 2. R. Joſua ſe audiviſſe dicit, quod ſi quis ſacrificium una cum quintuplici cibi genere comediſſet, hocque tum quidem ignotum poſt demum innotuiſſet, hunc prævaricationis ſacrificia offerre debere. R. Joſua porro ſibi videri aſſerit, legem hanc argumentatione à minori ad majus probari poſſe, cui R. Akiva regerit: *ſi ejusmodi eſt conſtitutio: eam admitto, ſin vero per argumentationem à minori ad majus, excipi poteſt.*

הלכה למשה מסיני. *Moſis eſt conſtitutio è monte Sinai.*

Cum Doctores Gemarici objectionem tollunt contra deciſionem ſuam prolatam, eam neque Scripturæ neque rationis ſuffragio fulciri; reſpondent: eam probari traditione orali à Moſe propagata.

Ita

Ita in Cod. חגיגה *fol.* III. *c.* 2. controverſia movetur: an de proventu tractus Amminadab & Moabi etiam decimæ pauperibus quovis anno Sabbathico ſint datæ? R. Eliezer reſpondet: ſe ex ſuo audiviſſe Magiſtro *traditionem oralem ex monte Sinai eſſe*, decimas de hoc tractu pauperibus quovis anno Sabbathico, omnino fuiſſe ſolvendas. Vid. סוכה *fol.* v. *col.* 2.

הלכתא למשיחא. *Conſtitutio tempore Meſſiæ obſervanda.*

Modus loquendi, cum Doctor quidam Gemaricus, de rebus quæ tum non in uſu erant, ſed Meſſiæ demum tempore obſervandæ decerneret; tum בתמיה *admirabundus* quærebat, an liceat deciſionem facere de rebus tempore Meſſiæ demum eventuris?

In Gemara זבחים *fol.* XLV. I. R. Eliezer nomine Joſe Galilæi ediſſerit: ſacrificium abominabile fore, ſi Sacerdos miniſterio in atrio defungens, perverſa intentione fuerit, circa immolandi partes in atrio peragendas; ſin vero miniſterio in atrio defungens, prave cogitaverit de ſacrificandi partibus in ſancto abſolvendis, victimam non abominabilem eſſe; v. c. ſi Sacerdos hoſtiam in atrio jugulans, cogitaſſet de ſanguine poſtero die demum ſpargendo, hoſtiam haud abo-

abominandam cenſeri, prava hac intentione qua in atrio fuerit, de aſperſione in Sancto peragenda. Rabh Nachman nomine Rabbæ filii Gibbuæ, & Rabh aſſerit: deciſionem hanc R. Eliezerem habere auctorem. Quærit denique Rabba, cum de ſacrificio adhuc tempore Meſſiæ peragendo, conſtitutio agere videatur: *an convenit decernere de cæremoniis Meſſiæ avo demum eventuris?*

הניחא לר׳ פלוני. *Ecce hoc placet Rabbi N.*

Frequenter in Gemara forma hæc occurrit, cum nullum dubium in traditione exotica adverſus Miſchnam motum eſt: ſed quoties dubium aliquod, ſive à Doctore Miſchnico, ſive Gemarico proponitur, hæc uſurpatur formula. אלא לפלוני מאי איכא וכו׳ de qua vid. ſub א. Conf. תעתני׳ II. I. כגלה II. 2.

Ita in Cod. סנהדרין XV. 2. traditur: *Exod.* XXI. *c.* 29. ubi bos qui cornu hominem petiit, ex lege lapidandus, & ejus Dominus capite plectendus pronunciatur: ואם שור נגח הוא כתמיל שלשום והועד בבעליו ולא ישמרנו והמית איש או אשה השור יסקל וגם בעליו יומת : אם כופר יושת עליו יושת־יושת עליו phraſin יושת עליו *ſi impoſitum illi fuerit* redemptionis pretium, equidem redundare, ſed nihilo ſecius ſignificare

care bovis Dominum, non adeo gravi pœna eſſe afficiendum: & additur: *hoc quidem placere illi qui putat*, graviorem dare pœnam qui ſuffocatur laqueo quam qui capite amputatur. Verum qui dicit pœnas haſce æquiparandas eſſe, quo pacto is locum hunc interpretatur? Vid. סנהדרין III. I. נזיר LXII. I. פסחים XXII. I. חגיגה X. I. 2. שבת XVI. 2. סנהדרין LXIII. I.

Aliquando formula hæc ita ponitur.

הניחא לפלוני דאמר אלא לפלוני מאי איכא למימר *Ecce hoc placet N. aſſerenti, verum juxta N. quid dicendum?*

Vid. מגלה II. 2. חגיגה II. I. IX. I. סוכה *fol.* V. *col.* I. & 2. יומא LX. I. יבמות LV. 2.

הנך לא צריכי קרא. *Hæc nullo Scripturæ loco indigent, quo probentur.*

Cum duo Doctores Miſchnici uno codemque Scripturæ loco diverſa adſtruere ſatagunt, & ex alterutro quæritur, quod ſi hoc loco ſuam fulciat ſententiam, unde alterius ſententia probari poſſit? reſpondetur: *Hic Scripturæ loco indiget nullo.*

Ita in Cod. זבחים III. 2. Rabbini voce תוכו *Lev.* XI. *c.* 33. probant, cibos in impura fornace etiamſi aſſeribus quibusdam intercedentibus ſeparentur, impuros reddi; R. Eliezer vero voce תוכו aſſerit cibos

bos argillæ involutos impuræ fornacis aëre pollui haud poſſe; idcirco e R. Eliezer quæritur, ſi voce תוכו hoc probetur, quo loco Rabbinorum ſententia ſtabiliri poſſit? ad quod reſpondetur: *nullo Scripturæ loco opus eſſe.*

(הני׳) הלכה ומורין. *Hæc conſtitutio eſt, quam ita quoque docemus* (pronunciamus).

Reconditus ſenſus eſt in hac dicendi forma, & in Gemara ponitur, cum conſtitutio ad aliquem caſum transfertur, & de eo pronunciatur.

Ita in Gemara בכורות *fol.* XXXVIII. *col.* 2. diſſeritur: quamvis nemini liceat in vitium proprii animantis primogeniti inquirere, fas tamen eſſe, ut conſtitutionem de vitiis indagandis Sapientum diſcipuli edoceantur, ut ſi de aliquo caſu conſulantur, dicere poſſint: *conſtitutio eſt, quam ita pronunciamus.*

הני מילי היכי דליכא דדמי ליה אבל היכא דאיכא דדמי ליה מדדמי ליה ילפינן. *Hæc verba ſecum comparantur, quia non alia illis ſimilia reperiuntur, quum vero verba, plane ſimilia inveniuntur, a verbis ſimilibus argumentum deducitur.*

Nota, formulam hanc reſponſionis ſenſum

ſum habere, quando quæritur: cur verba e quibus argumentum petitur, in forma & conſtructione convenire debeant: cum bene multa exempla ſint, ubi argumentum ex verbis, in conſtructione & forma non convenientibus, formetur?

Ita in Cod. נזיר *fol.* v. *c.* 1. quæſtio proponitur; cur ſignificatio vocis ימים II *Sam.* XIII. 23. non a ימימה *Judic.* XI. *c.* 40. petatur, cum vocis שב explicatio *Lev* XIV. *c.* 39. & 44. e voce בא deducatur? & reſpondetur: *hæc verba ſecum comparantur &c.* Vid. נזיר v. I. בכורות XXXII. I.

הרי מחלוקתך בצדו. *Ecce diſceptatio tua, ad latus ejus* (Miſchnæ, in ſubſequentibus) *reperitur.*

Formula hæc reſponſionis vicem gerit, qua opponentis objectio rejicitur, quoties ritus aliquis in dubium vocatur: de quo in Miſchna quidem controvertitur, ſatis tamen clare à Doctore Miſchnico probatus eſt.

Ita in Cod. זבחים *fol.* v. *c.* 1. quæritur: unde Doctor Miſchnicus probet, ſacrificium pro delicto non ſub ſuo nomine jugulatum offerri poſſe, quia nunquam poſt offerentium obitum offeratur? & objicitur, hanc ſententiam vacillare, quia in Miſchna

na non niſi agnus Paſchalis & Sacrificium piaculare excipiuntur, unde ſequeretur, hoſtiam pro delicto offerri poſſe, quamvis non ſub ſuo nomine mactata ſit. Verum objectionem hanc vacillare, formula hac oſtenditur: *Ecce diſceptatio tua ad latus ejus*, ſcilicet in Miſchna, ubi R. Eliezer dicit: אף האשם *ſacrificium pro delicto* quoque excipi, idque offerri non poſſe, niſi ſuo nomine jugulatum fuerit.

השתא דאתיה להבי. *Jam ſi hoc ita concedis.*

Cum Doctores Gemarici, ad objectionem opponentis elevandam reſponſione utuntur, quam opponens niſi propriæ ſententiæ contradicere velit concedere debet, hæc adhibetur formula; *jam ſi hoc ita concedis.*

Ita in בכורות XII. 1. bina adducuntur loca, nempe *Deut.* XV. 22. ubi legitur: puro æque atque impuro primogenitis, capreæ vel cervi inſtar, veſci licere: & *Deut.* XII. 15. habetur, holocauſti carnem, immundum & mundum comedere poſſe, tanquam cervi & capreæ. Hinc Rabh Mare poſteriori loco probare ſtuduit: quemadmodum caprea & cervus ideo non redimi poſſunt, quia conſecrari nequeunt, ita quoque res ſacras, ubi profa-

Digitized by Google

næ illegitimæ factæ ſint, redimi non poſſe rurſus, ut in uſum profanum adhibeantur. Hic vero à Gemaricis hoc tulit reſponſum: *jam ſi hanc amplecteris ſententiam*, dicendum, eandem Rabbi Simeonis eſſe opinionem, ſcilicet de primogenitis idem ferri poſſe judicium, quia ibi nempe *Deut.* XV. *c.* 22. quoque ſcriptum eſt: כצבי וכאיל *tanquam caprea & cerva carnem*, edes illa. Confer ערכין XXIII. I.

Quandoque formula hæc ita occurrit:

השתא דאתית להכי הא והא ולא קשיא. *Jam ſi hoc concedis de hac vel illa re, nulla eſt controverſia.*

Vid. תענית IV. 2.

השתא דאתית להכי אפילו תימא פלוני וכו׳. *Jam ſi eo perveniſti, ut hoc concedas quamvis aſſeras, hanc* N. *eſſe ſententiam.*

Conf. כלה XX. I.

השתא דאמרת האמר פלוני. *Jam ſi dicas N. dixiſſe.*

Vid. יבמות LXIV. 2. ראש השנה XIV. 2.

התם מרכתב. *Ibi* (ratio) *quoniam ſcriptum eſt.*

Formula hæc uſurpatur, cum eædem phra-

phraſes pro diverſo, in quo occurrunt loco, diverſum ſenſum requirunt. Ad quæſtionem enim, cur non eandem ubique habeant ſignificationem, reſpondetur: *Ibi ratio illius ſenſus quoniam ſcriptum eſt*, ſive quoniam in altero loco cum aliis conjuncta ſunt verba: & ſæpiſſime ſequitur: התם משום.

Ita in זבחים xii. 1. Gemarici quærunt; cur phraſis בין הערבים *inter duas veſperas*, non idem denotet tempus, totum nempe diei ſpatium, æque de agno paſchali ac ſacrificio jugi uſurpata? Et reſpondetur: *ibi* ubi de ſacrificio jugi agitur, hanc ejus eſſe rationem, *quia ſcriptum eſt Num.* xxviii. *vſ.*4. את הכבש אחד תעשה בבקר ואת הכבש השני תעשה בין הערבים. *Unum illorum agnorum parato mane, alterum vero inter duas veſperas.* Ideoque alterum juge ſacrificium mane, alterum vero veſperi mactandum eſſe, non autem univerſum diem ejus mactationi fuiſſe deſtinatum. Id quod Doctoribus Gemaricis anſam præbuit aſſerendi, phraſin בין הערבים heic ubi de ſacrificio jugi uſurpatur, non univerſum diem, ſed veſperam duntaxat denotare. Vid. בבא בתרא xciv. 2,

Google

ו.

ואם איתא. *Nam ſi ita eſſet.*

Modus hic loquendi Gemaricis valde uſitatus eſt, cum ſententiam aliquam infringere ſtudent ratione, qua patet hanc nullam probabilitatis ſpeciem præ ſe ferre.

Ita in בכורות *fol.* v *col.* I. traditur: ex *Exod.* XXXVIII. *c.* 25. ubi legitur: argentum tabernaculi æquaſſe centum talenta, mille ac ſeptingentos ac ſeptuaginta quinque ſiclos, firmum peti poſſe argentum, ſiclum ſacrum communi duplo fuiſſe majorem, & talentum ſacrum efficere centum & viginti, commune vero ſexaginta minas: *nam ſi ita eſſet*, quod ſicli ſacri non duplo fuiſſent majores, in citato loco plura recenſerentur talenta. Conf. בכורות x. I. חולין XLII. I. בבא קמא CVI. 2. ראש השנה III. 2. נדרים VIII. I. בבא בתרא XVI. 2.

ואפיק רחמנא. *Ipſa Scriptura hoc producit, indigitat.*

Talmudiſtæ, hoc loquendi modo rationem dant, cur ritum aliquem Scripturæ phraſi fulciant, quæ primo intuitu aliud probare videtur.

Ita

Ita in זבחים *fol.* IV. *col.* I. dictione והקריבו *Lev.* VI. *c.* 13. quæ *adductionem* proprie ſignificat, exceptionem ſanguinis etiam probant. Et addunt phraſi hac ſanguinis exceptionem, *ipſam Scripturam præcipere* ſive indigitare, ut inde colligi poſſit, ſanguinis exceptionem æque; atque adductionem ſuo fieri debere nomine. Vid. סנהדרין XV. I. LIV. 2. חגיגה XI. I.

ואמרי לה. *Et dicunt etiam hoc.*

Aliquando loco hujus formulæ uſurpatur.

ואי תימא. *Si dicas.*

Exempli inſtar eſto, quod in בבא קמא *fol.* CI. *col.* 6. obſervatur, ubi traditur: quod ſi quartam partem ſextarii ſanguinis occiſi hominis, domus fundus imbibiſſet; domum æque ac omnia ejus vaſa impura fuiſſe: & additur: *ſunt tamen, qui etiam dicunt:* domum illam cum ſupellectili puram manſiſſe. Vid. בבא בתרא III. I. XCIV. I. חולין XXVIII. 2.

ואי סלקא דעתיך. *Et ſi in mentem tuam veniret.*

Convenit hæc formula cum דאי סלקא דעתיך quam vide ſub ד. Conf. זבחים III. I. חולין LIII. 2. גיטין XLIII. 2.

Varia præterea huic formulæ junguntur, uti ex infra ſcriptis exemplis patet.

ואי סלקא דעתיך סבר פלוני ואי לא סבר וכו׳. *Et ſi putes N. ſtatuere &c. ſi autem non afferat, &c.*

Conf. נזיר VI. 2.

ואי סלקא דעתיך מי איכא מידי. *Et ſi ita exiſtimes &c.* (quæro) *an quidquam* (ita) *eſſe poſſit?*

Vid. חגיגה *fol.* VI. *col.* 2.

ואיצטריך ואיצטריך. *Hoc æque; atque aliud neceſſarium eſt.*

Eandem hæc loquendi forma habet ſignificationem cum, איצטריך ליה ס״ד quam vide ſub litera א explicatam. Confer זבחים IV. 2. יומא LXIII. 2.

ואכתי מיבעי ליה. *Et adhuc illi objici poteſt.*

Modus hic loquendi in Gemara valde uſitatus eſt, cum opponens objectionem, quam reſpondens diluere ſtudet, alio argumento tuetur, & ad prolatam reſponſionem excipit, tum in Gemara legitur: *& adhuc illi objici poteſt.*

Ita in Gem. חולין LXVIII. 2. traditur: *Levit.* XXII, 28. verbis ושור או שה אותו ואת בנו לא תשחטו ביום אחד, vetitum eſſe, bovem aut pecudem parvam cum

cum fœtu ſuo jugulare: hanc præterea legem de heterogeneis intelligendam eſſe, quamvis enim voculâ שֶׂה, heterogenea ſæpiſſime excludantur, hic nihilo ſecius particula או ea includi. Objicitur: או heic duntaxat diſtinctionem indicat, nempe: ſi quis bovem cum fœtu, aut pecudem parvam cum fœtu jugulet, eum legem hanc violaſſe. Ad quam objectionem reſpondetur: diſtinctionem hanc e voce בנו peti poſſe. Verum opponens priorem objectionem tuetur, particulam או heic non heterogenea complecti, hac formula: *Et adhuc objici illi poteſt*, vocula hac illud probari, quod in ſequenti Gemara docetur. Vid. יבמות LXVIII. 2.

ואם תמצי לומר לא פליגי. *Et ſi dicere velis*, (eos) *hac de re non diſputare.*

Congruit hic loquendi modus formulæ: אמר לך פלוני כולי עלמא וכו׳: de qua vide ſub א. Conf. בבא בתרא XCVI. I.

ואמאי אמר רחמנא. *Et cur* (hoc ita ſe habet) *cum Scriptura dicat?*

Obſerva hanc loquendi formam objectionis ſignificationem habere, quando a Doctoribus Talmudicis deciſio profertur, quæ ex Scriptura probari nequit.

Ita in Cod. נזיר IX. I. docetur: quod ſi quis dixerit ſe eſſe Nazaræum ficuum, id

eſt, ſe ficubus abſtinere velle, hunc Nazi-ræum eſſe, & quæritur: *quomodo hic Naziræus eſſe poſſit, cum Scriptura dicat:* Naziræum non ficubus, ſed vino duntaxat abſtinere debere?

ואימא מהכא. *Et ſi dicam* (hoc) *inde* (liquere) *quod &c.*

Uſurpatur hæc formula, cum aliquid Scripturæ aut Talmudiſtarum ſuffragio comprobatur, & ab opponente quæritur: cur etiam aliud quid ſignificare non poſſit, cum ipſe alio loco hoc probare queat?

Ita in בבא קמא *fol.* IV. *col.* 2. Rabh & Samuel diſputant, de vocis מבעה in Miſchna præcedenti ſignificatione. Rabh dicit: damnum ab homine illatum ſignificare, idque e *Jeſ.* XXI. *c.* 12. conſtare; Samuel vero damnum dentibus animalis illatum denotare contendit, quod *Obad. Cap.* 1 *c.* 6. illuſtrat: Gemariſta denique quidam objicit: *Et ſi dicam* מבעה damnum ex inundatione profectum ſignificare: *hocque ex Jeſ.* LXIV. *c.* 1. *liquere:* vid. בבא בתרא 11. *c.* 2. נזיר v. 1.

ואזדא פלוני לטעמיה. *Et N. ſuam ſequitur hypotheſin.*

Talmudici præcipue adhibent hanc loquendi formam, rationem reddentes, cur Doctor

Doctor Miſchnicus inprimis in Miſchna rationem, de qua diſputatio eſt adferat, cum aliam adferre potuiſſet? tum enim dicebatur: *rationem eſſe, quoniam propriam ſequitur hypotheſin.*

Ita in Cod. פסחים in Miſchna traditur: profecturum, triginta diebus feſtum paſchale proxime antecedentibus, non teneri ante abitum ſuum, fermento domum purgare. Ubi Rabba hanc adfert limitationem: ſi abiens ſe poſt Paſcha domum rediturum crediſiſſet, ſin minus, etiamſi ipſo novo anno profectus fuiſſet, eum ædes fermento tamen purgare ante profectionem debere; & notatur: *Rabbam heic ſuam ſequi ſententiam*, quoniam alio in loco ſtatuit: eum qui triginta diebus proxime antecedentibus Paſcha, domum ſuam Gazophylacium conſtituiſſet, illam fermento purgare non obſtrictum fuiſſe. Conf. פסחים VI. 1. בבא מציעה CXVIII. 2 מכות IX. 1.

ואימא כולי להכי הוא דאתא. *Et dicam totum locum eo tendere.*

Crebro Doctores Gemarici, hac loquendi forma utuntur, quum ex aliquo Scripturæ loco bini ritus eruuntur, & objectio ponitur, forte unam duntaxat cæremoniam inde demonſtrari poſſe.

Ita

Ita in מנחות LV. *c.* 2. diſſeritur: e *Lev.* VI. *c.* 10. ubi dicitur: לא תאפה חמץ חלקם *non fermentabitur, quia pars eorum, &c.* liquere, æque manipulum ferti Deo offerendum, atque ejus reliquias, quas Sacerdotes edebant, azymas fuiſſe. Porro quæritur: quomodo hoc inde demonſtrari queat? cum in laudato loco duntaxat edicatur: ſi fertum fermentatum fuerit, legem negativam violari, ſive id factum ſit pinſendo vel miſcendo, vel depſendo vel coquendo. Reſpondetur: poſterius, ſcilicet ferti reliquias, quibus Sacerdotes veſcebantur, azymas eſſe debuiſſe, probari e חלקם quod ibi occurrit. Objicitur: *Verum ſi dixerim totum locum eo tendere*, ut omnes hoſce caſus probet, quibus fertum fermentatum reddi poteſt, ſcilicet pinſendo, miſcendo, vel coquendo: quod ſcilicet ut Sacerdotum pars non fermentata eſſe debeant, unde igitur demonſtraretur, ſolam Sacerdotum portionem azymam fuiſſe?

ואידך פריך הכי. *Et alter* (dicit) *ita objice*, vel, *hoc ita excipi poteſt.*

Cum duo Doctores Gemarici, de aliqua deciſione diſputant, & alter rationem deciſionis reddit; tum quæritur: quomodo

do alter eam intelligat, datoque reſponſo, hac pergit formula: *hoc ita excipi poteſt.*

Ita in Codice זבחים x. 1. R. Illa perhibet; verbis *Lev.* VII. 14. הזורק את דם שלמים. *Sacerdotis qui ſpargit ſanguinem pacificorum erit, &c.* expreſſe præcipi, aſperſionem ſanguinis, ſub nomine ſacrificio illi competente peragendam eſſe, non vero per conſequentiam deduci: ne quis autumet, quia mactatio aut exceptio ſanguinis ſub nomine ſacrificio ſuo competente fiant; ergo etiam ideo hoc fieri in ſanguinis aſperſione: nam hos ſacrificandi actus a ſparſione differre, quod nullum ſacrificium tempore, quo reliqui ſacrificandi actus, ſcilicet mactatio & exceptio fiunt, Sacerdotum perverſa intentione illegitimum reddatur; ſparſionis vero tempore utique inidoneum reddi poſſit. R. Jochanan autem mavult, ſacrificium Sacerdotum perverſa intentione, in omnibus quatuor offerendi actibus, illegitimum reddi potuiſſe. Unde quæritur, quo pacto igitur R. Jochanan memoratum Scripturæ locum interpretetur? reſpondetur: *alter, ſcilicet R. Jochanan* dicit, *hoc excipi poſſe*: hos ſacrificandi actus ſecum comparari non poſſe, quod non ad idem altaris holocauſtorum latus peracti fue-

fuerint. Denique R. Jochananis ſententia repudiata, R. Illæ probatur.

ואידך השתא מיהא. *Alter* (vero dicit) *nunc nihilominus regeri poteſt.*

Formula hæc fere cum antedenti convenit, hoc obſervato diſcrimine, quod hac loquendi forma, argumentum opponentis plene ſolvatur, cujus rei exemplum legitur in זבחים x. I. חולין xLIJ. I. מכות xI. I. Quoties vero in objectione occurrit ita ſe habet:

ואידך נמי הנא. *Et alter an quoque idem profitetur?*

Vid. ראש השנה VIII. I.

והא: להכי הוא דאתא. *An hoc ad illud. probandum adducitur?*

Infra poſita auctoritas, uſum hujus loquendi formæ demonſtrat.

In Gemara זבחים *fol.* IV. *col.* I. Rabh Pinchas filius Rabh Ammæ putat loco *Lev.* VII. 15. ובשר זבח indicari, mactationem ſub ſuo fieri debere nomine, & quia nominis permutatio alio loco prohibetur, colligunt hoc loco שינוי בעלים *nominis offerentium permutationem* interdici. Unde quæritur: *an hic locus recte hoc probat?* Conf. נזיר LXI. I.

והא

והא הכא. *Cum tamen heic* (hoc addi poſſit) *hoc* (valeat), cur non ibi quoque?

Formula hac Doctores Gemarici objectionem corroborare ſolent, exemplo aliquo argumenti vim illuſtrantes.

Ita in Gemara זבחים *fol.* VI. *col.* 2. traditio habetur: ſacrificium pro delicto nullum expiare peccatum, poſt pecudis in ſacrificium pro delicto offerendæ, ſeparationem commiſſum. Cui ſententiæ objicitur alia conſtitutio: nempe, hirci feſto Pentecoſtes oblati, quorum poſterior expiare poterat peccatum inter ſparſionem ſanguinis, prioris hirci patratum, cum tamen poſterior hic hircus jam fuerit ſeparatus; & additur: *Cum heic poſteriori hirco jam ſeparato expientur peccata*, cur non & aliæ victimæ pro delicto ſeparatæ idem præſtare poſſint?

והא תנא דבי ר' פלוני. *Et hoc docetur in ſchola Rabbi N.*

Concordat hæc formula, cum הא תנא דבי ר' quam vide ſub litera ה explicatam. Conf. נזיר *fol.* v. 1.

והא פלוני הוא דאמר. *Et tamen ille ipſe N. eſt qui dicit.* Scilicet alio loco.

Cum Doctor Miſchnicus deciſionem fecit propriæ ſententiæ in alia Miſchna allatæ contrariam, tum hac formula interro-

gatur:

gatur: quî hoc facere potuerit.

Ita in Gemara נזיר *fol.* ix. 2. traditur: ſi quis dixerit oblationem hordeaceam adducam: hunc tritico votum exſolvere debuiſſe: quamvis enim hordeum nunquam, manipulus tamen ex hordeo offerebatur, hinc hordeum frumenti ſpecies eſt offerendo idonea, unde quoque voveri poteſt. Verum R. Jochanan auctor eſt quod ſi quis votum nuncupaſſet, ſe lentes oblatarum, quæ alias nunquam ſacrificabantur, tum triticum offerre, fas fuiſſe. Objicitur denique, *quomodo R. Jochanan hanc deciſionem facere poſſit, cum alio in loco dixerit &c.*

והא אמרוהו אמר פ׳ חרא זימנא. *Et tamen hoc dixerunt: N. alias dixiſſe.*

Formulæ hujus uſum vide ſub הא אמרה חרא זימנא enucleatum. Conf. נזיר x. 1. נדה xi. 2.

והדר ביה פלוני לגבי פלוני. *Et N. hac in re iterum N. aſſentitur.*

Modus hic loquendi in Gemara occurrit, cum duo Doctores Gemarici de aliquo ritu diſputantes, in diverſas eunt ſententias, & alter ſua ſententia relicta, alterius accedit & aſſentitur.

Ita Rabh Nachman & Rabba in Gemara זבחים *fol.* x. *col.* 1. diſputant: quod ſi Sacer-

Sacerdos ſacrificium ſuo nomine jugulans, cogitaſſet ſanguinem non ſuo nomine ſpargere, an ejusmodi ſacrificium, oblationi idoneum ſit? Priore ſententiam negativam, poſteriore vero affirmativam amplectente. Verum Rabba ſuam deſerit opinionem, & R. Nachman ſententiæ accedit. Et tum dictum eſt: *N. hac in re iterum τῷ N. aſſentitur.* Conf. זבחים x. 1.

וחכמים אומרים. *Et Sapientes dicunt.*

Doctores Talmudici, hac forma dicendi non ſemper totam Miſchnam aut traditionem exoticam antecedentem reſpiciunt, verum aliquando duntaxat ejus partem, cum ſententia quædam præceſſit, quam emuncti naſi viri aliter demonſtrarunt.

Ita in חגיגה *fol.* xx. *col.* 2. traditio habetur: omne id, quod oblationem illegitimam reddit manuſve polluit, in ſecundo impuritatis gradu eſſe, & unam manum alteram inquinare poſſe; quæ quidem eſt R. Joſuæ ſententia. Verum *Sapientes* i. e. alii Doctores Gemarici manus, *inquiunt*, ſemper ſecundi gradus impuritate contaminantur, & ideo manus manum impuram reddere nequit, quia nunquam immundities gradus ſecundi, aliam rem ſe-

cundo in gradu poteſt inquinare.

וכי תומא ליילף מינה. *Et ſi dicas* (inde) *deducendum eſſe.*

Modus eſt dicendi reſpondentis, cum ipſe objectionem format alteri opponendi anſam præcidens.

V. G. in Gemara זבחים *fol. xv. col.* 1. quæritur; unde conſtet adductionem ſanguinis ſub ſuo fieri debere nomine? Et additur: objiceret quis eam à reliquis ſacrificandi partibus peti poſſe: verum reſpondetur: hoc à veritate alienum eſſe, *nam ſi dicas &c.* Vid. קדושין 111. 2.

וכדפלוני דאמר פלוני. *Et juxta N. nam N. dicit.*

Occurrit hic loquendi modus, cum Doctores Gemarici ritum aliquem corroboraturi, ad auctoritatem aliquam provocant.

Ita in זבחים *fol.* 11. *col.* 1. deciſio reperitur: quamvis ſacrificium non ſuo nomine jugulatum fuerit, nihilominus reliqua miniſteria ſuo peragi debuiſſe nomine, *& quidem juxta Rabba ſententiam; Rabba enim dicit &c.*

ולא קתני. *Nam me non docet.*

Modus hic dicendi in Gemara reperitur, cum deciſionis ratio è Miſchnæ phraſi demonſtratur.

Ita in Cod. זבחים 11. 2. ratio redditur,

tur, cur hoſtiæ סתם *abſolute*, i. e., ſub nullo plane nomine jugulatæ, legitimæ ſint, cum tamen in Miſchna tradatur: quævis ſacrificia mactata שלא לשמו *non ſub ſuo nomine*, non eodem modo legitima eſſe, ſc. ut vota etiam offerentium expleant. Reſpondetur: *Miſchna me hoc non docet:* nam diſtinguendum eſt inter ſacrificia שלא נזבחו שנזבחו שלא לשמן & לשמן, poſterius de ſacrificiis ſub nullo nomine, prius vero de illis quæ non ſub ſuo nomine mactantur, intelligendum.

ולירה לא סבירא ליה. *Ille vero ſecus ſentit.*

Erui ex intimis latebris Gemaræ, loquendi modum hunc uſurpari, quoties Doctor Gemaricus ex alterius mente ſententiam aliquam profert, quam ipſe tamen non amplectitur.

Ita in סנהדרין R. Akiva dicitur aſſerere, quemadmodum matrimonium ſub pœna exciſionis prohibitum, iniri nequit; ita neque matrimonium præcepto negante vetitum. Unde quæritur, qua ratione R. Juda, qui cum R. Akiva ſtatuit extractionem calcei, quem vidua fratri mariti ſui defuncti ducere ſe recuſanti detrahebat, etiamſi rationes adſint, quæ matrimonium illegitimum redderent,

nihilo ſecius legitimam eſſe cenſeat, cum ea ſemper matrimonio æquiparetur. Et reſpondetur: R. Judam heic e Doctoris Miſchnici ſententia hoc tantum aſſerere; *Illum vero ſecus ſentire.* Vid. סנהדרין LIII. 2. חולין XXXIII. I.

ולטעמיך. *Et juxta tuas* (proprias) *rationes* excipi poteſt.

Modus hic loquendi objectionis vicem gerit, cum duo Doctores Gemarici in aliqua ſententia diſputant, & alter alteri dubium movet, quod ſibi ipſi opponi poſſet, tum excipitur: ex eadem ratione, qua contra ſe utebatur, contra illum ipſum argumentum deduci poſſe, hac adhibita formula: *& juxta tuas proprias rationes* excipi poteſt.

Ita Abaje dixiſſe fertur: puerum impubem, qui nondum cum patre prehenſa ejus manu, Hieroſolymis montem ſacrum aſcendere poterat; à matre Hieroſolymas geſtandum fuiſſe: quoniam mulieres quoque feſtivitati ſolenni inter eſſe debuerunt. Hinc Rebbi argumentum objicit; quoniam lege cautum eſt, ut infans a patre humeris ad feſtum bajularetur; cur Hanna cum filio biennio domi manſerit. Cui Abaje regeſſit, *juxta hanc tuam rationem*, vel ex eo ipſo fonte opponi poteſt: quare ipſa Hanna per triennium, feſtivitatem ſolem-

ſolemnem neglexerit, cum mulieribus ut quotannis adeſſent, præceptum ſit. Vid. חגיגה VI. 1. זבחים X. 2. בבא בתרא III. I. CXVIII. 2. CIX. 2. מכות VII. 2. יומא LI. 2. יבמות LVIII. 2. LXXXII. 2.

ולֵיפְרִיךְ. *At hoc fuit objiciendum.*

Cum duo Doctores de aliqua deciſione differunt, & alter ſuperatur, tum tertius illi, quod non excepiſſet exprobraturus, hac formula utitur: *at hoc fuit objiciendum.*

Ita in זבחים *fol.* x. *col.* 2. dicitur R. Joſua R. Eliezer conceſſiſſe, ſacrificium piaculare & hoſtiam pro delicto in eo convenire, quod proprio nomine ſint immolanda. Et Abaja dicit R. Eliezer ei hoc inde demonſtraſſe, quia ſacrificium piaculare, ſacrificium pro delicto & holocauſtum ſint ſanctiſſima. Verum Rabba hoc R. Joſuæ exprobrat dicens: *at hoc fuit objiciendum:* hoc argumentum nullius eſſe momenti, quia hæc ſacrificia non fixum habent pretium, quo æſtimantur, ideoque inter ſe comparari non poſſunt.

ולפלוני קשיא סיפא. *At ſecundum N. finis Miſchnæ objici poteſt.*

Cum duo Amoræi in Miſchnæ ſenſu diſputant, & alter ſuam ſententiam è Miſchnæ fine demonſtrat, tum ex adverſario quærit: quomodo Miſchnæ finem

explicet, cum ei Miſchnæ finis adverſetur? adhibita hac formula: *At ſecundum N. finis, &c.*

Ita Rabh Matna & filius Paddæ diſputant, an Naziræo 30. an vero 29. dies in Naziræatu ſint tranſigendi. Porro Rabh Matna ſententiam ſuam quod Naziræus 30. dies voto ſit obſtrictus, e Miſchnæ fine probat: ubi traditur, Naziræo trigeſima die ſe tondere licere. Et Paddam interrogat: *At ſecundum te* Miſchnæ finis, objici poteſt, &c. נזיר VI. 1.

ומאן לימא לן. *Ecquis nobis affirmabit?*

Ita in כריתות XC. 2 Abaje e Rabba quærit: *Ecquis nobis affirmabit*; die expiationis peccata ignota duntaxat expiari, fortaſſis tantum ea quorum nobis ſumus conſcii?

ומאי ניהו. *At quid hoc?*

Crebro Talmudici hac formula utuntur, cum deciſionem explicant.

Ita in Gemara זבחים *fol.* VII. 2. phraſis *Deut.* XVI. 2. חבחת de Paſchalis agni reſiduis explicatur, quod pro iis ovis & juvencus ſit offerendus, & interrogatur: *at quid hoc?* quo nomine offeruntur ovis & juvencus, ad quod reſpondetur: ſub nomine ſalutarium. Vid. בבא קמא III. 1. & 2.

ומאי ראית. *At quid vides?*

Con-

Convenit hæc formula cum מאי חזית. Vid. יבמות LXX. 2.

ומי שאני לי לפלוני והתניא. *An τῷ N. diverſa eſt ſententia, nam traditio eſt.*

Propria ſignificatio hujus formulæ eſt, quod objectionem denotet, cum Doctor Miſchnicus res eſſe diverſas dicit, quas in alia Miſchna inter ſe convenire prædicabat.

Ita in Tract. נזיר Rebbi diſcrimen facit inter dicentem כימות החמה *ſecundum dies ſolis* Naziræus ero, & dicentem: כמנין ימות החמה *ad numerum dierum ſolis* (id eſt trecentos & ſexaginta quinque dies) Naziræatus votum nuncupo. Unde quæritur: quo jure Rebbi heic diſcrimen notare poſſit, cum alio in loco dixerit; perinde eſſe, ſive quis priori ſive poſteriori modo votum in ſe ſuſceperit? ideoque dicit: *an τῷ N. diverſa &c.* Conf. נזיר *fol.* VIII. *col.* 2.

ומי אית ליה לרבי פלוני. *An igitur ſtatuit R. N.?*

Concordat hæc formula cum והא פלוני הוא דאמר, quam vide ſuperius explicatam. Conf. זבחים *fol.* VII. *col.* I.

ומי אמר פלוני וכו׳. *An N. hoc dixit.*

Eandem formula hæc cum præcedenti

fert ſignificationem, vid. בבא קמא xcix. 2. ראש השנה xiii. 2.

ומי מצית אמרת. *Et quomodo hæc affirmare potes?*

Rogantis hic eſt modus loquendi, quando in Gemara Scripturæ locus, ſive conſtitutio caſui applicatur, qui inde demonſtrari non poteſt.

Ita in Gemara זבחים *fol.* ix. *col.* 1. Rabba, locum *Lev.* iii. 6. 12. ואם מן הצאן agni Paſchalis reliquiis applicat, unde Rabh Hanna interrogat: *at quomodo hoc affirmare potes?* Nam in hoc loco dicitur. אם כשב אם עז, igitur ibi non de reliquiis agni Paſchalis ſermo eſt: Conf. בבא בתרא iii. 1. ראש השנה vi. 1. xiii. 1.

ומאי דלמא שני. *Unde vero hoc eſt? forte aliud quid eſt.*

Modus hic loquendi in Gemara objectionis vicem gerit, quoties reſpondens opponentis argumentum, ratione inconvenienti diluere ſtudet, ſive cum conſtitutio aliqua exemplo incongruo illuſtratur, tum enim objicitur: *Unde vero hoc illuſtrari poteſt?* hinc non illuſtratur, *forte aliud quid eſt.*

Ita in פסחים *fol.* iv. *col.* 1. quæſtio ponitur, ſi quis decima & quarta die Niſan domum

domum locat, dubius an illam exploraverit, quid tum ſit ſententiæ? atque reſpondetur eam pro explorata haberi, id quod ſequenti exemplo illuſtratur. Legitur traditionem eſſe, qui locat domum dubius, an a fermento purgata ſit, ſervus, mulier, aut parvulus dicant, ſe eam exploraſſe, fides illis habetur. Tandem objicitur: *unde hoc priorem conſtitutionem illuſtrat, forte alia eſt ratio.*

Paſſim formula hæc ita occurrit: ומאי ד' דלמא. Vid. סוכה *fol.* v. *col.* 2. ראש השנה *fol.* III. *col.* 2. יבמות LVIII. I.

ונסיב לה התלמוד. *At traditionem hanc ultro admittit, accipit, hoc inde demonſtraturus.*

Eſt hæc reſponſionis repetitio, qua ſententia aliqua ſtabilitur, & clarius explicatur, quam objectio ſequitur.

Ita in מועד קטן *fol.* III. *col.* 2. traditur loco *Exod.* XXXIV. 21. בחריש ובקציר תשבות non tantum vetari, quovis ſeptennio agrum eſſe colendum; verum etiam ſeptimo anno aliquid de anno præcedenti eſſe addendum, ſcilicet agrum non niſi ad Paſcha anni præcedentis fuiſſe arandum, arbores autem ad Pentecoſten uſque plantare fas fuiſſe. Unde quæritur: an is flagellatione dignus, qui additionem hanc

non obſervat, quemadmodum is flagellationem meretur, qui anno Sabbathico terram arat? & reſpondetur: Doctorem Talmudicum *traditionem admittere, ac inde demonſtrare*, hunc non pœnam dare. Vid. זבחים vi.

ועוד הא בעא מיניה *Et porro hoc ex illo quaſivit* (porro objicit).

Formula hæc frequenter à Doctoribus Gemaricis ponitur, cum ſecundum proferunt argumentum, priusquam ad primum reſponſum eſt: & aliquando occurrit: ועוד מי רמי. Vid. ראש השנה *fol.* iii. *col.* 2.

Ita in Gemara זבחים *fol.* vii. *col.* 1. R. Jeremia objicit, quo argumento R. Simeon afferat, in jugulatione ſacrificii cœtus declarari, ſub quo nomine offeratur, cum Rabh Jehuda nomine R. Simeonis contrarium tradiderit: & aliam proponit objectionem in Gemara, hac formula obſervata: *Et porro hoc ex illo quaſivit*, de hircis feſto Pentecoſtes oblatis &c.

ופלוני מי סבר כפלוני והא תניא *Et quomodo N. ſtatuit ſecundum N. cum legamus, ſcilicet contrarium hunc ſtatuere?*

In hac formula obſervandum, quod objectionis vices gerat, cum Amoræus Amoræo conſentire dicitur, qui contrariam illi ſententiam amplectitur, tum enim quæritur:

tur: *Et quomodo N. ſtatuit &c. ſecundum N. cum legamus.*

Ita in Gemara נזיר *fol.* VIII. *col.* I. Rabbi Jehuda perhibet: cum quis acervum frumenti videns, Naziræatum ſuſcipit (ſi is, inquiens, acervus centum coros complectatur, Naziræus ero) & acervus furto auferatur, priusquam eum menſi ſint, hic voto ſolutus eſt. Porro dicitur, hoc cum Rebbi ſententia convenire aſſerentis: vota huic ſimilia ſuſcipientem v. c. tot Naziræatus in me ſuſcipio, quot capilli in capite ſunt, perennem eſſe Naziræum: & quæritur: quomodo R. Juda ſtatuit, ſecundum Rebbi, nam legimus &c.

ופלוני לטעמיה דאמר. *At N. juxta propriam ſententiam affirmat.*

Eundem fundit hic loquendi modus ſenſum, atque ואזרא פ׳ לטעמיה quem vide ſuperius enodatum. Conf. נזיר IX. I.

ופלוני אמר מהכא. *At N. dicit hinc probandum eſſe.*

Convenit hæc formula cum ותנא מ״תי מהכא. Vid. ראש השנה *fol.* VII. I.

וצריכא דאי כתב רחמנא הוה אמינא *At neceſſe eſt; ſi enim Scriptura tantum dixiſſet, dicerem.*

Cum duo aut tres caſus totidem Scripturæ dictis demonſtrantur, & à Doctore Gema-

Gemarico quæritur: cur hi caſus diverſis locis Scripturæ probentur, etenim ſufficeret, ſi unus horum fuiſſet allatus, omnes enim hæ cæremoniæ, ſua ſponte inde potuiſſent demonſtrari? Tum reſpondetur: *neceſſe eſt; nam ſi unus locus tantum fuiſſet adductus, aliquis autumaſſet*; de hiſce cæremoniis certam aliquam ob rationem, aliam ferendam eſſe ſententiam.

Ita in Cod. זבחים *fol.* IX. 2. traditur: Doctores Talmudicos duobus hiſce locis *Lev.* I. 10. & *Lev.* III. 6. 7. probatum dare agni Paſchalis reliquias, loco hoſtiarum ſalutarium jugulandas fuiſſe, addita hac reſtrictione: quemlibet horum locorum peculiarem probare cæremoniam. *Lev.* I. *c.* 10. adſtrui agnum Paſchalem, ante tempus ſolitum ſuo nomine mactatum, hoſtiæ ſalutaris nomen ſibi vendicare. E *Lev.* III. *c.* 6. 7. illuſtrari: quod ſi mactationis tempus & ætas adſint, nihilo ſecius ſalutarium nomine, mactatum ſacrificium ſalutare audire. Quæritur denique: cur duo hæc ad hos probandos caſus adducta ſint loca, ex uno quippe omnes hæ cæremoniæ demonſtrari potuiſſent? reſpondetur: *neceſſe eſt &c. ſi enim Scriptura unum tantum locum haberet, unicum tantum*

Digitized by Google

tum adduxiſſet ritum, non vero reliquos memoratos. Vid. בבא קמא x. 2. בבא מציעא xxxvii. 2. חגיגה xxi. 1.

Congruit huic formulæ.

וצריכי דאי אתמר בהא התם הוא דאמרי משום אבל הכא לא ואי איתמר הכא אבל התם לא קא משמע לן. *At neceſſe eſt, nam ſi duntaxat hoc de caſu dictum eſſet, dici poſſet: ibi hanc rationem aſſerendi eſſe, verum heic eam non obtinere. Et ſi heic dictum foret, dicerem: verum ibi non obtinet, idcirco docet.*

Vid. נזיר x. 1. Paſſim in formula hac loco אתמר ponitur אשמעינן *audivimus.* Vid. סוכה *fol.* vii. *col.* 2. יבמות lxix. 1. ראש השנה vi. 1.

וצריכי דאי כתב רחמנא ב' משום אבל (כו') אימא לא ואי כתב משום ד' אבל (זה) אימא לא צריכא. *Et neceſſarium, nam ſi Scriptura heic notaſſet, dicerem: hoc idem eſſe, &c. Verum &c. dicerem, rem ita ſe non habere, & ſi notaſſet Scriptura, dicerem hoc hanc ob cauſam fieri ſed &c. dicerem nam ita eſſe, ideo neceſſe eſt.*

Vid. יומא xlii. 1.

ורמינהי. *At objicio.*

Formula hac objectio exprimitur, quando

do Miſchna, Beraita, aut Scripturæ loca, ſibi opponuntur.

Ita in Gemara חולין *fol.* xxxii. *col.* i. Miſchna proponitur, qua traditur: ſi quis animantis œſophagum inciſiſſet, aut guttur perrupiſſet, vel contra; Rabbi Itsbas animans hoc morticinum, R. Akivam vero illud duntaxat diſcerptum, pronunciare. Dein vero R. Akiva, R. Itsbas conceſſit illud omnino morticinum eſſe, cui in Gemara objicitur: *objicio* ejusmodi animans non eſſe morticinum. Conf. בבא מציעא xxxvii. i. זבחים ii. 2. יבמות lxxx. i.

ורמא מלתא אחריתי. *At aliud quid objicio.*

Genus loquendi Talmudicum, quando Doctor aliquis Talmudicus ſententiam alterius Doctoris evertere ſtudet, cui cum reſpondetur, ille ex hujus reſponſione elicit conſectarium huic contrarium.

Ita in Gemara זבחים *fol.* iii. *col.* i. Rabbi Juda ſententiam proponit nomine Rabh, ſcilicet quod ſacrificia ejusdem ſpeciei v. c. ſacrificium piaculare nomine holocauſti jugulatum, quæ ejusdem ſunt ſpeciei, videlicet ſancta ſanctorum ſe ſanctitate privare poſſint. Hanc vero ſententiam infringere ſtudet argumento a libello repudii petito, videlicet libellum

lum repudii, nomine mulieris repudiandæ & gentilis ſcriptum, quæ non ejusdem ſunt ſpeciei, nempe mulieres Hebreæ illegitimum eſſe, & reſpondetur hoc argumentum non valere, nam mulierem gentilem ejusdem atque mulierem Hebræam eſſe ſpeciei, videlicet mulieres; ideoque res ejusdem ſpeciei ſe invicem deſtruere. Denique objicitur: *at aliud quid objicio &c.*

ורבנן סברי *Rabbini vero arbitrantur.*

Convenit hæc formula cum חכמים אומרים quam vide ſuo loco expoſitam. Conf. נזיר *fol.* 111. *col.* 2.

ותיפוק ליה. *Inde hoc eliciat.*

Obſerva formulam hanc in objectione occurrere, quando ratio haud idonea alicujus deciſionis adfertur, tum enim ibi dicunt: *Inde hoc eliciat*, aliamve adducat rationem, huic materiæ melius convenientem.

Ita in סנהדרין *fol.* XVI. *col.* 2. in Gemara ratio redditur: cur civitates terræ Canaan confines, quemadmodum in ipſa Terra Canaan ſitæ, non ſint deletæ: hoc nempe ideo factum eſſe, ne gentes Terram Iſraëlitarum ut invaderent, ſollicitarentur. Verum quæritur: cur hæc profertur ratio, melior quippe in ſacris literis reperitur, inde hoc eliciat ſcilicet e. *Deut.* XXII. 14. 15. quia ibi eſt vox קרבך quæ medium non

non confinium regionis ſignificat; ideoque civitates Terræ Canaan confines non fuiſſe evertendas: vid. בבא קמא CI. I. חולין XLIV. 2. חגיגה XXVI. 2. נזיר XLI. I. יומא LI. 2. LIII. I.

מהכא (לה) וּתנא ממיתי. *At Doctor Miſchnicus hoc inde deducit.*

Modus hicce loquendi tum uſurpatur, cum Doctor Gemaricus ſententiam aliquam ſive e Scriptura, ſive e traditione exotica probaturus, rectum quidem locum, ſed non recta illius loci verba affert, ſive cum locus minus aptus adducitur, tum enim reſpondetur &c.

Ita in Gemara בבא בתרא *fol.* CXI. *col.* 2. *Numer.* XXVII. II. & quidem e verbis נחלתו לשארו probatur, maritum uxoris hæreditatem adire poſſe. Verum Doctor Scholæ R. Iſmaëlis idem ex eodem quidem loco, ſed tamen aliis verbis ſcilicet ibidem וירש אותה probat. Vid. חולין XXVII. I. & 2. קדושין IV. 2.

קתני ותנא דידן מאי טעמא לא. *At noſter Doctor quam ob cauſam non ita tradidit?*

Notandus & hic dicendi modus, quo Gemarici utuntur cum duo Amoræi in Miſchnæ ſenſu diſputantes, in diverſas initio

tio quidem eunt ſententias, dein vero conveniunt, tùm quæritur: cur Doctor Miſchnicus ambigua uſus fuerit phraſi, cum ſententiam clarius proponere potuiſſet, quod deinde fecit.

Ita in Gemara פסחים *fol.* 11. *col.* 1. Rabh Jehuda & Hunna diſputant de voce אור quæ in Miſchna reperitur, utrum diem an vero veſperam denotet? & tandem conveniunt *veſperam* ſignificare. Hinc quæritur: *cur Doctor Miſchnicus non voce* לילה *uſus fuerit*, tum enim nulla fuiſſet controverſia? בבא קמא IV. 2.

(ותו) דקארי לה אמאי קארי לה. *Qui hoc* (*denuo*) *legit*, (hoc objicit) *quare hoc legit*, (hoc objicit)?

Obſervandus eſt quoque hic loquendi modus, quo in Gemara docetur, opponentem objectionem tum ineptam, tum obſcuram protuliſſe, tum rogatur: *qui hoc objicit* (legit) *quare ita legit* (an non ipſe animadvertit hanc objectionem nullius eſſe momenti)?

Ita in בבא בתרא *fol.* 11. *col.* 2. in Miſchna traditur, vicini ſi parietem in area ſibi communi ducere cupiant, parietem in media area eſſe erigendum. Hinc Gemarici quærunt: hoc cum ita evidens

 ſit,

ſit, cur conſtitutione adhuc ſancitum ſit? ac reſpondetur: hanc conſtitutionem in peculiari caſu uſum habere, videlicet ſi vicinus vicino conceſſerit parietem erigere, non tamen in ſuo fundo, ita ut vicino dicere poſſit, dedi tibi equidem facultatem, parietem in area nobis communi ponendi, quamvis proſpectui meo officiat, haud vero tibi indulſi, me fundo meo privare. Atque hac de cauſa in Miſchna docetur: hoc in caſu parietem in media area eſſe ponendum. Objicitur: traditio habetur, quod ſi paries in area vicinis communi erectus fuiſſet, ejus fuiſſe murum ad 4. cubitorum altitudinem reficere de integro, in cujus areæ partem cecidiſſet. Verum reſpondetur: poſteriorem conſtitutionem priori æquiparari haud poſſe, quia Magiſtri peculiarem de pariete qui ſubito concidit, tulerunt ſententiam. Unde rogatur: *Ecquid opponentem movet, hanc proponere objectionem*; an non ipſe deprehendit diſcrimen inter hunc atque priorem caſum? יבמות LXXII. 2.

ותו מטונך *Et porro ſecundum tuum onus* (objectionem).

Modus loquendi uſitatus, cum opponens argumentum quo refellere ejus objectionem

nem volebat reſpondens, contra illum invertit. Objectio vero heic oneris nomine venit, niſi enim diluatur, alter objectionis onus bajulare tenetur.

Ita in ראש השנה *fol.* III. *col.* I. & *fol.* IV. *col.* I. Rabbi Iſaac ait: Regem Cores a probitate deflexiſſe: Unde Rabh Cana quærit: quomodo hoc intelligendum, an deterior factus? atque objicit *Ezræ* c. VI. *c.* 9. ubi a Cyro legem ſcriptam videmus: Tradatur viris illis, ne impediantur: Etiam quæ opus ſunt, ut juvenci ſubrumi, & arietes & agni ad holocauſta, pro Deo cœli triticum, ſal, vinum, & oleum, prout dixerunt Sacerdotes, qui ſunt Hieroſolymis, tradendum eſſe ſibi quotidie error ne committitor: omnia igitur conceſſit, quæ Iſraëlitarum ſummis commodis inſervire poterant, quo pacto itaque improbus dici meretur? Reſpondet Rabbi Iſaac: *Secundum tuam objectionem reſpondebo*; eodem quippe capite *c.* 10. dicitur: Rex hæc edixiſſe, ut offerant Deo, & pro vita Regis ejusve filiorum preces fundant, hinc liquet Cyrum non ob gloriam Dei ſed proprium commodum feciſſe, quæcunque fecit.

ותנ' אינהו קשישי טובא. *At hi Doctores*

 multo

multo antiquiores ſunt.

Obſervandus eſt hic quoque loquendi modus, qui in Gemara occurrit, cum conſtitutio certo auctori adſcribitur, qui tamen diu poſt illam conſtitutionem ſancitam vixit, tum enim ſæpiſſime objicitur: *at hi &c.*

In ביצה *fol.* XXVI. I. & XXVII. I. R. Juda Naſi ait, animans primogenitum, quod ſi die feſto in foveam incidiſſet, ſ מומחה *inquiſitoris vitiorum* fuiſſe, in foveam deſcendere, & explorare, an animans vitio laboret. Verum Rabbi Simeon filius Manaſſe lege, inquit, cautum eſt, ne quis die feſto in vitium inquireret. Rabh Joſeph nomine Magiſtratus Hieroſolymitani porro ait, R. Simeonem ejusve collegas perhibuiſſe, conſtitutionem hanc eſſe juxta R. Meier, videlicet in more poſitum fuiſſe, ut vitia primogenitorum die feſtum antecedenti explorarentur. Unde objicitur: quo pacto hoc eſſe queat? *cum R. Meir antiquior fuerit.*

ז.

ואת אומרת. *Hoc dicit* (*indicat*).

Cum Doctor Gemaricus ſententiam alius obſcure propoſitam, clarius explanare cupit: innuens ſententiam hanc hunc vel illum fundere ſenſum, tum formula hæc adhibetur: *Hoc dicit.*

Ita in Cod. נזיר *fol.* XLVI. 2. R. Simeon aſſerit: ſi Naziræus, ubi jam comam totondiſſet, aliquod ſuorum ſacrificiorum, ſive holocauſtum ſive ſacrificium piaculare, aut ſalutare obtuliſſet, & quorum alicui aliquid accidiſſet, quo illegitimum redderetur, ſacrificium illud debitum non expleviſſe, ſed alias hoſtias offerendas, comamque de integro tondendam fuiſſe. Verum ubi comam raſiſſet, ſi tribus ejus ſacrificiis ſimul oblatis, unum eorum illegitimum factum fuiſſet, cæteraque non ſub ſuo nomine mactata fuiſſent, tum capilli tonſionem quidem non iterandam, alias tamen victimas offerendas fuiſſe. Id Rabh Ada filius Abbæ explicaturus, *hoc indicat* ſententiam hanc hunc ferre ſenſum: quod ſi Naziræus ſe totondiſſet, ſacrificium ſalutare à ſe oblatum etiamſi non ſub ſuo proprio jugula-

tum eſſet nomine, Naziræo non officere, quia ſacrificia hæc non ſub ſuo nomine mactata votivorum inſtar offeruntur. Vid. בבא קמא *fol.* XXXIII. 2. יומא LXVI. 2.

קשיא (זו אזו). *Hoc huic objici poteſt.*

Obſervandum formam hanc adhiberi, cum in Gemara traditio affertur, & opponens aliam traditionem objicit, quæ huic adverſari videtur, epiphonematis loco tum dicitur: *Hoc huic objici poteſt.*

Ita in חולין *fol.* XXXVIII. I. Rabbini ſtatuunt, animal tam graviter morbo laborans, ut ſe plane non moveat, non eſſe jugulandum: Rabh vero ait: quod ſi mugiat, hoc eſſe ſignum animal ſe movere ideoque mactari poſſe: Huic deciſioni alia objicitur, ſcilicet R. Meieri dicentis, boatum pecoris dum mactatur, hujus rei ſignum non eſſe, *idque hoc huic objici poſſe.*

Quandoque dicitur: הלכתא אהלכתא קשיא. *Conſtitutio conſtitutioni objici poteſt.* Conf. שבת *fol.* XXIV. *col.* 2.

זכר לדבר. *Hoc ut eo firmius memoriæ inhæreat*, repetitur.

Tal-

Talmudiſtæ hoc loquendi genere utuntur, cum locus Scripturæ in patrocinium vocatur, qui non ſatis clare id, cujus gratia adducitur probat, tum additur: in loco hoc rem probandam ſaltem revocari in memoriam: *Hoc ut memoriæ inhæreat.*

Ita in ברכות *fol.* 11. *col.* 2. quæritur: quando pericopæ שמע veſperi leguntur? reſpondetur: ab eo tempore quo Sacerdotibus qui polluti fuerunt, licet תרומות *primitiis* prima vice veſci, cujus ſignum ſtellarum ortus habetur; id quod e *Nehem.* c. IV. c. 15. 16. demonſtratur. Et quamvis heic non demonſtretur ſiderum ortum noctem ingruentem indicare, tamen ejus mentio ideo adducitur ut *memoriæ in hæreat*, ſtellis orientibus noctem incipere: vid. יבמות LXIV. 1.

קתני זו ואין צריך לומר זו. *Hoc & ſimul illud, quod non opus erat docet.*

Nota formulam hanc in reſponſione uſu venire, quando argumentum Gemaræ traditioni exoticæ objicitur, cum clare ſatis ex antecedentibus deduci potuiſſet, tum reſpondetur: *Hoc & ſimul illud &c.*

Et aliquando forma hæc occurrit לא זו אף זו קתני. Vid. בבא מציעא

xxxviii. i. סנהדרין lxvii. i.

Ita in עירובין lxxvi. i. habetur: feneſtra aliqua inter duas areas conſtituta, ſi altius ſit decem palmis, tum ob ritus Sabbathum ſpectantes, duas עירובי *mixturas* eſſe adhibendas. Porro in Gemara diſſeritur: quod ſi hujus feneſtræ maxima pars fuiſſet decem palmorum, minima vero minus decem palmis, binas quoque עירובי *commixtiones* fuiſſe faciendas. Unde objicitur: ultimum hunc caſum clare ſatis e priori jam deduci potuiſſe, & reſpondetur: *hoc & ſimul illud, quod non opus erat, docet*. Vid. כריתות lxxxix. 2.

זמנין אמר משמי' וזמנן דאמר מ' וכו'. *Aliquando ſuo, nonnunquam Magiſtri vel alius nomine dixit.*

Eandem formula hæc habet ſignificationem, atque הא דידיה הא דרבי'. Vid. תענית *fol.* iii. 2.

Digitized by Google

ח.

חרא מכלל חבירתא. *Unum e conſequentia alterius elicitur.*

Modus loquendi Gemaricis valde uſitatus, quoties quæritur, cur deciſio ſecunda vice proferatur? tum reſpondetur: *hic unum tantum e conſequentia alterius elicit.*

Ita in בכורות *fol.* XXXVII. *col.* I. Sapientes ſtatuunt, tres viros Synagogæ pios, quamvis idiotas, vitiis primogenitorum explorandis aptos fuiſſe. Verum R. Joſi auctor eſt, etiamſi Synedrium minus 23. Virorum fuerit, primogenita tamen non mactata fuiſſe, niſi permiſſu מומחי בית דין ſive illius, cui à Præſide Synedrii hæc vitiorum explorandorum poteſtas conceſſa erat. Porro Rabh Jehuda ait nomine Rabbi Jeremiæ filii Abbæ, qui neſcit, utrum nomine Rabh, an nomine Samuelis prolata ſit hæc ſententia, tribus hiſce viris permiſſum eſſe, in vitia primogenitorum inquirere in locis, ubi ille בית דין מומחין conſtitutus, vitiorum explorator præſens non eſt. Rabh Chanael porro nomine Rabh conſtitutionem, inquit, non ex R. Joſæ ſententia eſt. Opponitur denique ſententiam

 R. Je-

R. Jeremiæ, nomine R. Samuelis eſſe traditam: ſi enim eam nomine Rabh accepiſſent objici poſſet, deciſionem hanc bis adferri; ad quod reſpondetur: ***unum e conſequentia alterius eliciiur***: quia enim Rabh ait deciſionem, non ex Rabh Joſuæ ſententia esſe, hinc ſequitur tres viros, memoratos vitia primogenitorum examinare potuisſe.

חדא ועוד קאמר. *Unum dicit, & porro alterum includit.*

Cum Doctori rationem alicujus conſtitutionis reddenti, aliam veriorem esſe objicitur, hac formula & illam ſe non excludere profitetur.

Ita in Gemara שבת *fol* XXVI. *col.* I. R. Simeon filius Eliezeris auctor eſt, Sabbatho haud licere צרי *reſinam* accendere. Rabbi rationem adfert, quia fragrantiſſimum odorem ſpargit, ideoque verendum ne quædam inde utilitas redundet, quod Sabbatho interdictum eſt. Porro Abaje Rabbæ dixit: hanc potius indices cauſam, quia צרי volatilis, domum forte incenderet, & reſpondetur: ***unam rationem adfero alteram vero includo.*** Vid. ראש השנה *fol.* III. *col.* I.

חד תלת טעמי נקט. (Verum) *e duobus aut*

aut tribus unam tantum (tenet) *proponit rationem.*

Modus hic loquendi ex adducto loco interpretandus eſt.

In Cod. זבחים x. 2. traditio habetur, hoſtiam piacularem & ſacrificium pro delicto, ſecum comparari haud poſſe, cum ſanguis eorum diverſo modo fuerit aſpergendus: lege enim ſancitum erat, prioris ſanguinem quater, poſterioris vero bis ſuper cornibus altaris aſpergendum eſſe. Porro excipitur: cur heic ſpeciatim in ſparſionis numero diverſitas ponitur, cum in ipſa ſparſione bene multa ſint, quibus differant, ſolo quippe ſacrificii piacularis ſanguine angulus cornu & quidem Sacerdotis digitis erat aſpergendus, ad quod reſpondetur: *Ex his tribus rationibus unam duntaxat adferri.*

חדוש הוא ומחדוש לא ילפינן. *Res hæc nova extraordinaria eſt, & e re extraordinaria nihil deducimus.*

Locutio qua negatur a re nova ſeu extraordinaria, ad aliam probandam recte concludi.

Ita in חולין *fol.* XCVIII. 2. & XCIX 1. e *Lev.* XVI. *c.* 14. ולקח מדם הפר ומדם השעיר elicitur: ſanguinem juvenci, ſi commixtus eſſet cum ſanguine hirci, altari

tari potuiſſe adſpergi, & pro non miſto haberi, quia Sacerdos duntaxat מרם *non-nihil de illo ſanguine* ſumit. Porro quæritur: utrum ab hac conſtitutione ad conſtitutionem rerum vetitarum concludere liceat, (v. c. ſi caro cum lacte miſceretur,) quarum cum res licita majori copia rei illicitæ immixta eſt major copia minorem diluit? ac reſpondetur: minime gentium, *nam caſus hic de ſanguine juvenci & ſanguine hirci inter ſe miſtis extraordinarius eſt, & a re extraordinaria nil deducitur.* Vid. חולין XCIX. *c.* 2.

חסורי מחסרא והכי קתני. *Heic aliquid deeſt, & ita legendum.*

Hac formula ſignificatur, Doctorem Gemaricum Miſchnam explicare, ſenſui ejus aliquid addendo, nunquam vero aliquid addi poſſe, quod ſenſui Miſchnæ adverſetur.

Ita in חגיגה II. *c.* 2. quæritur: quo argumento Magiſtri demonſtrent, ſurdum, etiamſi loqui poſſet, aut qui auditu quidem præditus, loquendi tamen facultate deſtituitur, feſtivitati ſolenni intereſſe debuiſſe: cum in Miſchna doceatur: ejusmodi hominibus abeſſe licuiſſe? Ac reſpondetur: ipſum Rabbinam huic Miſchnæ hoc addidiſſe, *heic enim aliquid deeſſe ideo-*

ideoque ita eſſe legendum. Vid. בכורות XXXVIII. 2. חולין XXXIX. 2. חגיגה II. 2. סוכה III. 1. יבמות XC. 1.

ו.

יאמר זה ואל יאמר זה. *Hoc affirmandum, non vero aliud affirmandum.*

Cum de duobus caſibus expreſſa conſtitutio invenitur, quorum ſi alteruter definitus eſſet, facile de altero, utpote ſimili, vel etiam evidentiori colligi potuiſſet, dicunt: *hoc tantum erat affirmandum* (& ſatis erat) *non vero aliud &c.*

Ita in קדושין *fol.* VI. *col.* 2. a Gemariſcis obſervatur: *Lev.* XXII. *c.* 10. תושב חושב, כהן ושכיר לא יאכל קדש *vernam*, שכיר vero *mercenarium* ſignificare. Unde quæritur, qua de cauſa hæc lex expreſſe duorum meminerit, nam Scripturam edicendo *vernæ non licere res ſacras comedere*, ſimul idem etiam mercenario dixiſſe, etenim quia alter ſcilicet mercenarius ad certum duntaxat tempus mercede conducitur, verna contra perpetuo ſervitio teneatur, quivis facile colligeret, ſi non vernæ ergo neque mercenario, eſſe copiam rebus ſacris veſcendi. *Hoc igitur affirmandum non vero aliud affirmandum.* Vid. זבחים LXXXII. 2. יבמות LXX. 1.

יהידאי

יחידאי (היא). *Privatus hac aſſerit.*

Cum conſtitutio quædam redundare, aut a veritate aliena non ſine ratione videtur, idque objicitur, reſpondent: hanc non omnium neque clariſſimorum, ſed privati cujusdam Doctoris ſententiam eſſe: ſive hoc verbo diſtinguunt ſententiam à privato aliquo Doctore, ſpecioſis tantum argumentis demonſtratam, a publico Doctore melius probatam.

Ita in בכורות XLI. 1. quæſtio proponitur, cur in Miſchna demonſtretur, primogenita vitio aliquo laborantia mactari potuiſſe, cum hoc alio in loco jam ſit adſtructum, ac reſpondetur: *Privatus hac aſſerit:* cum hæc conſtitutio etiam jam alio in loco adducta ſit, ſed ibi leviter a Doctore privato probata eſt, hic vero à Clariſſimis Rabbinis repetitur.

יחיד ורבים הלכה כרבים. *Uno cum pluribus* (diſputantibus) *conſtitutio juxta plurimos* (ponitur).

Formula hæc tam in objectione, quam reſponſione uſu venit, & denotat ſententiam plurium unius prævalere.

In עבודה זרה *fol.* VII. *col.* 1. quæſtio ponitur: utrum infans in via repertus, ut Iſraëlita, an vero ut advena portæ ſit educandus? & reſpondetur: Sapientes qui hac de

re

re cum R. Meiero diſputarunt, conſtitutionem pronunciaſſe, eamque anteponendam eſſe. *Nam uno cum pluribus diſputantibus conſtitutio ſecundum, plurimos* ponitur, vid. בכורות XXXVII. 1.

יכול ודין הוא. *Putares idque merito.*

Hac loquendi forma objectioni cuidam non denegatur veriſimilitudo, ſed eam tamen Scripturæ teſtimonio enervari docetur; ſæpiſſime ſequitur תלמוד לומר. *Traditio eſt.*

Ita in Gemara פסחים *fol.* III. *col.* I. diſſeritur: *putares* æquum eſſe, ut ſacrificia ſalutaria tertia poſt jugulationem nocte comederentur, *idque merito*, nam quemadmodum aliis in victimis nox præcedenti diei annumeratur; ita quoque ratione ſacrificiorum ſalutarium, tertia poſt mactationem nox (qua comedebantur) ad ſecundum diem, esſet referenda. Verum hoc argumentum loco Scripturæ *Lev.* VII. *c.* 16. enervatur. Vid. מנחות CIV. I. חולין CXXXIX. 2. מכות VII. I. VIII. 2.

Aliquando יכול ſequitur תלמוד לומר. Vid. מנחות CXXXIX. 2.

ילף מ׳. *Inde hoc elicit.*

Notatur locus, unde aliquid deducitur v. g. in Cod. נזיר V. I. verbum ימים *duo-*

duodecim denotare *menſes inde ille elicit*; ſcilicet e *Lev.* xxv. *c.* 29. ubi vocabulum ימים hanc ſignificationem fert.

יתיב פלוני קמיה דפלוני. *Sedit hic N. coram N.*

Obſerva formulam hanc uſurpari, cum Doctores Talmudici, in aliqua ſententia diſputant, vel colloquentes introducuntur.

Ita in עבודה זרה *fol.* vi. *col.* 2. fertur *R. Joſeph à tergo R. Abba & Rabbi Abba à facie Rabh Hunna ſediſſe* (& diſputaſſe) conſtitutionem R. Joſuæ filii Koræ, quandoque cum R. Judæ ſententia congruere, quod R. Joſe & Rabh Hunna dubium reddunt. Vid. עבודה זרה *fol.* viii. 2.

כ.

כדקאמר טעמא. (Sententia N. admittenda;) *quemadmodum rationem reddidit.*

Hac formula admittunt ſententiam cujusdam Doctoris, quod ſatis evidenter illam demonſtraverit: & ſequitur plerumque alia quæſtio: אלא פלוני מאי טעמא. *Verum alter quam rationem adfert?*

Ita in Gemara זבחים *fol.* xi. *col.* 1. docetur, ſanguinem ſacrificii piacularis in Sanctum Sanctorum deferri nefas fuiſſe, idem

idem R. Eliezer quoque de ſacrificio pro delicto affirmat, quia *Levit.* VII. *vſ.* 7. dicitur: כחטאת כאשם *quemadmodum ſacrificium piaculare; ita & pro delicto.* Quæ argumentatio cum cæteris vera videretur, conſentiunt hac formula: ſententia R. Eliezeris admittenda, *quemadmodum rationem reddidit*, ſeu id luculenter demonſtravit. Exinde vero naſcebatur alia quæſtio: quonam fundamento Rabbini illi nitantur, adſtruentes: hoc duntaxat de ſanguine ſacrificii piacularis intelligendum eſſe?

כדי נסבא. *Fruſtra* (fortuito) *memoratum eſt.* Ita in ראש השנה *fol.* v. *col.* 1. diſſeritur, ſi quis debitum v. c. pro æſtimatione, victima piaculari, ſacrificio pro delicto, holocauſtis, ſacrificiis ſalutaribus, eleemoſynis, decimis, primogenitis, decimis animantium, agno Paſchali &c. tribus feſtis elapſis non ſolviſſet, eum præceptum negativum, quod incipit לא תאחר *Deut.* XXIII. *c.* 22. violare. Objicitur: an igitur agnus Paſchalis quovis feſto ut alia ſacrificia potuit immolari, lege utique ad feſtum Paſchatos reſtrictus eſt? Reſpondetur: *agnus Paſchalis heic fruſtra*, id eſt, per accidens inter alia *enumeratur.* זבחים XCVIII. 1.

כח דהתירה עדיף. *Concedendi vis, id eſt, ad concedendum propenſio pracellit, ſive Rabbi-*

ni malunt rem aliquam licitam, quam illicitam pronunciare.

In ביצה *fol.* 11. *col.* 2. obſervatur: Scholam Schammæanam ovum quod gallina in feſto peteret edere legitimum, Hillelianos vero illegitimum pronunciare. Objicitur: forte hoc de gallina intelligendum, quæ propter ova alitur; qua de cauſa igitur de ovo diſceptant, præſtaret enim de gallina controvertere, an Feſto mactari queat? reſpondetur: de ovo ideo diſputant, ut propenſionem ſuam ad rem aliquam legitimam pronunciandam oſtendant; idcirco non de gallina, verum etiam de ovo die feſto poſito digladiantur, utrum eo veſci liceat. Objicitur; ſatius eſſet de gallina diſputare, etenim inde Hillelianorum rem aliquam interdicendi eluceret cupiditas, quæ res מוקצה, id eſt, *certo uſui deſtinata eſt:* reſpondetur: Controverſia hæc in Miſchna proponitur, *ut ad aſſentiendum propenſio appareat.* Vid. חולין LVIII. I.

כיון דאידי ואידי וכו׳ מה לי זה מה לי זה.

Quandoquidem unum alteri ſimile eſt, quid me movet, ut inter illa diſcrimen faciam?

Forma hæc dicendi in objectione ponitur, cum Doctor Talmudicus differentiam non neceſſariam inter res ponit.

In

In Gemara זבחים *f.* XIII. *c.* 2. Doctor Gemaricus differentiam inter exceptionem ſanguinis & manipulum primitiarum in eo ſtatuit, quod ſanguis vaſe ſacro excipiatur, manipulus vero vaſi imponatur. Verum hanc differentiam alii Doctores aſpernantur hanc formula: *quandoquidem alterum alteri ſimile eſt*, æque ſanguis ac manipulus vaſe continetur, *quid eum movet*, ut diſtinctionem inferat? idem enim eſſe videtur, ſive quid in vas influat, ſive Sacerdotum manu ei immittatur: vid. בכורות XXXV. I.

בלום למדנו אלא. *An aliquid didicimus, niſi? &c.*

Obſerva formulam hanc in objectionibus uſu venire, quum de ritu aliquo diſputatur, qui non peculiarem conſtitutionem habet, ſed ex alterius ritus conſtitutione dijudicandus eſt. Tum quæritur: *an quidquam de eo didicimus, niſi?*

Ita in Cod. זבחים *fol.* XIII. *col.* 2. quæritur: *an quidquam de eo didicimus* ſcilicet, an ſacrificium piaculare dum Sacerdos perverſa intentione digitos in ejus ſanguinem ſpargendum intingit, illegitimum fieri poſſit? & reſpondetur: ritus hujus conſtitutionem à ſacrificiis ſalutaribus petendam eſſe, quemadmodum enim in horum ſanguinem digitorum intinctio, per-

verſa intentione, ſacrificia ſalutaria non illegitima reddebat; ita neque ſacrificia piacularia.

כל דכן הוא. *Quanto magis hoc (æquum eſt).*

Formula hæc æque in objectione ac reſponſione uſurpatur.

Hoc modo in בכורות *fol.* XXXII. *col.* 2. docetur: quamvis pecora viva nequeant, mactata tamen redimi poſſe; hinc quæritur: an exinde per inverſionem argumentari liceat, ſi mactata redimi poſſunt כל דכן, *quanto magis* viva redimentur? & plerumque connectitur cum ולאו. Conf. חולין XXIX. I. יומא XLII. I.

כל הקבוע כמחצה על מחצה דמי. *Omne fixum ut alterum, & dimidiatum cenſetur.*

Sive unicum prohibitum contra multas res licitas poſitum, dimidiam licitarum partem ſibi vendicat, atque unicum dimidio rerum licitarum æquipollet.

Vis & ſignificatio hujus formulæ ex appoſita auctoritate cognoſcitur.

Ita in כתובות *fol.* XV. I. traditur: decem ſi ſint macella, ubi caro licita veneat, unum vero carnem illicitam & טרפה *diſcerptam* exponat, ſi quis ex uno horum carnem emiſſet, cum certus eſſe non poſſet, ſe minime ex illo macello, quod diſcerptam expoſuit, emiſſe, abſtinendum illi

illi ab hac carne fuiſſe: nam quamvis unicum macellum tantum illicitam, contra novem licitam exponant, idem tamen eſſet, ac ſi quinque æque prohibitam, atque licitam carnem exponentia fuiſſent. Vid. קדושין LXXIII. 1.

כמאן דאמר. *Secundum affirmantem.*

Convenit hæc formula cum כפלוני *ſecundum N.* Vid. יומא LII. 2.

כמאן סבירא ליה אי כפלוני וכו׳ אי כפלוני וכו׳. *Secundum quem ſtatuit, an ſecundum &c. an vero ſecundum N.?*

Concordat hæc dicendi forma, cum סני מתניתין וכו׳. Vid. יומא LI. 2.

ל.

לא מבעי ליה אלא. *Nonniſi hoc, ex eo quærit.*

Cum Doctor Gemaricus argumentationem proponit, cui, alio argumento vim addere contendit: modus hic loquendi in reſponſione occurrit, argumentum poſterius nihil juvare, quia *non niſi hoc ex eo quærit.*

Ita in בבא מציעא *fol.* XXXVI. *col.* 2. in quæſtione eſt: quod ſi depoſitarius alteri, quod ſuæ fidei commiſſum erat, tradidiſ-

didiſſet, apud quem deterius factum, an damnum reſarcire teneatur? Rabh affirmativam tuetur ſententiam, hoc fretus argumento, quia Rama filius Chamæ auctor eſt, depoſitarium damni illati reum fuiſſe, ſi liberis adultis depoſitum dediſſet. Verum reſpondetur: hoc argumentum nihil probat, *nam non niſi quærit ex eo*, qui aliquid gratis ſervat; quid tum ſit ſententiæ?

Concordat cum hac formula.

לא נחלקו אלא. *Non niſi hac in re diſputant.*

Vid. יבמות LVIII. 2.

לא קשיא כאן כאן. *Nulla eſt objectio, nam heic hoc, ibi vero illud dicendum eſt.*

Formula hæc in reſponſione ponitur, cum bina Scripturæ loca, ſive conſtitutiones, quæ ſibi revera contrariari videntur, ad probandam ſententiam aliquam adducuntur, & additur: hæc ſibi non contrariari; tum enim dicitur: *nulla eſt objectio* vel minime contradicit ille locus, *nam &c.*

In Gemara זבחים *fol.* XIII. *col.* 2. & XIV. I. duo proferuntur loca, quæ contradictionem involvere videntur; altero enim *Lev.* VII. *vſ.* 16. docetur: intentionem perverſam Sacerdotis, effuſionem reliquiarum ſan-

ſanguinis ad altaris baſin illegitimam reddere poſſe, id quod altero loco, nempe *Lev.* VII. *vſ.* 18. everti videtur. Hinc objicitur: loca hæc ingentem difficultatem parere, nec definiri poſſe, quid de reliquiarum effuſione ſit ſententiæ? Verum reſpondetur: *Nulla hæc eſt objectio*, prior enim locus hunc fundit ſenſum, effuſionem irritam fieri, ſi Sacerdos ſanguinem ad altaris cornua ſpargens animo concepiſſet, reliquias præter tempus ſuum, fundamento altaris affundere: poſterior vero indicat, ſi reliquias ad altaris baſin ea mente effudiſſet, ſe inteſtina ultra præfinitum tempus oblaturum eſſe, quid tum ſit ſententiæ. Conf. בבא קמא VII. I. CII. 2. חולין XXXII. 2. סנהדרין XVIII. I. ראש השנה III. 2. IV. I. VIII. I.

Aliquando formula hæc ita occurrit.

לא קשיא הא והא. *Nulla eſt quæſtio, nam hoc & illud &c.*

Vid. נזיר XLIV. 2. חגיגה VII. I. נדה XVII. I. בבא בתרא XLII. 2. סבות VII. 2.

לאפוקי כמאן מפלוני דאמר. *Ad excludendum quod ille dicit.*

Reſponſionis loco interdum occurrit hæc formula: ad quæſtionem enim cur Do-

ctores de hac vel illa cæremonia controverſiam moverint? reſpondetur: *ad excludendum quod ille dicit.*

In Gemara חגיגה xvi. 2. R. Jochanan aſſerit Hebræorum Magiſtros diſputare, an Sabbatho conceſſum ſit ſacrificio manus imponere, ut eo fortius probetur, Sabbatho omni opere eſſe abſtinendum. Porro quæritur cur hæc ratio adjungatur? ac reſpondetur: *ad excludendum* & *N. ſententiam putantis*, Doctores Gemaricos heic diſputare, an ſacrificiis ſalutaribus, quæ debitum explent, liceat manus imponere. Vid. מנחות v. 2. ראש השנה ix. 1.

Aliquando formula hæc ita occurrit.

לאפוקי (האי). *Ad hoc excludendum.*

Vid. יבמות lxix. 1. כתובות xlvii i. 2. בבא בתרא xlvii. 2. שבת lxxvii. 2.

לא ראי זה כראי זה ולא ראי זה כראי זה. *Hæc probatio non eſt, illi ſimilis, nec illa huic.*

Hac reſponſione diverſitas rerum oſtenditur; hinc alteram ex altera probari poſſe, negatur.

In נזיר *fol.* xl. *col.* 1. quæſtio proponitur: quo argumento Doctorum Gemaricorum decretum probetur, comam leproſi nova-

novacula radendam eſſe ; ſi dicas argumento à Levitis petito , quemadmodum nimirum hi novacula tondebantur; ita leproſi quoque tondendi eſſent; regero: *hanc probationem non eſſe illi ſimilem, nec illam huic*, de rebus enim diverſis agitur. Nam Levitæ coram Deo agitabantur, non item leproſi. Si pergas: quoniam Naziræi tondebantur, ergo & leproſi radendi eſſent , idem reſpondeo : res nimirum diverſæ ſunt, ideoque hanc probationem non procedere , Naziræi enim præter ſacrificia ſimilaginem offerebant , non item leproſi.

לא כל שכן. *Nonne eo magis vel minus (convenit?)*

Hac formula argumentantur a minori ad maius.

In נזיר *fol.* XLIV. *col.* I. dicitur: per argumentationem a minori ad majus colligi poſſe , Naziræum vinum bibentem , votum ſuum reddere irritum , votumque de integro nuncupandum eſſe. Etenim ſi Naziræus ob contactum cadaveris , quod aliquando abſque crimine tangere poterat (v. g. ubi cadaver hominis , ſi nemo alius adeſſet, qui id terræ mandaret, ſepelire debebat) ſacrificium offerre tenebatur ; *Nonne eo magis æquum eſt* , ut Naziræus qui vinum bibit , id quod nunquam licebat,

Naziræatum ſuum irritum reddat, illumque de integro ſuſcipere teneatur? Vid. זבחים III. 2.

לא צריכא. *Non neceſſe eſt.*

Conceditur hac formula, conſtitutionem aliquam non quidem abſolute neceſſariam, neque tamen ideo ſupervacaneam eſſe.

Ita in בבא בתרא *f.*CI. *c.* I. rogatur: qua de cauſa in Miſchna tradatur: quamvis lex ſit, uſucapione rei per triennium dominium ejus acquiri; m ritum tamen dotis uxoris ſuæ dominum non fieri, licet per longum tempus illam poſſediſſet. Objicitur: hanc additionem ſupervacaneam eſſe, ſequi id enim ſua ſponte, nam vir quia uſufructu fruitur, liquere, quod uſuræ quidem, non vero ſortis particeps ſit. At reſpondetur: hoc obſervare ſimpliciter *non neceſſe fuit*, niſi hoc in caſu, ſi maritus intervenientibus inſtrumentis dotalibus, ſe uſusfructus jure abdicasſet, ſeque dote illa non fruiturum promiſisſet. Vid. גטין XLVIII.

לאתויי. *Ad includendum.*

Hoc verbo Doctores Gemarici idem exprimunt, quod לרבות (de quo inferius agetur) hoc tamen diſcrimine, quod voce לאתויי cæremoniam aliquam includant.

dant. Vid. סוכה *fol.* VIII. *col.* 2. Conf. חולין *fol.* LIV. *col.* 1. & CXXXIX. *col.* 2. quoties vero occurrit לאפוקי objectionem denotat, vide ſis בבא קמא VI. 1. ערוכין III. 2.

לא מן השם הוא זה. *Non propterea ſit, ſed quia &c.*

Hac locutione negatur, rationem ab alio allatam veram, locoque Scripturæ convenientem eſſe.

In Gemara מכות *fol.* IV. *col.* 2. traditur: *Exod.* XII. 10. phraſi והנותר ממנו quæ redundare videtur, indicari: præceptum negativum ולא תותירו ממנו עד בוקר laudato loco præcedere præcepto affirmativo, והנותר ממנו עד בקר באש תשרפו, eaque ſignificari: etiamſi quis de paſchate aliquid reliquiſſet, eum tamen non flagellari, quia præceptum affirmativum ſequitur, cujus violatione nemo flagellationem meretur. Hæc ſententia R. Judam habet auctorem, quam R. Akiva repudiaturus, *hoc non propterea ſit*, inquit, *ſed quia lex* negativa *requirit* rei illicitæ omiſſionem.

לא אמרן אלא ב׳. *Non niſi hoc in caſu dicunt, &c.*

Quando diſtinctio in aliqua conſtitutione notatur, eam adhibita limitatione accipien-

(יחידאי (היא. *Privatus hæc aſſerit.*

Cum conſtitutio quædam redundare, aut a veritate aliena non ſine ratione videtur, idque objicitur, reſpondent: hanc non omnium neque clariſſimorum, ſed privati cujusdam Doctoris ſententiam eſſe: ſive hoc verbo diſtinguunt ſententiam à privato aliquo Doctore, ſpecioſis tantum argumentis demonſtratam, a publico Doctore melius probatam.

Ita in בכורות XLI. I. quæſtio proponitur, cur in Miſchna demonſtretur, primogenita vitio aliquo laborantia mactari potuiſſe, cum hoc alio in loco jam ſit adſtructum, ac reſpondetur: *Privatus hæc aſſerit:* cum hæc conſtitutio etiam jam alio in loco adducta ſit, ſed ibi leviter a Doctore privato probata eſt, hic vero à Clariſſimis Rabbinis repetitur.

יחיד ורבים הלכה כרבים. *Uno cum pluribus* (diſputantibus) *conſtitutio juxta plurimos* (ponitur).

Formula hæc tam in objectione, quam reſponſione uſu venit, & denotat ſententiam plurium unius prævalere.

In עבודה זרה *fol.* VII. *col.* I. quæſtio ponitur: utrum infans in via repertus, ut Iſraëlita, an vero ut advena portæ ſit educandus? & reſpondetur: Sapientes qui hac de

re

re cum R. Meicero diſputarunt, conſtitutionem pronunciaſſe, eamque anteponendam eſſe. *Nam uno cum pluribus diſputantibus conſtitutio ſecundum, plurimos* ponitur, vid. בכורות XXXVII. 1.

יכול ודין הוא. *Putares idque merito.*

Hac loquendi forma objectioni cuidam non denegatur veriſimilitudo, ſed eam tamen Scripturæ teſtimonio enervari docetur, ſæpiſſime ſequitur תלמוד לומר. *Traditio eſt.*

Ita in Gemara פסחים *fol.* III. *col.* I. diſſeritur: *putares* æquum eſſe, ut ſacrificia ſalutaria tertia poſt jugulationem nocte comederentur, *idque merito*, nam quemadmodum aliis in victimis nox præcedenti diei annumeratur; ita quoque ratione ſacrificiorum ſalutarium, tertia poſt mactationem nox (qua comedebantur) ad ſecundum diem, eſſet referenda. Verum hoc argumentum loco Scripturæ *Lev.* VII. *c.* 16. enervatur. Vid. מנחות CIV. I. חולין CXXXIX. 2. מכות VII. I. VIII. 2.

Aliquando יכול ſequitur תלמוד לומר. Vid. מנחות CXXXIX. 2.

יליף מ׳. *Inde hoc elicit.*

Notatur locus, unde aliquid deducitur v. g. in Cod. נזיר V. I. verbum ימים *duo-*

duodecim denotare *menſes inde ille elicit*; ſcilicet e *Lev.* xxv. *c.* 29. ubi vocabulum יםים hanc ſignificationem fert.

יתיב פלוני קמיה דפלוני. *Sedit hic N. coram N.*

Obſerva formulam hanc uſurpari, cum Doctores Talmudici, in aliqua ſententia diſputant, vel colloquentes introducuntur.

Ita in עבודה זרה *fol.* VI. *col.* 2. fertur *R. Joſeph à tergo R. Abba & Rabbi Abba à facie Rabh Hunnæ ſediſſe* (& diſputaſſe) conſtitutionem R. Joſuæ filii Koræ, quandoque cum R. Judæ ſententia congruere, quod R. Joſe & Rabh Hunna dubium reddunt. Vid. עבודה זרה *fol.* VIII. 2.

כ.

כדקאמר טעמא. (Sententia N. admittenda;) *quemadmodum rationem reddidit.*

Hac formula admittunt ſententiam cujusdam Doctoris, quod ſatis evidenter illam demonſtraverit: & ſequitur plerumque alia quæſtio: אלא פלוני מאי טעמא. *Verum alter quam rationem adfert?*

Ita in Gemara זבחים *fol.* XI. *col.* I. docetur, ſanguinem ſacrificii piacularis in Sanctum Sanctorum deferri nefas fuiſſe, idem

Digitized by Google

idem R. Eliezer quoque de ſacrificio pro delicto affirmat, quia *Levit.* VII. *vſ.* 7. dicitur: כחטאת כאשם *quemadmodum ſacrificium piaculare; ita & pro delicto.* Quæ argumentatio cum cæteris vera videretur, conſentiunt hac formula: ſententia R. Eliezeris admittenda, *quemadmodum rationem reddidit*, ſeu id luculenter demonſtravit. Exinde vero naſcebatur alia quæſtio: quonam fundamento Rabbini illi nitantur, adſtruentes: hoc duntaxat de ſanguine ſacrificii piacularis intelligendum eſſe?

כדי נסבא. *Fruſtra* (fortuito) *memoratum eſt.* Ita in ראש השנה *fol.* v. *col.* I. diſſeritur, ſi quis debitum v. c. pro æſtimatione, victima piaculari, ſacrificio pro delicto, holocauſtis, ſacrificiis ſalutaribus, eleemoſynis, decimis, primogenitis, decimis animantium, agno Paſchali &c. tribus feſtis elapſis non ſolviſſet, eum præceptum negativum, quod incipit לא תאחר *Deut.* XXIII. *c.* 22. violare. Objicitur: an igitur agnus Paſchalis quovis feſto ut alia ſacrificia potuit immolari, lege utique ad feſtum Paſchatos reſtrictus eſt? Reſpondetur: *agnus Paſchalis heic fruſtra*, id eſt, per accidens inter alia *enumeratur.* זבחים XCVIII.I.

כח דהתירה עדיף. *Concedendi vis, id eſt, ad concedendum propenſio precellit, ſive Rabbi-*

 ni

ni malunt rem aliquam licitam, quam illicitam pronunciare.

In ביצה *fol.* 11. *col.* 2. obſervatur: Scholam Schammæanam ovum quod gallina in feſto peteret edere legitimum, Hillelianos vero illegitimum pronunciare. Objicitur: forte hoc de gallina intelligendum, quæ propter ova alitur; qua de cauſa igitur de ovo diſceptant, præſtaret enim de gallina controvertere, an Feſto mactari queat? reſpondetur: de ovo ideo diſputant, ut propenſionem ſuam ad rem aliquam legitimam pronunciandam oſtendant; idcirco non de gallina, verum etiam de ovo die feſto poſito digladiantur, utrum eo veſci liceat. Objicitur, ſatius eſſet de gallina diſputare, etenim inde Hillelianorum rem aliquam interdicendi eluceret cupiditas, quæ res מוקצה, id eſt, *certo uſui deſtinata eſt:* reſpondetur: Controverſia hæc in Miſchna proponitur, *ut ad aſſentiendum propenſio appareat.* Vid. חולין LVIII. I.

כיון דאידי ואידי וכו׳ מה לי זה מה לי זה.

Quandoquidem unum alteri ſimile eſt, quid me movet, ut inter illa diſcrimen faciam?

Forma hæc dicendi in objectione ponitur, cum Doctor Talmudicus differentiam non neceſſariam inter res ponit.

In

In Gemara זבחים *f.*XIII.*c.*2. Doctor Gemaricus differentiam inter exceptionem ſanguinis & manipulum primitiarum in eo ſtatuit, quod ſanguis vaſe ſacro excipiatur, manipulus vero vaſi imponatur. Verum hanc differentiam alii Doctores aſpernantur hanc formula: *quandoquidem alterum alteri ſimile eſt*, æque ſanguis ac manipulus vaſe continetur, *quid eum movet*, ut diſtinctionem inferat? idem enim eſſe videtur, ſive quid in vas influat, ſive Sacerdotum manu ei immittatur: vid. בכורות XXXV. I.

כלום למדנו אלא. *An aliquid didicimus, niſi? &c.*

Obſerva formulam hanc in objectionibus uſu venire, quum de ritu aliquo diſputatur, qui non peculiarem conſtitutionem habet, ſed ex alterius ritus conſtitutione dijudicandus eſt. Tum quæritur: *an quidquam de eo didicimus, niſi?*

Ita in Cod. זבחים *fol.* XIII. *col.* 2. quæritur: *an quidquam de eo didicimus* ſcilicet, an ſacrificium piaculare dum Sacerdos perverſa intentione digitos in ejus ſanguinem ſpargendum intingit, illegitimum fieri poſſit? & reſpondetur: ritus hujus conſtitutionem à ſacrificiis ſalutaribus petendam eſſe, quemadmodum enim in horum ſanguinem digitorum intinctio, per-

verſa intentione, ſacrificia ſalutaria non illegitima reddebat; ita neque ſacrificia piacularia.

כל דכן הוא. *Quanto magis hoc (æquum eſt).*

Formula hæc æque in objectione ac reſponſione uſurpatur.

Hoc modo in בכורות *fol.* XXXII. *col.* 2. docetur: quamvis pecora viva nequeant, mactata tamen redimi poſſe; hinc quæritur: an exinde per inverſionem argumentari liceat, ſi mactata redimi poſſunt כל דכן, *quanto magis* viva redimentur? & plerumque connectitur cum ולאו. Conf. חולין XXIX. I. יומא XLII. I.

כל הקבוע כמחצה על מחצה דמי. *Omne fixum ut alterum, & dimidiatum cenſetur.*

Sive unicum prohibitum contra multas res licitas poſitum, dimidiam licitarum partem ſibi vendicat, atque unicum dimidio rerum licitarum æquipollet.

Vis & ſignificatio hujus formulæ ex appoſita auctoritate cognoſcitur.

Ita in כתובות *fol.* XV. I. traditur: decem ſi ſint macella, ubi caro licita veneat, unum vero carnem illicitam & טרפה *diſcerptam* exponat, ſi quis ex uno horum carnem emiſſet, cum certus esſe non posſet, ſe minime ex illo macello, quod diſcerptam expoſuit, emiſſe, abſtinendum illi

illi ab hac carne fuiſſe: nam quamvis unicum macellum tantum illicitam, contra novem licitam exponant, idem tamen eſſet, ac ſi quinque æque prohibitam, atque licitam carnem exponentia fuiſſent. Vid. קדושין LXXIII. I.

כמאן דאמר. *Secundum affirmantem.*

Convenit hæc formula cum כפלוני *ſecundum N.* Vid. יומא LII. 2.

כמאן סבירא ליה אי כפלוני וכו' אי כפלוני וכו'. *Secundum quem ſtatuit, an ſecundum &c. an vero ſecundum N.?*

Concordat hæc dicendi forma, cum מני מתניתין וכו'. Vid. יומא LI. 2.

ל.

לא מבעי ליה אלא. *Nonniſi hoc, ex eo quarit.*

Cum Doctor Gemaricus argumentationem proponit, cui, alio argumento vim addere contendit: modus hic loquendi in reſponſione occurrit, argumentum poſterius nihil juvare, quia *non niſi hoc ex eo quarit.*

Ita in בבא מציעא *fol.* XXXVI. *col.* 2. in quæſtione eſt: quod ſi depoſitarius alteri, quod ſuæ fidei commiſſum erat, tradidiſ-

didiſſet, apud quem deterius factum, an damnum reſarcire teneatur? Rabh affirmativam tuetur ſententiam, hoc fretus argumento, quia Rama filius Chamæ auctor eſt, depoſitarium damni illati reum fuiſſe, ſi liberis adultis depoſitum dediſſet. Verum reſpondetur: hoc argumentum nihil probat, *nam non niſi quærit ex eo*, qui aliquid gratis ſervat; quid tum ſit ſententiæ?

Concordat cum hac formula.

לא נחלקו אלא. *Non niſi hac in re diſputant.*

Vid. יבמות LVIII. 2.

לא קשיא כאן כאן. *Nulla eſt objectio, nam heic hoc, ibi vero illud dicendum eſt.*

Formula hæc in reſponſione ponitur, cum bina Scripturæ loca, ſive conſtitutiones, quæ ſibi revera contrariari videntur, ad probandam ſententiam aliquam adducuntur, & additur: hæc ſibi non contrariari; tum enim dicitur: *nulla eſt objectio* vel minime contradicit ille locus, *nam &c.*

In Gemara זבחים *fol.* XIII. *col.* 2. & XIV. I. duo proferuntur loca, quæ contradictionem involvere videntur; altero enim *Lev.* VII. *vſ.* 16. docetur: intentionem perverſam Sacerdotis, effuſionem reliquiarum ſan-

ſanguinis ad altaris baſin illegitimam reddere poſſe, id quod altero loco, nempe *Lev.* VII. *vſ.* 18. everti videtur. Hinc objicitur: loca hæc ingentem difficultatem parere, nec definiri poſſe, quid de reliquiarum effuſione ſit ſententiæ? Verum reſpondetur: *Nulla hæc eſt objectio*, prior enim locus hunc fundit ſenſum, effuſionem irritam fieri, ſi Sacerdos ſanguinem ad altaris cornua ſpargens animo concepiſſet, reliquias præter tempus ſuum, fundamento altaris affundere: poſterior vero indicat, ſi reliquias ad altaris baſin ea mente effudiſſet, ſe inteſtina ultra præfinitum tempus oblaturum eſſe, quid tum ſit ſententiæ. Conf. בבא קמא VII. I. cit. 2. חולין XXXII. 2. סנהדרין XVIII. I. ראש השנה III. 2. IV. I. VIII. I.

Aliquando formula hæc ita occurrit.

לא קשיא הא והא. *Nulla eſt quæſtio, nam hoc & illud &c.*

Vid. נזיר XLIV. 2. חגיגה VII. I. נדה XVII. I. בבא בתרא XLII. 2. בכורות VII. 2.

לאפוקי כמאן מפלוני דאמר. *Ad excludendum quod ille dicit.*

Reſponſionis loco interdum occurrit hæc formula: ad quæſtionem enim cur Do-

ctores de hac vel illa cæremonia controverſiam moverint? reſpondetur: *ad excludendum quod ille dicit.*

In Gemara חגיגה XVI. 2. R. Jochanan aſſerit Hebræorum Magiſtros diſputare, an Sabbatho conceſſum ſit ſacrificio manus imponere, ut eo fortius probetur, Sabbatho omni opere eſſe abſtinendum. Porro quæritur cur hæc ratio adjungatur? ac reſpondetur: *ad excludendum* ꝫ *N. ſententiam putantis*, Doctores Gemaricos heic diſputare, an ſacrificiis ſalutaribus, quæ debitum explent, liceat manus imponere. Vid. מנחות V. 2. ראש השנה IX. 1.

Aliquando formula hæc ita occurrit.

(האי) לאפוקי. *Ad hoc excludendum.*

Vid. יבמות LXIX. 1. כתובות XLVIII. 2. בבא בתרא XLVII. 2. שבת LXXVII. 2.

לא ראי זה כראי זה ולא ראי זה כראי זה. *Hæc probatio non eſt, illi ſimilis, nec illa huic.*

Hac reſponſione diverſitas rerum oſtenditur; hinc alteram ex altera probari poſſe, negatur.

In נזיר *fol.* XL. *col.* 1. quæſtio proponitur: quo argumento Doctorum Gemaricorum decretum probetur, comam leproſi

nova-

novacula radendam eſſe; ſi dicas argumento à Levitis petito, quemadmodum nimirum hi novacula tondebantur; ita leproſi quoque tondendi eſſent; regero: *hanc probationem non eſſe illi ſimilem, nec illam huic*, de rebus enim diverſis agitur. Nam Levitæ coram Deo agitabantur, non item leproſi. Si pergas: quoniam Naziræi tondebantur, ergo & leproſi radendi eſſent, idem reſpondeo: res nimirum diverſæ ſunt, ideoque hanc probationem non procedere, Naziræi enim præter ſacrificia ſimilaginem offerebant, non item leproſi.

לא כל שכן. *Nonne eo magis vel minus (convenit?)*

Hac formula argumentantur a minori ad maius.

In נזיר *fol.* XLIV. *col.* I. dicitur: per argumentationem a minori ad majus colligi poſſe, Naziræum vinum bibentem, votum ſuum reddere irritum, votumque de integro nuncupandum eſſe. Etenim ſi Naziræus ob contactum cadaveris, quod aliquando abſque crimine tangere poterat (v. g. ubi cadaver hominis, ſi nemo alius adeſſet, qui id terræ mandaret, ſepelire debebat) ſacrificium offerre tenebatur; *Nonne eo magis æquum eſt*, ut Naziræus qui vinum bibit, id quod nunquam licebat,

Naziræatum ſuum irritum reddat, illumque de integro ſuſcipere teneatur? Vid. זבחים III. 2.

לא צריכא. *Non neceſſe eſt.*

Conceditur hac formula, conſtitutionem aliquam non quidem abſolute neceſſariam, neque tamen ideo ſupervacaneam eſſe.

Ita in בבא בתרא *f.*CI. *c.* I. rogatur: qua de cauſa in Miſchna tradatur: quamvis lex ſit, uſucapione rei per triennium dominium ejus acquiri; maritum tamen dotis uxoris ſuæ dominum non fieri, licet per longum tempus illam poſſediſſet. Objicitur: hanc additionem ſupervacaneam eſſe, ſequi id enim ſua ſponte, nam vir quia uſufructu fruitur, liquere, quod uſuræ quidem, non vero ſortis particeps ſit. At reſpondetur: hoc obſervare ſimpliciter *non neceſſe fuit*, niſi hoc in caſu, ſi maritus intervenientibus inſtrumentis dotalibus, ſe uſusfructus jure abdicasſet, ſeque dote illa non fruiturum promiſisſet. Vid. גטין XLVIII.

לאתויי. *Ad includendum.*

Hoc verbo Doctores Gemarici idem exprimunt, quod לרבות (de quo inferius agetur) hoc tamen diſcrimine, quod voce לאתויי cæremoniam aliquam includant.

Digitized by Google

dant. Vid. סוכה *fol.* VIII. *col.* 2. Conf. חולין *fol.* LIV. *col.* 1. & CXXXIX. *col.* 2. quoties vero occurrit לאפוקי objectionem denotat, vide ſis בבא קמא VI. 1. ערובין III. 2.

לא מן השם הוא זה. *Non propterea ſit, ſed quia &c.*

Hac locutione negatur, rationem ab alio allatam veram, locoque Scripturæ convenientem eſſe.

In Gemara מכות *fol.* IV. *col.* 2. traditur: *Exod.* XII. 10. phraſi והנותר ממנו quæ redundare videtur, indicari: præceptum negativum ולא תותירו ממנו עד בוקר laudato loco præcedere præcepto affirmativo, והנותר ממנו עד בקר באש תשרפו, eaque ſignificari: etiamſi quis de paſchate aliquid reliquiſſet, eum tamen non flagellari, quia præceptum affirmativum ſequitur, cujus violatione nemo flagellationem meretur. Hæc ſententia R. Judam habet auctorem, quam R. Akiva repudiaturus, *hoc non propterea ſit*, inquit, *ſed quia lex* negativa *requirit* rei illicitæ omiſſionem.

לא אמרן אלא ב׳. *Non niſi hoc in caſu dicunt, &c.*

Quando diſtinctio in aliqua conſtitutione notatur, eam adhibita limitatione accipien-

piendam eſſe, tum hoc hac formula ſignificatur.

In מנחות *fol.* xxxi. *col.* 2. Rabh Signire nomine R. Gamalielis, hicque nomine Rabh obſervat, ubi in volumine legis duæ tantum lineæ laceratæ ſint, eas rurſus quidem confici poſſe; ſin vero tres lineæ abſciſſæ fuerint, reſarcire haud licuiſſe. Porro Rabh a Rabba Suta accepit R. Jeremiam Diphtenſem nomine Rabbæ docuiſſe, poſteriorem caſum non abſolute, ſed *nonniſi hoc in caſu dici.* Videlicet non eſſe hanc Rabbinorum mentem, quaſi quodvis volumen legis, a quo tres lineæ abſciſſæ ſunt reficere nefas fuerit, ſed hanc conſtitutionem de contrito volumine duntaxat intelligendam eſſe. Vid. נדה xvii. 1.

לא שנו אלא דבאמר אבל באמר סכר. *Nonniſi hoc in caſu tradunt, verum &c. tum ſtatuit.*

Convenit cum præcedenti, vid. נזיר *fol.* vii. *col.* 2. סוכה ix. 2. ראש השנה viii. 1. יבמות lxxxviii. 1.

לא חש לקמחיה. *Non ſollicite curavit farinam commolendam.*

Id eſt, non circumſpecte, ſed temere oppoſuit.

Hac formula indicatur, opponentem impru-

imprudenter argumentum aliquod objeciſſe, quod ipſe facile ſolvere potuiſſet. Metaphora autem de farina exinde deſumpta eſt, quod ſtudium Talmudicum ſæpiſſime farinæ conferatur, ut in פרקי אבות c III.

In Gemara יבמות *fol.* x. *col.* 2. Rabbi Joſe ait: mulieres non deſpondentur vel nubunt, niſi tres menſes expectaverint, vidua excepta. R. Jochanan, inquit, hæc conſtitutio, ſecundum mentem R. Joſæ eſt. R. Jeremia porro R. Zerikæ dixit; cum conveneris R. Abahu, roga, qua ratione R. Jochanan dixerit conſtitutionem eſſe ex mente R. Joſæ, cum R. Jochanan auctor ſit, conſtitutionem ſæpiſſime eſſe ſententiam, in Miſchna סתם *ſine contradictione* propoſitam; in illa autem Miſchna traditur, nulli fœminæ licere nubere, nec deſponſari, niſi poſt tres menſes a morte mariti, vel accepto libro repudii elapſos. R. Abahu denique R Zerikæ reſpondit: qui hoc dubium propoſuit, *farinam non commoluit*, id eſt, minus circumſpecte egit, nam hæc traditio quidem ſine contradictione proponitur, ſed eam ſtatim controverſia ſequitur, qua de cauſa conſtitutio hæc ſimpliciter traditio

סתם

סתם ſive ſine contradictione propoſita dici nequit.

לא סלקא דעתיך ד׳. *Tibi in mentem venire non poteſt, quod &c.*

Frequenter Doctores Gemarici hac formula utuntur, teſtimonio comprobantes, inepte opponentem objeciſſe.

Ita in Gemara זבחים *fol.* LXII. *col.* 2. traditur : Sacerdotes altare holocauſtorum conſcenſuros ad dextram in plaga orientali aſcendiſſe. Objicitur : quod ſi dicam, Sacerdotem ad ſiniſtram, in eadem plaga altare aſcendiſſe. Reſpondetur : *id tibi in mentem venire non poteſt*, nam Rame filius Hiskiæ perhibet, ſub mari æneo Salomonis duodecim boves ſtetiſſe, quatuor mundi plagas reſpicientes, videlicet ternos plagam borealem, totidem occidentalem, meridionalem & orientalem ; exinde patet, quemadmodum boves a dextra numerabantur, aliaque ſacra verſus dextram peragebantur, ita quoque altare dextrorſum conſcendere fas fuiſſe. Vid. יבמות LXXI. 2. ראש השנה *fol.* II. *col.* 2. & XIII. I. ערובין XII. 2.

לדבריו דפלוני קאמר וליה לא סבירא ליה. *Secundum ſententiam N. eſt, quod dixit, ipſe vero non ſtatuit.*

Modu

Modus hic loquendi in reſponſione adhibetur, cum in Gemara ſententia profertur, quæ alii ejuſdem Auctoris ſententiæ adverſatur; tum quærenti, qua ratione idem auctor tam diverſas fovere ſententias poſſit? reſpondetur: *ſecundum ſententiam &c.* id eſt, illo in loco alterius tantum ſententiam propoſuit, hic vero ſententiam ſuam profitetur.

In Gemara חולין *fol.* XXXIII. *col.* I. R. Simeon filius Ramiſch docet: ſi lieni, arteria aſpera in jugulando rupta, aliquid vitii adhæſiſſet, jugulationem nihiloſecius legitimam eſſe. Rabba R. Simeoni dixit: vitium quod pulmoni ex jugulatione adhæſit, ipſam jugulationem non reddere illegitimam, quia pulmonis integritas ab arteria aſpera dependet, verum vitio quod inteſtinis accidit, mactationem temerari. R. Zera porro Rabbæ objicit: quoniam affirmas animantis diſcerpti סימנין *ſigna*, quæ poſt jugulationem apparent, jugulationem non reddere illegitimam, quid differt ſive vitium in pulmone ſive inteſtinis hæreat? verum Rabbi Zera ibi dicitur hanc deſeruiſſe objectionem. Rabbi Juda contra perhibet R. Zeram eam defendiſſe. Rabh Achan denique ait: *Rabbi Zera ſecundum Rabbæ ſen-*

tentiam

tentiam argumentum illud objecit, *ipſe tamen id non ſtatuit*, ſecus enim ſibi ipſi contrarius eſſet.

להודיעך כוחו דפלוני. *Ad ejus*, videlicet *N. vim indicandam.*

Hoc loquendi modo ſignificatur: ideo ritum aliquem, in Miſchna jam ſat validis argumentis adſtructum, repeti, *ad vim ejus*, *ſcilicet ſententiæ illius Doctoris*, vel argumenti ab eo prolati, qui hic non communem ſententiam, ſed ſuam hypotheſin ſequitur, *indicandam.*

In בכורות *fol.* XXXVI. *col.* 2. quæritur: cur in traditione exotica doceatur: vitia primogenitorum à tribus Sapientibus examini vitiorum idoneis inveſtigari debuiſſe; & primogenitum, niſi vitio laboraret, jugulare integrum fuiſse, cum hoc claræ ſatis in Miſchna jam ſit traditum? atque hac formula reſpondetur: *id fieri ad vim ejus*, nimirum R. Joſæ *indicandam*, quod itaque huic conſtitutioni adverſetur, nimirum quamvis tres adſint Sapientes, ſi abſit מומחה *i. e. vitiorum inquiſitor*, ſoli conſtitutionem ſancire nequeant. Vid. חולין CXL. 2. בכורות XXVI. I.

להכי הוא דאתא. *An hoc ejus cauſa hic adfertur?*

Hac formula dubitant Gemarici, an locus

Digitized by Google

cus aliquis id probet, cujus probandi gratia adductus eſt, & plerumque ſequitur: האי מיבעי ליה *ecce hoc ex eo quæſivit.* (Quoties vero האי præponitur, videlicet האי להכי הוא דאתא, tum forma in reſponſione adhibetur, cujus ſignificationem, vide ſupra ſub litera ה.)

In Gemara זבחים *fol.* VII. *col.* 2. traditur, loco *Deut.* XVI. 2. probari; nomina Dominorum offerentium, non minus atque ipſorum ſacrificiorum permutare nefas fuiſſe. Unde quæritur: *an hic locus hujus ritus cauſa adferri poteſt?* cum eo ſolum adſtruatur, reliquias agni Paſchalis ſub nomine ſacrificiorum ſalutarium offerri poſſe.

לימא כתנאי. *An dicendum eſt, id eſſe ſecundum Doctores Miſchnicos,* (diſſentientes?)

Ita in Gemara בכורות *fol.* XXVI. *col.* 1. traditur, in Miſchna doceri, ubi quis lanam evellit primogenitis, quæ omni tunc quidem labe carent, mox tamen adeo vitio laborant, ut jugulari debeant, lana illa uti lege interdictum eſſe. Hinc quæritur: *an dicendum, conſtitutionem hanc cum ſententia Doctorum* (ſcilicet Gnakabhiæ filii Mahalallelis &c.) hac de re diſputantium *convenire?* vid. בבא קמא XCIX, 1. תמורה VIII. 2.

Aliquandò ponitur.

לימא תנאי היא. *An dicendum, juxta Doctores?*

Vid. סוכה v. 1.

לימא הני תנאי כהני תנאי. *An dicendum, hoſce Doctores cum aliis convenire?*

Hac locutione, quæ in Gemara objectionis vices gerit, ſignificatur, Doctores Gemaricos, quia nervoſe & conciſe loqui amant, non bis de eadem re controvertere: hinc controverſia aliqua occurrente, quæ cum alia diſputatione affinitatem habere videtur, hoc modo interrogare ſolent: *an dicendum? &c.*

In Gemara סנהדרין xv. 1. R. Simeon filius Gamalielis cum Doctore Miſchnico acerrime diſputat, qui in Miſchna quæſtionem propoſuerat: an, ſi quis ſervum conſecratum læſiſſet, reus eſſet prævaricationis? Doctore Miſchnico negativam, Gamalielide contra affirmativam, defendente. Porro quæritur: *an dicendum*, eandem eſſe rationem controverſiæ, quæ aliis Doctoribus alio in caſu materiam diſputationis præbuit, ſc. R. Meiero & aliis Magiſtris *& hos cum prioribus convenire?*

לימא מסייע ליה. *An dicendum, quod ipſi ſuffragatur?*

Ita in Gemara חולין *fol.* CXL. *col.* 2. perhibe-

hibetur: legem de non rapiendis avium pullis e nido, hoc etiam vetare, ne quis etiamſi mater pullis non incubet, ſed circa nidum volitet, eumque duntaxat attingat, pullos rapiat. Porro quæritur: *an dicendum, quod conſtitutio* in ſequentibus allata, *huic conſtitutioni patrocinetur?* Vid. מועד קטון XVIII. 2. תענית XIII. 1. יבמות LXXXIV. 2.

Nonnunquam לימא omittitur, atque tunc non ſumitur interrogative, vid. נדה XVII. 1.

לימא בהכי קא מיפלגי. *An dicendum, eos hac in re diſſentire.*

Hanc formulam ex ſequenti exemplo intelligimus.

In Gemara סנהדרין *fol.* 111. *col.* 2. in quæſtione eſt, unde probetur minimum judicium, fuiſſe trium judicum conſeſſum? Rabbi Jonathan reſpondet, id ex *Exod.* XXII. *vſ.* 7. 8. demonſtrari poſſe, quoniam ibi vocabulum אלהים tribus vicibus occurrit. Verum R. Joſua excipit, vocem אלהים quæ primo loco occurrit, nullum huic ſententiæ præbere argumentum, quia duntaxat id probat, cujus gratia ibi adducitur, (ſcilicet Dominum, de quo loco citato ſermo eſt, coram Magiſtratu eſſe ſiſtendum) ideoque bina vocabula אלהים forte aliud

quid probarent. Tandem additur, præcipuam rationem hanc eſſe, quia in judicio ne ſuffragia æqualia ſemper ſint, tertius addi debeat. Et quæritur: *an dicendum? &c.* Vid. מכות XI. 2.

לימא קסבר פלוני. *An dicendum N. ſtatuere?*

Hac formula quæritur: an Doctor Talmudicus revera, quia alias dubitari adhuc poſſet, hoc vel illud ſtatuat, dum de eo aliquid ediſſerit.

In Gemara נזיר *fol.* 11. *col.* 2. obſervatur, eum, qui dixiſſet אהא *ero*, Naziræum eſſe. Unde objicitur, forte eum aliud quidquam intellexiſſe, dum dixit: ero, ſubintelligendo jejunans; quia vox אהא de eo etiam adhibetur, qui jejunium vovet. Reſpondet autem Samuel, hoc ita esſe intelligendum, Naziræum eodem tempore forte præteriisſe, cum vocem אהא pronunciaret, indeque demonſtrari illum dixisſe, ſe fore ſimilem illi qui præte ibat, nempe Naziræum. Poſtremo quæritur: *an* Samuel, *dum hac dixit revera* hoc *ſtatuit?* Vid. זבחים *fol.* XII. *col.* 2.

לכי אירך דפלוני. *In illo caſu N.* quem tradidit.

Reſponſio ad quæſtionem eſt, quo in caſu cæremonia quædam cum alia comparari queat?

queat? & in reſponſione ille caſus monſtratur his verbis: *in illo caſu, quem N.* tradidit.

In Gemara זבחים *fol.* XI. *col.* 2. quæritur: quonam in caſu oblatio manipuli cum ſacrificio pro delicto & piaculari conferri queat? & reſpondetur: *In illo caſu, quem* R. Simeon, in alio Miſchnæ loco *tradidit*, ſcilicet in eo quod tam manipulus, quam ſacrificia illa manu deferri & deduci ad altare queant.

ד למימרא. *An ad hoc dicendum? &c.*

Hæc formula imprimis ponitur in Gemara, cum e decreto conſequentia nectitur, quam Doctores Gemarici infracturi quærunt: *An ad hoc dicendum? &c.*

In Gemara חגיגה *fol.* III. *col.* I. Doctores Gemarici diſputant, quonam argumento demonſtretur, ſurdum & mutum officio comparendi in tribus feſtis ſolutos fuiſſe: tandemque uno ore confitentur id demonſtrari, ex *Deuter.* XXXI. *vſ.* 12. quo Iſraëlitæ jubentur feſta petere ישמעו *ut audiant*: quo ſurdus, & למען ילמדו *ut diſcant* quo mutus excluditur. Deinde objicitur, eo loco innui forte mutum nihil diſcere poſſe, adhibita hac formula: *an ad hoc dicendum? &c.* Vid. שבת IV. I. בבא בתרא *fol.* VII. 2. XIX. I. 2.

למאי הלכתא. *Ob quam conſtitutionem*, (hoc vel illud dicitur?)

Quum Doctores Gemarici rerum aliquarum ſimilitudinem ſtatuunt, hac formula ratio illius ſimilitudinis rogatur, & paſſim ſequitur: לאקושי ליה *ad hoc huic comparandum.* Vid. ראש השנה *fol.* IV. 2.

In Gemara זבחים *fol.* IX. *col.* I. traditio habetur, agnum Paſchalem ſub nomine decimarum jugulatum, decimarum inſtar offerendum eſſe, hinc quæritur: *ob quam &c.* Conf. בכורות XXXIX. 2. בבא קמא V. 2. בבא בתרא CXIII. 2. חולין CVIII. 1. בבא מציעא XLI. 2. ראש השנה II. 1. & IV. 2.

למה לי למיתנא לתני. *Cur ita, hoc potius modo doceatur?*

Frequenter Doctores Gemarici hac loquendi forma utuntur, indicaturi, rem aliquam ſupervacaneam doceri, quæ potius eſſet omiſſa. Aliquando etiam formula hæc adhibetur, cum res aliqua oſcitanter pertractatur.

Prioris ſignificationis exemplum occurrit in Gemara זבחים *f.* II. 2. ubi quæritur, cur in Miſchna dicatur: אלא שלא עלו לבעלים לשם חובה (*quod quævis ſacrificia non ſub ſuo nomine jugulata immolari quidem poſſint;*)

ſint ;) *ſed quod , offerentium vota non expleant*, cum omiſſa particula אלא dici potuiſſet שלא עלו לבעלים לשם וכו׳ *offerentium vota minime explent.* Sed reſpondetur , hac particula doceri ſacrificia non ſub ſuo nomine mactata , offerentium quidem vota non explere , ſacrificari tamen poſſe. Vid. בבא מציעא xxxiii. 2. בבא בתר׳ xcviii. 2. & ix. 2. מנחות ii. i.

In poſteriore ſignificatione formula hæc occurrit:in Cod.בכורות *f.*vi.*c.*1.ubi docetur animali puro ſi ſpeciem animantis impuram peperiſſet, veſci licere ; ſpecie autem pura ab animali impuro edita veſci nefas eſſe ; præterea quicquid ex immundo naſcitur immundum eſſe , quod vero ex mundo , mundum quoque cenſeri. Ubi cum poſterius membrum abundare videretur, quæritur, *cur ita additur , hoc potius modo doceatur?* quicquid ex immundo naſcitur immundum eſt. Conf. מעילה xxxix. i. מנחות vi. i.

למעוטי מאי אי ליכא. *Ecquid excludit , an dicendum?*

Formula hæc objectionis vices gerit , cum decretum aliquod emphatice proponitur, tum enim plerumque quæſtio ſe-

 quitur ;

quitur; *quid hac emphaſi excludatur, an dicendum*, hoc vel illud? Cum vero abſolute למעוטי ponitur: reſponſionem denotat. Vid. שבת VI. I.

In בבא בתרא XCVII. *col.* I. decretum profertur, quo ſancitum eſt Sabbathum non alio vino conſecrari, quam eo quod altari affundi ſolebat, unde quæritur: *quale vinum* hac conſtitutione *excludatur*, *an dicendum hoc vel illud?* Vid. זבחים LVI. I. Nonnunquam occurrit מאי למעוטי *ad quid excludendum?* Vid. ערובין IV. I.

לעולם (וזה אמר). *Semper ita eſt* (at hic ait).

Hac formula ad objectionem reſpondetur, & ſignificatur, teſtimonium aliquod, ſemper eundem ſenſum habere, adeoque alium ab opponente prolatum ſenſum, locum habere non poſſe.

In Codice חגיגה *fol.* III. *col.* 2. quæritur: quinam שוטה *inſani* nomine venit, neque lege tenetur, neque ob legem violatam vapulat? reſpondetur: ille, qui noctu ſolus ambulat, in cœmiteriis dormit, & veſtimenta lacerat. Rabh Stunna ait, quicunque tria hæc ſimul fecerit, pro inſano habetur. Rabbi Johannes contra illum etiam inſanum eſſe aſſerit, qui unum duntaxat horum feciſſet. Jam quæritur, quomodo id intelligendum? enim vero

vero ſi id ex defectu rationis fecerit, unum horum ſatis inſaniam indicat; ſin vero etiam tria hæc, ſed de induſtria perpetraverit, inſani tamen nomen non meretur, & deciditur tandem: *Semper ita dicitur*, vel lege ſancitum eſt, etiam illum qui ex defectu rationis, vel unum horum patraverit, pro inſano haberi poſſe; vid. חולין *fol.* xc. *col.* 2. קדושין xc. *col.* 1.

לצדדין קתני. *Conditionate tradit.*

In מעילה xliv. *col.* 1. conſtitutio reperitur, qua docetur victimam avis piacularem, in ſanguinis expreſſione ad altare, non poſſe abominandam fieri, quandoquidem hæc immolandi pars, etiamſi non legitime peragatur, expiationem impedire nequeat. Quapropter Samuelis Pater & Rabh Abia conſtitutionem objiciunt, qua edicitur: Sacerdotem ſi victimam piacularem vel holocauſtum avis extra locum præſcriptum ungue ſecuiſſet, ſanguinemque expreſſiſſet, perperam equidem feciſſe, כרת vero ſive *excisioni*, minime obnoxium eſſe; ſin vero idem extra prædefinitum tempus peragere animo concepiſſet, victimam abominandam factam, atque Sacerdotem pœnæ כרת reum esſe. Exinde liquet, victimam etiam per ſanguinis expreſſionem abominandam fieri posſe. Verum ipſe opponens

reſpondit : conſtitutionem ante allatam de ave ſacrificanda, quæ in ſanguinis expreſſione non abominabilis fieri dicebatur, de aliqua duntaxat victimarum ſpecie, atque adeo *conditionate* intelligendam eſſe : videlicet holocauſtum quidem in ſanguinis expreſſione abominabile fieri poſſe, non vero ſacrificium avis piaculare.

לרבות. *Ad includendum.*

Hac locutione aſſeritur, voces quasdam, vel integras phraſes in Sacra Scriptura non ſine cauſa (quod objiciebatur) repeti, ſed eas adduci, *ad aliquid includendum.*

In Gemara נזיר *fol.* LXI. *col.* I. quæritur : cur *Num.* VI. 2. ubi de voto Naziræatus ſermo eſt Moſi præcipiatur : ואמרת אליהם *& dices illis*, cum in antecedentibus jam dictum ſit : דבר אל בני ישראל *alloquere filios Iſrael ?* Verba igitur hæc ſupervacanea eſſe. Sed reſpondetur : minime. Nam verba hæc præterea *includere*, etiam ſervis Cananæorum votum Naziræatus licere nuncupare. Vid. חולין CXL. I. מכות VIII. 2. יומא LXIII. 2.

לרבי פלוני מאי איכא למימר. (Secundum Rabbinos concedi poteſt) *verum juxta Rabbi N. quid dicendum?*

Convenit hæc formula cum בשלמא לדידי

לדידי אלא לדידך, quam vide ſub ב, vide מכות: IV. ראש השנה VIII. 1. זבחים CXIII. 2.

לשנא אחרינא. *Alia phraſis eſt.*

Formula hæc in Gemara Babylonica uſurpatur, quum traditio quædam e Gemara Hieroſolymitana profertur.

Ita in תמורה *fol.* VI *col.* 2. Abaie & Rabba diſputant, qua de cauſa, qui præceptum negativum violet, verberibus cædatur. Abaje, inquit, quia per ejusmodi legi non ſatis fit, etiamſi deinde de integro ab eo obſervetur, niſi peccatum verberibus expietur. Rabba contra ait, præcepti negativi violationem plane non nova obſervatione compenſari, ſed transgreſſorem verberibus ideo tamen addici, quia legem violavit. Porro alii quidam, cauſam diſputationis horum Magiſtrorum quærunt, & R. Nachman eos diſputare autumat: an qui de lana furto ablata ſibi veſtimentum confeciſſet, קונה *poſſeſſor* ſive dominus hujus veſtimenti dici queat? Abaje ait: ejusmodi hominem lanam duntaxat reddere, Rabba vero ad veſtimenti etiam pretium obſtrictum eſſe affirmat. *Alia* denique *traditio* e Gemara Hieroſolymitana affertur, qua docetur, hiſce Doctoribus, de רבית קצוצה, i. e. *de determinato lucro*, controver-

troverſiam intercedere. Vid. תמורה VII. I. 2.

מ.

מאי בינייהו. *Quid intereſt (differentiæ) inter illos?*

Hac formula quæritur, quænam ſit cauſa & modus diverſitatis ſententiarum Doctorum, qui in conſtitutione quidem ipſa conveniunt, ſed in ejus ratione danda diſcrepant.

In בבא בתרא *fol.* III. *col.* 2. Rabh Chiſta perhibet templum ante aliud exſtructum, non eſſe deſtruendum. Nonnulli ideo id conſtitutum eſſe autumant, quod evenire interea aliquid poſſet, quo novi templi exſtructio impediretur. Alii autem hanc cauſam interſerunt, quod locus precibus fundendis non eſſet futurus. Quæritur ergo: *quidnam* igitur *interſit* diſcriminis, *inter has rationes?* vid. יומא LV. I. ראש השנה XIV. I. יבמות LXXXIII. 2. חגיגה IX. I. גטין *fol.* II. *col.* 2. שבת XVI. 2. & *fol.* LXXVIII. 2.

מאי הוה עלה. *Quanam igitur* (conſtitutio) *hinc ſequitur?*

His verbis quæritur: quid certi tandem ex diſputatione aliqua concludatur?

In

In Gemara מנחות *fol.* CIV. *col.* I. controvertitur de ulnarum aliarumve menſurarum definitione; utrum præciſe ita, an vero circiter ſit intelligenda, & tandem quæritur quam hic diſſenſus habeat deciſionem, ſive *quid inde tandem concludatur?* vid. חולין XXII. *col.* I. & LXXIX. I. יבמות LXIV. 2. & LXV. 2. חולין LXXXVI. 2.

מאי שנא (זה) ד׳ (זה) נמי ד׳. *Cur hic differentiam facit, an propter hanc rationem? in alio caſu utique idem obtinet.*

Inquiritur hac locutione in rationem differentiæ rerum, ſimilitudinem alias inter ſe habentium; dataque ratio rejicitur, quoniam in omnibus locum habere non poſſit, adeoque ſemper convenire neceſſe eſſet.

In Gemara חגיגה *fol.* VI. *col.* I. Hilleliani aſſerunt: חגיגה *ſacrificium ſolemnitatis* ראיה *ſacrificio comparendi* præſtantius eſſe, quod illius lex ante, hujus vero poſt datum decalogum ſit lata, & quæritur: unde id conſtat, ſive *cur hic differentiam facit?* an propter legem *Exod.* XXIV. 5. ויזבחו זבחים quod *ſacrificium ſolemnitatis* reſpiciat, idem *de ſacrificio comparendi dicendum erit*, de quo idem præcipitur ויעלו עולות. Vid. יבמות LXXXI. *col.* I. בבא קמא II. 2.

מאי חוית דשדית ליה א׳ שדיה לי׳ א׳. *Ecquid*

Ecquid vides, (quid cauſa eſt) quod hoc referas, ad hoc? ad illud potius referas.

Hac formula quæritur, quid cauſæ ſit, ut eadem phraſis uni tantum non alteri quoque ritui applicetur?

In Gemara חולין xxvii. 2. R. Juda nomine Iſaaci filii Pinchæ aſſerit, e Scriptura non poſſe demonſtrari, aves jugulandas eſſe, nam in lege *Levit.* xvii. *vſ.* 13. ואיש איש מבני ישראל ומן הגר הגר בתוכם אשר יצוד ציד חיה או עוף אשר יאכל ושפך את דמו וכסהו בעפר. *Quicunque e filiis Iſraelis, aut e peregrino* (populo) *qui inter vos peregrinatur, venando ceperit beſtiam aut avem, quæ comeditur, effundet ſanguinem ejus, & teget eum pulvere*: per שפך *effuſionem quidem ſanguinis*, non vero jugulationem indicari. Sed reſpondetur, ſi hoc argumentum valeret, neque feras jugulandas fore, quia loco citato idem de illis dicitur: ושפך. Regerit prior, objectionem hanc nullius eſſe momenti, quia feræ in ſacris literis conferrentur cum ſacrificiis, ob vaſa ſacra impura reddita offerendis & mactandis. Excipitur deinde etiam avem feræ comparari, earum enim leges ſibi invicem jungi *Levit.* xi. 46. & xvii. 13. Reſpondetur, loco poſteriori illud

illud ושפך *effundes ſanguinem*, avi duntaxat applicari. Hinc tandem quæritur, *ecquid vides quod vocem* שפך *avibus non vero potius feris applices*, cum in eodem ſint ſanctitatis gradu. Vid. חולין XCVIII. 2. כתובות XXXIII. 1.

Cum vero bina proferuntur teſtimonia, quorum alterum rejicitur, admiſſo altero, hæc forma occurrit.

מאי חזית דסמכת אהא סמוך אהא. *Quid vides, quod hoc utaris argumento, potius illo utere?*

Vid. יבמות LXXXIII. 2.

מאי חזית דאקשית להכי וכו׳. *Ecquid vides, huic quod conferas?*

Convenit cum priori. Vid. זבחים V. 2. כתובות XXVII. 2. חולין XXXII. 1. בכורות XXXVIII. 1.

מאי שנא (ד׳) ומאי שנא (ד׳). *Quid differentia hic & ibi facit?*

Quando in Scriptura res quædam variis vocabulis idem fere ſignificantibus exprimitur, tum his verbis quæritur: *ecquid in illis eſt differentia?*

In בבא קמא *fol.* 11. *col.* 2. quæritur: quamobrem *Exod.* XXI. 28. de bove virum aut mulierem cornu feriente vox יגח uſurpetur,

petur, & *verſ.* 35. de bove bovem cornu petente vox יגוף adhibeatur? *an quædam inter has voces eſt differentia*, cum cæteroquin utraque dictio ictum lethalem ſignificet. Vid. יבמות LXXXII. *col.* 1.

Aliquando formula ita reperitur.

מאי שנא גבי ומאי שנא גבי. *Quænam eſt differentia inter* (hoc) *&* (illud).

Vid. סוכה *fol.* II. *col.* I. ſive

מאי שנא סיפא ומאי שנא רישא. *Quid differentiæ eſt inter initium atque finem (illius traditionis).*

Vid. סוכה *fol.* IV. *col.* 2. קדושין *fol.* II. I.

מאי אולמיה דהאי מהאי. *Quid roboris* (præſtantiæ) *hoc pro illo habet?*

Hoc loquendi modo quæritur: quid ritibus quibusdam ſimilitudinem inter ſe habentibus inde accedat, quod de illis diſtinctis in locis diſtincte diſputetur & ſingulis deciſio adjungatur.

In חולין LXXIII. *col.* I. R. Iſaac Joſephi filius tradit: membrum animalis contuſum, corpori tamen adhuc adhærens, animali exſtincto, non pro נבלה *morticino*, haberi, ſed membro animali viventi abſciſſo ſimile cenſeri; ejusque impuritatem impuritate ex vulnere lethali profecta, leviorem

viorem eſſe, ſi id vero animali jugulato acidiſſet, ejus nullam omnino rationem haberi. Objicitur, cum jam de hoc caſu in alia Miſchna ſit actum, quare hic rurſus de eo definiatur? Reſpondetur: diverſum hic proferri caſum, nimirum ho loco diſputari de membro animali quidem vivo adhærenti, poſt mactationem autem ſe ſponte ſeparante; alio vero Miſchnæ loco controverti, de parte carnis a membro contuſo ſponte ſeſe avellente. Tandem quæritur: quare hic caſus proferatur, ut peculiari conſtitutione gaudeat, ideoque binæ traditiones proponantur; quid hic præ illo præſtantiæ habeat, vel *quid roboris huic præ illo tribuendum ſit?*

מאי שייר דהאי שייר. *Quid (amplius) neglexit, quandoquidem hoc omiſit?*

Cum Doctor Miſchnicus omiſiſſe quædam in Miſchna dicitur, hac formula quæritur; quemnam caſum Doctor Miſchnicus præterea prætermiſerit, unde quis ſuſpicari poſſet, ea de quibus ſermo eſt, in Miſchna deeſſe.

In בבא קמא *fol.* x. *col.* 1. in Miſchna quædam vaſa recenſentur, quæ ſi damnum feciſſent, pecunia ſolvenda erant, quædam autem ibi vaſa omiſſa eſſe dicuntur; hinc quæritur, *quid Doctor Miſchnicus præterea*

 negle-

neglexerit, unde colligi poſſet, vaſa illa eſſe omiſſa? Vid. יבמות LXXXIV. *col.* 2.

מאי קא משמע לן תנינא חדא זמנא. *Quid nos docet (novi) jam didicimus hoc?*

Hac formula docetur: nihil Doctorem proferre, quod non alio loco jam fuerit prolatum, ideoque eum illam Miſchnam tantum compilaſſe.

In Gem. חולין *fol.* XXX. *col.* 2. R. Juda nomine Rabh obſervat e Miſchna, ſi quis in jugulatione cultrum œſophago & arteriæ a peræ impoſuiſſet, atque eo modo jugulationem peregiſſet, eam illegitimam eſſe. Hanc vero obſervationem, jam alibi fuſius eſſe pertractatam, hac formula indicat: *quid nos docet novi, jam didicimus hoc?* Vid. בבא מציעא XXXVI. I. בכורות XXXVI. 2. בבא בתרא *fol.* III. I. & LXXXIX. 2.

Aliquando hæc forma occurrit.

מאי קא משמע לן. *Ecquid nos docet?*

Vid. סוכה *fol.* IV. *col.* I. בבא בתרא *fol.* III. *col.* I.

מאי לאו תנאי היא. *An non* (putas) *hanc Miſchn corum eſſe diſſenſionem?*

Concordat cum לימא כתנאי. *Dicendum ſecundum Miſchnicos, hoc ſe ita habere,*

re, & תנאי ה״א *Doctorum Miſchnicorum, hac eſt expoſitio:* hoc obſervato diſcrimine, quod תנאי ה״א reſponſionem ſignificet, quemadmodum ſub ת obſervabo.

מאי קושיא. *Qualis hæc difficultas eſt?*

Hæc eſt reſponſio, qua objicienti, ſententiam aliquam pro rata haberi non poſſe, quoniam alia conſtitutione deſtruatur, regeritur: nullam eſſe difficultatem, cum conſtitutio memorata aliter explicari queat.

In Gemara חגיגה *fol*. x. *col*. 2. traditur, in Miſchna doceri, legem de prævaricatione eſſe ad inſtar montium de pilo dependentium, h. e. non clare ſatis in ſacris literis proponi, ſed ejus duntaxat mentionem quandam injici. Objicitur, clare utique & aperte prævaricationem vetari *Lev.* v. *c.* 14. נפש כי תמעל מעל וחטאה בשגגה מקדשי ה׳ וגו׳ *Quum quiſpiam fefellerit, falſitate aliqua peccaverit per errorem, auferens e rebus ſacris Jehovæ: tunc afferet reatum* Reſpondet Rama filius Chamæ: Miſchnæ verba ad hujuſmodi caſum transferenda eſſe, quod ſi quis legatum miſiſſet eo fine ut in rebus ſacris prævaricaretur, hic ſi legatione juxta acceptum mandatum eſſet defunctus, mittentem tantum in culpa eſ-

ſe; ſin vero legatus negligenter legationem obiiſſet, vel aliquid mandato addidiſſet, ipſum prævaricationis reum cenſeri. Objicitur, quare mittens in culpa eſſet, num æquum eſt ut ille peccet, hic vero luat? hujusmodi igitur conſtitutione, in Miſchna obvia probari, legem de prævaricatione eſſe inſtar montium de pilo dependentium. Sed Rabba hanc objectionem refutaturus dicit: *qualis hac eſt difficultas?* oſtendens allatum exemplum nihil probare, aliam enim dicti illius rationem esſe. Vid. ערובין XLV. I.

מאן האי תנא ר'. *Quis eſt Doctor Talmudicus, qui* hoc tradidit?

Convenit hæc formula cum מני מתניתין. *Quanam Miſchna &c.*

Vid. גטין *fol.* III. *col.* 2.

מאי טעמא משום דאיכא הכא נמי איכא. *Quanam ejus rei ratio? certe quia hoc ita ſe habet, hic utique eodem modo eſt.*

Hoc loquendi modo affirmatur, rationem alicujus ritus ab alio petendam eſſe.

In נזיר *fol.* V. *col.* I. docetur, eum qui perpetuum Naziræatum vovit, quovis trigeſimo die tondendum eſſe. Quod argumento a Sacerdotum tonſura petito, corroboratur; utpote qui trigeſima quaque die tonde-

tondebantur, ſi enim diutius comam aluiſſent, gravis nimium capillus illis fuiſſet moleſtus futurus. Additur denique: *Quænam igitur hujus rei eſt ratio? quia hoc ibi ita ſe habet, hic utique eodem modo eſſe debet*, quare Naziræus perpetuus, quavis trigeſima die tondeatur.

מאי סבירא לן אי סבירא לן ואי סבירא לן.
Quænam noſtra eſt ſententia, an hæc vel illa?

Hac formula dubitant, cum ſententia aliqua duplicem fundit ſenſum, uter eorum ſit eligendus.

Ita in סנהדרין *fol.* LXXXVIII. *col.* 2. R. Eliezer nomine Olchajæ ait: זקן ממרא *ſenem contumacem*, qui conſtitutioni Synedrii ſe opponit, non plecti capite, niſi ob ejusmodi conſtitutionem, quæ Scriptura ſacra nitatur, & Rabbinorum placitis explicetur, quam evertere aliamque illi contrariam ſtabilire allaboraſſet. Cujus generis conſtitutio eſt de phylacteriis, nam illa lege ſancita eſt *Exod.* XIII. *vſ.* 16. Quatuor autem legis ſectiones phylacteriis eſſe inſcribendas, ex Rabbinorum placitis demonſtratur; quibus ſi plures ſectiones adderentur phylacteria illegitima fierent. Objicitur, idem quoque de לולב *faſciculo ramorum* dicendum eſſe, in lege enim *Levit.* XXIII. 40. e Magiſtrorum ſententia præ-

cipi, illi alias tres ſpecies אתרוג *malum citreum*, ערבה *ſalicem* הדס *myrthum* addendas eſſe, & plures ſi adderentur illegitimum quoque fuiſſe illum faſciculum; hocque ſi quis ſuaſiſſet, eum mortis reum fuiſſe. Inde conſtare colligunt, exemplum phylacteriorum non unicum dici poſſe, quo illuſtretur ſenem contumacem plectendum eſſe capite. Quæritur porro: quomodo hoc intelligendum: *quænam nobis eſt ſententia, utrum* ſenex contumax ideo morte plectendus quod aſſerat, faſciculum ramorum ſimul cum aliis memoratis ſpeciebus colligandum eſſe? *an vero* quod ſtatuat, aliquam harum ſpecierum τῷ לולב *faſciculo* eſſe addendam? ſed tum non peccat, ideoque hoc exemplum non antecedenti a phylacteriis petito, ſimile eſt.

מגחך בה *Irridet eum*

Cum Amoræi ſententia alteri Amoræo abſurda videtur, tum ſi argumentum ejus ridendi gratia objiciat, hæc formula adhibetur.

Ita in סנהדרין *fol.* 111. *col.* 2. ratio adducitur, cur minimum judicium trium eſſe debeat Judicum; ideo nimirum, ut, ſi forte duo ſuffragia æqualia forent, tertium litem dirimere posſet. Verum cum Rabba Abahu, huic ſententiæ alteri illuſurus argumentum objiceret, dicitur: *illudit ei.* Vid. זבחים x11. 2.

מדברי סופרים. *E verbis* (ſententia) *Scribarum* (Rabbinorum).

Ita loquuntur Gemarici, cum ſententiam aliquam non Scripturæ ſed Talmudiſtarum teſtimonio probant.

Ita in קדושין *fol.* xxx. *col.* 2. lege dicitur interdictum eſſe, frugibus terræ ante manipulum oblatum veſci; verum licere ערלה *præputium* æque in terra Iſraëlitica, atque extra eam offerre, conſtitutione a Moſe in Monte Sinai lata niti. Denique heterogenea extra terram Iſraëliticam offerri poſſe, *e Sapientum* duntaxat *verbis* vel ſententia elici. Vid יבמות LXXXV. I. 2.

מהו דתימא. *Id quod dicere poſſes.*

His verbis datur ratio, cur conſtitutio quædam, quæ ſupervacanea videri poterat ſit ſancita, ſcilicet ne hoc vel illud excipi poſſet, quod alias fieri potuiſſet.

In יבמות *fol.* XLVII. *col.* I. R. Juda aſſerit: proſelytum qui in terra Iſraëlitarum, Judaicam religionem ſit amplexus, teſtimonium adferre debere, quod præſente בית דין *conſeſſu Judicum minimo*, eam religionem ſit profesſus; quod ſi autem in alia regione proſelytus factus esſet, teſtimonium non necesſarium fuisſe. Alii contra ſtatuunt, ſive in terra Iſraëlitarum, ſive extra eam Judaicæ religioni ſeſe addixiſ-

ſet, cum teſtimonio comprobare debuiſſe, quod id coram בית דין factum fuerit. Id quod Rabbi Chia filius Achæ nomine R. Jochananis porro confirmat. Quæritur inde, cur Doctorum ſententia conſtitutione comprobetur, cum canon ab omnibus receptus ſit: ubicunque Doctor privatus a plurimis disſentiat, deciſionem ex plurimorum ſententia fieri, esſet igitur R. Judæ opinio cæterorum poſtponenda? Verum reſpondetur: hoc ideo fieri, ne, *quod dicere poſſes*, R. Judæ cæterorum ſententiæ anteponendam putares, quia *Lev* XIX. *vſ.* 3. vox ובארצכם illi patrocinatur. Vid. חולין LII. 2. סנהדרין XVII. 2. בבא בתרא IV. I.

Varia huic formulæ junguntur, ut:

מהו דתימא הני מילי לענין אבל ל' לא קא משמע לן. *Quod dicere poſſes, hæc quod attinet &c. verum ad hoc quod attinet* (non ita eſt) *docet* (igitur).

Vid. נזיר *fol.* VI. *col.* I.

מהו דתימא קא משמע לן ד'. *Id quod dicendum, idcirco docet &c.*

Vid. נזיר VIII. 2. סוכה IV. I. יבמות LXVII. I. ראש השנה VI. I.

מהו דתימא מסתברא טעמא דפלוני. *Id quod dicere poßes eſt, rationem N. omnium opti-*

optime conſiderandam eſſe.

Vid. יבמות *fol.* XLVII.

מה הפרש בין זה לזה. *Quanam eſt inter hoc & illud differentia?*

Ita quæritur, cum differentia quædam in rebus obſervatur, quæ alias ſemper fere inter ſe comparantur.

In זבחים *fol.* IV. *col.* I. traditur: תודה *ſacrificium euchariſticum*, ſub nomine hoſtiarum ſalutarium jugulatum legitimum eſſe; hoſtias contra ſalutares ſub nomine ſacrificii euchariſtici mactatas eſſe illegitimas. Quod quidam miratus quærit: *quanam eſt inter hæc ſacrificia differentia:* cur hic non conveniant? & reſpondetur: quia in Scriptura ſacra ſacrificium euchariſticum quidem ſub nomine ſalutaris, ſacrificium contra ſalutare, non ſub euchariſtici offeratur.

מה התם אף כאן. *Quemadmodum ibi, ita & hic* (ſe res habet).

Hoc modo concludunt ab una re, ad aliam.

In נזיר *fol.* V. *col.* I. docetur, phraſin מקץ ימים לימים, quæ de Abſalomo 2. *Sam.* XIII. *vſ* 23 uſurpatur, duodecimum menſem ſignificare: quod ex *Lev.* XXV. *vſ.* 29. illuſtratur, ubi idem menſis

indicatur. Hinc concludunt: *quemadmodum ibi*, nempe *Lev* xxv. *vſ.* 23. anni finem ſive duodecimum menſem indicat; *ita & hic* nimirum II. *Sam.* XIII. 23. Vid. סנהדרין IV. I. ראש השנה VIII. I.

מה להלן אף כאן. *Quemadmodum ibi, ita & hic.*

Convenit hæc formula cum præcedenti. Vid. חגיגה *fol.* I. & IV. I. ראש השנה IV. 2. חולין XXVII. 2. סנהדרין IV. I.

מהכא פתח. *Hinc orſus eſt* (demonſtrare).

Quum duo Doctores Gemarici de conſtitutione aliqua Miſchnæ diſputant, & alter rationem ejus adfert; quam alter, ut minus genuinam rejecturus, genuinamque allaturus hac formula utitur: *hinc orſus eſt*, id eſt, non inde ſed hinc, non ex illo, ſed hoc loco Miſchnico, probat ſententiam.

In זבחים *fol.* v. *col.* I. quæritur: quonam argumento Riſch Lakiſch aſſerat: ſacrificium piaculare non ſub ſuo nomine mactatum, offerri licere. R. Zera ex loco, inquit, *Deut.* XXIII. 23. מוצא שפתיך, quia quicunque votum, quod ſemel vovit, obſervare tenetur; adeoque illud quoque offerendum eſt ſacrificium, quod expiationi deſtinatum erat, neque aliud expiationem

tionem impetrat. Verum excipitur, id quidem ſacrificiis votivis & ſpontaneis non vero piacularibus applicari poſſe. Sed ſententia hac exploſa Abaje dicit: Riſch Lakiſch non inde *ſed hinc orſus eſt*, nimirum ex *Lev.* IV *vſ* 33. ושחט אותה לחטאת *Mactabis illud in ſacrificium piaculare*, ſententiam ſuam ſtabilire conatus eſt.

מהכא נפקא. *Congruit hac formula cum* נפקא מיה.

Vid. ſub 'נ. conf. ראש חשנה *fol.* ד. *col.* 2.

מחדא לא אתיא תיתי חדא מתרתי. *Cum (unum) ex uno non deducatur, unum igitur e duobus deducatur.*

Hæc eſt reſponſio ad interrogationem, quare in Gemara tres vel quatuor caſus ſimilitudinem aliquam inter ſe habentes, Scripturæ dictis probentur? cum uno e Scriptura demonſtrato, reliquorum inde facile deduci queat deciſio. Hac reſponſione igitur, id ob certas circumſtantias non licere, innuitur.

In זבחים *fol.* VIII. *col.* I. tribus Scripturæ locis adſtruitur, oblationem ſacrificii piacularis ob eſum adipis, item Naziræi & Leproſi, ſub offerentium nomine eſſe peragendam. Quæritur ergo: cur hic tria afferantur loca, cum quia horum ſacrificia ſibi

ſibi eſſent ſimilia, uno illorum Scripturæ loco demonſtrato, idem de omnibus dictum videatur? Verum reſpondetur, id ideo neceſſarium eſſe, quia ſacrificium piaculare ob comeſtum adipem non in omnibus conveniat cum ſacrificio piaculari leproſi; quoniam cum hoc alius adhuc ſanguis, avium nimirum erat offerendus; immo neque conſtitutionem ſacrificii leproſi, cum ſacrificio priore plene convenire, hoc enim oblato, reum כרת *excisionis* liberari. Hinc non ſtatim ab uno ad aliud valere concluſionem, ideoque *unum ex uno deduci non poſſe &c.*

מחלוקת. *Diſcrepantia* (eſt).

Hac voce quævis diſputatio ſive diſſenſio indicatur.

In עבודה זרה *fol.* VII. *col.* I. quæritur: cur notetur, conſtitutionem, (de qua ibi ſermo) eſſe ex mente R. Judæ, cum id ſua ſponte ſequatur? quamvis in Cod. בבא קמא de eo diſputent, atque aſſerant in Cod. בבא מציעא conſtitutionem abſolute proponi, neque litem de eo moveri. Ad quod reſpondetur, univerſum codicem Talmudicum נזיקין pro uno Tractatu haberi, igitur ordinem ita non obſervari poſſe, utrum de eo *controverſia* ſit, an vero סתם ſive *abſolute ſine controverſia* proponatur.

Digitized by Google

ponatur. Vid. בבא קמא *fol.* CII. I. סוכה II. 2.

Nonnunquam ita occurrit:

מחלוקת ב״ה אבל ב״ה דברי הכל. *Controverſia eſt de hac re, ſed de alia omnes conveniunt.*

מחלפת השיטא. *Permutatio ſtructuræ verborum ſtyli.*

Eſt reſponſio, quando Doctor Gemaricus ſententiam ſuam deciſione, quam perperam minusque recte citavit, probare vult.

In ביצה *fol.* IX. *col.* 2. & X. *col.* I. traditur: Schammæanos aſſerere, nefas eſſe ſtipitem carnarium die feſto advolvere, ut ſuper eo caro diſſecetur, quod autem a Schola Hillelis propter feſtivam lætitiam, ut lautæ epulæ apparari queant, licitum pronunciatur. Objicitur: ſequi ergo hinc Schammæanos ob feſtivam ſolennitatem rem aliquam licitam, Hillelianos contra eandem rem illicitam pronunciare; id quod in dubium vocari poſſet, eſſe enim traditionem, ubi quis die feſto beſtiam ſive avem mactet, Scholam Schammæanam licitum eſſe contendere, terram fodere qua avis mactatæ ſanguis obruatur; Hillelianam contra, non debuiſſe avem immolari niſi terra illa, qua ſanguis tegeretur, ante

ante feſtum præparata fuerit. Sed R. Jochanan, *permutatio*, inquit, *ſtructura eſt verborum*, nam Schola Hilleliana illicitum, Schammæana contra, carnes in fruſta concidi die feſto, licitum pronunciat.

מי אמרינן או דלמא. *Num affirmaremus* (hoc vel illud;) *aut forte? &c.*

Magiſtri, cui ſententiæ adſtipulentur dubii, hac formula uti ſolent.

Ita Abaje e Rabba quærit, an caro cadaveris, concreta ex corruptione polluere poſſit? an vero dicendum, ex traditione conſtare, ſolum cadaver hominis non autem animalis polluere? *An hoc affirmaremus*, *aut forte* nullum eſſe diſcrimen? Vid. נזיר *fol.* XL. *col.* 1.

מי לא (תניא). *Nonne* (traditum eſt?)

Gemarici, objectionem ſuam novo argumento vel conſtitutione adſtructuri, hac formula utuntur.

In חגיגה *f.* XX. *c.* 1. & 2. traditur, quibusdam feſti Pentecoſtes diebus, ſacrificia feſtiva immolare licere. Objicitur deinde, Scholam Hillelianam defendere ſacrificia, quod ſi Pentecoſte in Sabbathum incidiſſet, immolare nefas fuiſſe, id quod conſtitutione comprobaturi dicunt: *nonne* (traditum eſt) feſto Pentecoſtes ſacrificia immolare nefas fuiſſe? vid. זבחים VI. 2.

מי

מי לא עסקינן. *Annon diſceptamus?*

Congruit cum מי לא תניא niſi quod תניא traditionem, עסקינן autem tractationem ſignificet. Vid. שבת 11. 2.

מי איכא מידי ד׳. *An quicquam eſt, quod? &c.*

Quærunt hac formula, an rei minori aliquid attribuendum ſit, quod ne majori quidem attribuatur.

In זבחים *fol.* IX. *col.* I. docetur: reliquiis (ſacrificiis) agni Paſchalis ſub nomine תודה mactatis, æque ſimilaginem atque ipſi ſacrificio euchariſtico addendam fuiſſe. Hinc excipitur: *an quicquam eſt, quod* huic rei æquiparari poſſit; nam cum ipſi agno Paſchali non addatur ſimila, cur ad ejus reliquias, quæ toto agno utique ſunt inferiores, illa requireretur. Vid. חגיגה VI. 2. בכורות XXXII. 2. בבא קמא CVI. 2. חולין XXXIII. I. יבמות LXX 2.

Aliquando formula hæc ita occurrit.

מי איכא למאן דאמר והתניא. *An quicquam eſt juxta dicentem &c. utique traditio eſt* (quæ refragatur?) vid נזיר *fol.* III. *col.* 2.

מי הוה דחוי או לא הוה דחוי. *An hoc reticendum nec ne?*

Facilis eſt hujus formulæ ſenſus ex זבחים *fol.* XII. *col.* 2. ubi R. Jeremia rogat: quod

quod ſi quis ob comeſtum adipem, hoſtiam jam ſeparaſſet a grege, dein vero comperiſſet, Synedrium lege lata cunctis adipis eſum permiſiſſe, utrum tum fruſtra hoſtiam ſeparaſſet? Sin vero audiviſſet Synedrium mutato rurſus conſilio contraria lege priorem revocaſſe, quid tum ſit ſententiæ, *an hoſtia ante ſeparata rejecta ſit nec ne?* Conſ. זבחים XII. 2.

א' מידי דהוה. *Hoc ſe ut aliud habet.*

Occurrit hæc formula, cum quæſtio proponitur: quamobrem cæremoniæ ſibi aliquo modo ſimiles, non eandem ſemper habeant conſtitutionem? tum enim reſpondere ſolent: quia hæc cæremonia ſe ut aliæ quædam habeat, quæ quamvis inter ſe conveniant, non eadem tamen ubivis gaudeant conſtitutione.

In זבחים *f.* XIV. *c.* 2. quæritur, cur extraneo i. e. Iſraëlitæ ſacrificia, quæ in ara exteriori offeruntur, jugulare liceat, contra ſi jugulatio ſacrificiorum ad בדק הבית *ædis redintegrationem* pertinentium, facta per extraneum illegitima ſit? ſimiles enim hæ cæremoniæ ſibi quodammodo eſſent, merito ergo eandem haberent conſtitutionem, atque ita etiam priora ſacrificia a ſolo Sacerdote jugularentur. Sed reſpondetur: *hoc ſe habet ut aliud*, nimirum ut leproſorum viſita-

viſitatio, quæ quidem non eſt עבודה *miniſterii Sacerdotum* pars, qua Sacerdotes neceſſario defunguntur, tamen nonniſi à Sacerdote peracta, legitime fiebat; ita ſacrificia quoque pro בדק הבית oblata, a ſolo Sacerdote offerri rite poſſunt. Vid. חגיגה *fol.* XI. *col.* I. יבמות LXXXVIII. I. זבחים XXVII. I.

מכדי האי סתמא והאי סתמא מה לי חד סתמא ומה לי תרי סתמא. *Quandoquidem hac Miſchna abſolute* (ſine controverſia,) *& alia quoque abſolute* (proponitur,) *quid intereſt ſive una ſive binæ Miſchnajot abſolute ponantur*, i. e. cur uni, duæ Miſchnicæ conſtitutiones antecellunt?

Hæc loquendi formula ponitur in objectione, cum conſtitutio binis traditionibus, extra controverſiam poſitis aſſeritur: traditione, qua contrarium huic conſtitutioni demonſtrari poteſt neglecta; tum enim quærebatur, quare binis illis traditionibus major auctoritas atque uni illi tribuatur, neque contrarium potius doceatur?

Ita in קדושין *fol.* LIV. *col.* 2. Rabbi Meier ait: pecuniam qua decimæ ſecundæ redimuntur, ſacram eſſe; R. Juda contra hanc æque; atque cæteram quamcunque pecuniam profanam eſſe contendit. Objici-

O tur

tur traditio, qua docetur: quod ſi quis decimas ſecundas uno ſiclo redemtas accepiſſet, neque ſtatim pecuniam pependiſſet, & interea antequam ſolveret, decimarum illarum pretium ita creviſſet, ut binis ſiclis comparandæ eſſent, quæ paulo ante uno redimebantur; cum unum ſiclum pendere teneri, alterum vero lucrari; ex quo manifeſtum eſſe autumat, pecuniam pro decimis ſecundis datam profanam eſſe, cæteroquin lucrum exinde capere nefas fuiſſet. Reſpondetur autem illi, id una duntaxat Miſchna סתמא *ſive abſolute poſita* demonſtrari; cum contrarium ejus binis abſolute poſitis probetur. Sed formula ante allata objicitur: *quandoquidem hæc Miſchna abſolute, &c.*

מכדי הא והא מה לי (זה) מה (זה) לי (זה)

Quandoquidem hoc & illud (ſibi conveniunt) *cur mihi hoc æque atque aliud* (non conceſſum ſive prohibitum) *eſt.*

Quum res quædam alteri licita pronunciatur, alteri vero illicita, quæ eadem tamen fere eſſe videtur: tum quæritur hac formula: *quandoquidem utraque res lege eſt interdicta, quid cauſæ quod alteri licita, alteri vero illicita ſit?*

In חגיגה *fol.* x. *col.* 2. traditur: ſi quis lapi-

lapidem aut trabem ædificii conſecrati abſtuliſſet, ea non profanari, quod ſi autem ſocio tradidiſſet, omnino violari. Unde quæritur, *cum uterque res conſecratas in uſum ſuum converterit*, id quod lege interdictum eſt, *cur alter duntaxat eas profanare dicitur?* שבועות IV. 2.

מכדי תנא בסדר וכו׳ קאי מאי שנא דתני. *Poſtquam Doctor Miſchnicus hunc Tractatum abſolvit &c. quamobrem jam hunc tractat Codicem?*

Hac interrogatione Doctores Gemarici ſemper fere Gemaram ſuam exordiuntur, quotiescunque Codex Miſchnicus cum aliis Codicibus de eadem materia agentibus, non conjunctus eſſe videtur.

Ita in נזיר *fol.* 11. *col.* 1. rogatur: *quandoquidem Doctor Miſchnicus hactenus egit de* סדר נשים *conſtitutionibus ad mulieres pertinentibus, quamobrem iis relictis jam pergit ad Tractatum* נזיר *de Naziræis?* hic enim Codex locum inter קדשים *Tractatus de rebus ſacris agentes*, poſtularet.

Nonnunquam formula hæc ita ponitur.

מכדי תנא מה הוא סליק מאי שנא דתני וכו׳. *Quandoquidem Doctor Miſchnicus hoc abſolvit, cur hoc docet &c.?*

Vid. שבועות II. 2.

מלתא אגב אורחיה ק'מ'ל. *Rem aliquam ſecundum viam* (obiter) *nos docet.*

In קדושין *fol.* LXIX. *col.* I. obſervatur, decem familias e Babylonia in terram Canaan עלו *aſcendiſſe*, Sacerdotes nimirum Levitas &c. Unde quæritur: cur Doctor Gemaricus dicat aſcendiſſe eas, potius enim dicendum fuiſſet, familias haſce הלכו *profectas fuiſſe*, vel rediiſſe in terram Iſraëliticam. Sed reſpondetur: *Auctorem obiter nos docere*, Scripturam plerumque ad iter in terram Canaan ſignificandum, adhibere verbum עלה, quemadmodum *Deut.* XVII. 8. וקמת ועלית אל המקום אשר יבחר יהוה אלהיך בו. *Tunc ſurgens aſcendes ad locum, quem elegit Jehova Deus tuus*, nempe Hieroſolymam: quo indicatur templum urbe Hieroſolyma excelſius eſſe, Hieroſolymam terra Canaan, hancque cæteris omnibus regionibus. Vid. בבא בתרא XCVIII. 2.

מלתא דשכיחא גזרו רבנן. *De re ſæpiſſime occurrente decretum fecerunt.*

Quando quæritur: cur Rabbini de his non vero de aliis rebus ſanxerint? hac formula reſpondetur: de re ſæpiſſime, non vero rarius occurrente decretum fieri.

Ita in קדושין *fol.* XXVIII. *col.* 2. docetur: ſi homines quidam res rebus permu-

taſ-

taſſent, permutationem tum ratam eſſe, poſtquam alter rem permutatam accepit, id vero de pecoris non vero fructuum commutatione eſſe intelligendum. R. Jochanan rationem reddit, e lege manifeſtum eſſe, emtionem, venditionem, ratam fieri arrha data. Alii tamen contendunt ſi rem accepiſſet, pactum conventum eſſe. Additur denique, *quandoquidem res eſſent quotidie occurrentes*, ideo Doctores Gemaricos de his decretum feciſſe. Vid. יבמות LXXXV. I. 2.

ממאי דהדין דהוה וכו׳. *Unde probat* (hoc ita intelligendum eſſe)?

In נזיר *fol.* III. *col.* I. obſervatur, in Miſchna doceri, ſi quis dixiſſet הריני מסלסל *ecce circinnabo*, ſcilicet comam, illum Naziræum esſe, eique comam, radere non licere. Hinc interrogatur: *unde probat vocem* סלסול *præciſe capillos reſpicere?* Aliquando loco hujus formulæ uſurpatur,

מאי משמע דהאי. *Quomodo intelligendum eſt hoc ita ſe habere?*

Vid. חגיגה VIII. I. חולין XXVII. 2. ראש השנה XI. I.

ממאי ודלמא. *Unde* (conſtat hoc ita esſe) *& forte?*

 Vid.

Vid. וממאי דלמא in יומא *fol.* LVI. 2.
ממאי ד׳ דלמא in נזיר *fol.* v. 2.

Cum vero de Rabbinorum diſſenſu quærunt, hanc formulam adhibent:

ממאי דפלוני ופלוני ב׳ פליגי דלמא ב׳ פליגי. *Unde* (probat) *N. & N. de eo diſputare, forte hac in re diſſentiunt?* Vid. סוכה *fol.* III. *col.* I. Ac obſerva hanc dicendi formam convenire, cum וממאי דלמא, vid. literam ו.

מני מתניתין לא פלוני ולא פלוני. *Cum quo facit Miſchna? nec cum hoc nec cum illo.*

Ita quærunt, cum in Miſchna conſtitutio occurrit, quæ nullum Auctoris nomen præſcriptum habet.

In חולין *f.*XXV. *c.*2. tradunt, vinum ex uva paſſa, antequam coacuit, pecunia ex decimis ſecundis facta, emendum eſſe. Cum vero Auctor hujus conſtitutionis non memoretur, quæritur: quis ejus ſit auctor, hac formula: *cum quo facit Miſchna?* reſpondetur, *neque cum Rabbi Juda, neque cum aliis Doctoribus Gemaricis*, quoniam eorum placitis contrariatur.

Aliquando loco hujus formulæ uſurpatur.

מאן תנא להא דתנו רבנן. *Quinam eſt ille*

le Doctor, *cujus* hic mentio ſit, *Magiſtri utique tradunt.*

מתניתין דלא כפלוני. *Miſchna non eſt ſecundum N.*

Vid. עבודה זרה VI. 2. בכורות XII. I. תענית III. I.

Verum cum de traditione privati cujusdam Doctoris ſermo eſt, quæritur: כמאן אזלא הא דאמר פלוני *cum quo procedit* (tacit) *N. utique dicit?* Vid. סוכה *fol.* II. *col.* 2. Et aliquando ponitur.

מתניתין מני. *Cum quo facit Miſchna?*

Vid. יומא LIX. I. יבמות LXIV. 2. שבועות III. I.

Aliquando ſolum מני ponitur in eadem ſignificatione. Vid. שבת *fol.* IV. *col.* I.

מנלן אי לימא מהא. *Unde* (hæc habentur) *an dicendum hinc? &c.*

Hac formula utuntur, cum ipſi Doctores argumentum aliquod objiciunt, atque ita tacite adverſarii reſponſioni occurrunt.

Ita in סנהדרין XVII I. controvertitur: an Edad & Medad ad obitum uſque vaticinati ſint? Quæritur itaque: *unde id conſtat? an dicendum* quia *Num.* XI. *vſ.* 25. dicitur: ולא יספו *& non amplius vaticinati ſunt?* Vid. זבחים III. I. יומא LV. 2.

Aliquando מנלן jungitur דכתב *quia ſcriptum eſt*; aut etiam אמר קרא *Scriptura dicit:* quo reſponſio ſignificatur, qua ſententia vel conſtitutio aliqua probetur: vid. זבחים IV. I. חולין XLII. I. קדושין II. I.

מנא הני מילי. *Unde hæc confirmantur.*

Convenit cum מנלן. Vid. נטין LIX. 2.

מנלן מנלן כד׳ וכו. *Unde nobis conſtat? (Reſp. quæris) unde hoc conſtet? Reſpondeo inde &c.*

Quæritur hac formula, unde & quonam argumento ſententia quædam adſtruatur? & ſimul reſpondens verba quærentis repetendo, oſtendit unde probetur. Interdum vox מנלן non repetitur niſi cum additur: כדקאמר *ſecundum eum qui dicit.* Vid. זבחים LXXXIX. I.

In מגלה *fol.* II. *col.* I. habetur: מגלה *volumen legis* recitari undecimo anni menſe, aliquando menſe Adar, quandoque die 12. 13. 14. & 15. ejuſdem menſis. Jam quæritur: *unde id conſtat?* & reſpondetur: interrogas *unde id conſtet? reſpondeo: ex ſequentibus ſcilicet*, ubi docetur: Sapientes in ruſticorum gratiam id ita inſtituiſſe, ut, cum diebus Lunæ & Jovis in urbem venire ſolerent, varia obſonia venalia afferentes, eodem die ſimul lectioni Megillæ intereſſe poſſent. Ali-

Aliquando dicitur.

מניין מנין. *Unde (id nobis conſtat?)*

Vid. יבמות *fol.* LIV. 2. חולין XLII. I.

מנא ידעינן ד׳ דלמא. *Unde novimus hoc ita eſſe, forte aliter ſe habet?*

Dubitatur hac formula de veritate alicujus effati, an non res aliter ſe habere poſſit.

In נזיר *fol.* v. *col.* I. controvertitur de ſenſu *vſ.* 42. *cap.* XI. *Libri Judicum*, ubi dicitur: filias Iſraëlitarum quatuor diebus quotannis confabulatum iviſſe, cum filia Jephtæ. Ac quæritur, an non hæc verba hunc ſenſum ferre poſſent, filias Iſraëlitarum quovis tertio menſe ad filiam Jephtæ iviſſe? Sed reſpondetur: *Unde novimus hoc ita eſſe*, nimirum id quovis trimeſtri factum, *fortaſſis ſemel tantum in anno abierunt*, idque non definito tempore. Vid. נדה XVII. I.

מעשה לסתור. *An hiſtoriam* (exemplum) *in contrarium profertur?*

Ita loquuntur cum exemplum, quod ante allatam traditionem evertere videtur, profertur.

In ביצה *fol.* XXIV. *col.* I. In Miſchna traditur: quod ſi quis rete ante diem feſtum poſuiſſet, feras, volucres, aut piſces capturus, nefas fuiſſe capta inde animantia

 depro-

depromere, niſi certe compertum eſſet, prædam ante feſtum in rete incidiſſe. Deinde narratur, eveniſſe aliquando, ut ethnicus R. Gamalieli piſces die feſto adferret, qui adſtantibus dicebat: licet equidem piſces illos feſto die accipere, ſed ab illo homine accipere non placet. Unde rogatur: *nonne hoc exemplum in contrarium*, (ad evertendam priorem Miſchnam) *adfertur?* Vid. נזיר XI. 1.

מעלה עליהם הכתוב. *Scriptura hoc illis applicat.*

Convenit hæc formula cum עליו הכתוב אומר. Vid. ראש השנה IX. 1.

מר סבר ומר סבר. *Hic Dominus* (per excellentiam ita dictus) *ita*, *alter vero Dominus ita dicit.*

Cum bini Doctores Talmudici de materia aliqua diſputant, & Gemaricus aliam illorum diſſenſus eſſe originem arbitrabatur, hac formula, diſtincte de utriusque ſententia edocetur.

In קדושין *fol.* LVIII. *col.* 2. docetur: quod ſi quis טבל (i. e fruges, quarum decimæ nondum ſolutæ, ſed primitiæ duntaxat) proximi abſtuliſſet, eum pretium frugum pendere, hancque Rebbi eſſe ſententiam. Verum R. Joſæ filius R. Judæ autumat, hunc non niſi violationis pretium

ſol.

ſolvere, quia הוא מבטל ſanctitatem violaverit, decimas enim de eo ipſe dare teneretur. Gemaricus quiſpiam exiſtimavit aliam horum diſſenſus eſſe originem; ſed reſpondetur: hinc illorum diſſenſus derivandus eſt: an dona quorum decimæ nondum datæ ſunt, ſed duntaxat primitiæ, eodem gaudeant jure; atque dona, quorum decimæ ſunt ſolutæ? *Alter Dominus hoc affirmat, alter vero negat.* Vid. ערובין XLIV. 2.

Aliquando dicitur:

מר מקיש ומר לא מקיש. *Dominus hanc facit comparationem, alter vero non facit.*

Vid. בבא בתרא CXVIII. 2.

משבשתא. *Perplexa hæc eſt ſententia, traditio.*

Cum teſtimonium aliquod ex traditione exotica falſa adducitur, aut confuſa; hac dictione teſtimonium illud Doctores Gemarici rejicere ſolent.

Ita in חולין *fol.* CXLI. *col.* 1. & 2. R. Juda docet, neminem ob legem negativam violatam, quæ e lege affirmativa deducitur, verberibus multari. Objicitur, audi quæſo! in traditione exotica R. Juda ſtatuit, furem & prædonem quoque vapulare; manifeſtum adeoque eſt R. Judam defendere, violationem legis negativæ ex affir-

affirmativa deductæ verberibus puniri. R. Zera regerit: nonne vobis dixi, *quamlibet traditionem exoticam*, in ſcholis R. Achiæ & R. Oſchajæ *perplexam*, adeoque argumentum inde ſumptum nullum eſſe.

משום (מפני) דאיכא למיפרך. *Quia hoc infringi poteſt.*

Hac locutione ratio datur, quare objectio quædam locum habere nequeat, infringeretur enim hac vel illa ratione &c.

In Codice זבחים *fol.* IV. *col.* I. interrogatur: cur ſacrificiorum mactatio, ſanguinis exceptio, adductio ad altare, & adſperſio, ſinguli ſacrificandi actus, diſtinctis Scripturæ teſtimoniis probentur, eos ſub ſuo peragendos fuiſſe nomine; ſiquidem ſufficeret ſi mactatio ſola e Scriptura demonſtraretur, de reliquis ſacrificandi partibus idem inde colligi poſſet. Sed reſpondetur ideo hoc fieri, *quia alias infringi* (excipi) *poſſet*; reliquas immolandi partes cum ſparſione ſanguinis ad altare, haud poſſe comparari, quia זר *extraneus*, i. e. Iſraëlita, ſi ſanguinem ad altaris cornua ſparſiſſet, capite plecteretur, id quod in cæteris ſacrificandi partibus jugulatione, &c. tamen non obtineret, ideo ſingulas Scripturæ teſtimonio probandas fuisſe, vid. בכורות XXXII. I.

משמעות

משמעות דורשין איכא בינייהו. *Senſus diverſi interpretum ſunt, de hoc loco, de quibus hi diſputant.*

Occurrit hæc formula, cum duo Doctores conſtitutionem quidem eandem amplectuntur, ſed eam diverſis teſtimoniis probant: tum quando quæritur, in quanam re diſputent, cum ambo eidem conſtitutioni ſubſcribant? reſpondetur: *ſenſus diverſi, &c.* i. e. eos in diverſa duntaxat abire, quonam teſtimonio omnium optime hic conſtitutio probetur.

In בבא מציעא *fol.* XXVII. *col.* I. tradunt Rabbini, verbis *Deut.* XXII. *vſ.* 3. אשר תאבד (rem amiſſam fratris reddendam eſſe) excludi amiſſam rem vilem, quia jacturæ nomen non mereatur. R. Juda autem aſſerit, hoc voce l. c. ומצאתה *ſi inveneris illud* excipi, quia res vilis amiſſa, libera minor jactura appellari nequeat. Inde quæritur, cum ambo conſentiant, rem vilem non eſſe reddendam, qua de re diſceptent? & Abaje reſpondet: *ſenſus diverſi interpretum &c.* tantum in eo diverſum ſentiunt, quo verbo illa conſtitutio probetur.

מתקיף ליה פלוני. *Interrogavit eum* (objiciendo).

Hac formula indicatur, propoſuiſſe ali-

quem

quem objectionem, quæ ratione aliqua probabili Doctoris Gemarici, non vero Miſchna ſive traditione exotica nitatur. Nonnunquam objectionem ſignificat, quam Doctor Talmudicus ſibi ipſi formavit, vid. סוכה *fol.* III. *col.* I. יומא XLI. 2. יבמות LXV. I. LXXI. 2. שבת IV. I.

מתיבי. *Objiciunt*, *impugnant*.

Obſervandum eſt, hac dictione ſignificari objectionem, a Gemarico e Miſchna aut traditione exotica formatam. Gemarico enim non licet propria auctoritate contra Doctorem Miſchnicum pugnare, quemadmodum ſub voce אמורא obſervavi.

In תענית *fol.* XII. *col.* I. Rabh Chiſta ſtatuit omnem jejunii diem, quo non usque poſt ſolis occaſum jejunatum ſit, id nominis non mereri. Cui *objiciunt* ex Miſchna: אנשי משמר *viri cuſtodiæ*, ſive Sacerdotes certæ ephemeriæ jejunium obſervaſſe dicuntur, quamvis id poſt occaſum ſolis non obſervaverint. Vid. סנהדרין *fol.* IV. I. בבא מציעא XXIII. 2. בבא קמא VII. 2. סוכה *fol.* II. *col.* 2. & IV. 2.

מתיב פלוני לסיוע פלוני. *N. objicit ut ſuccurrat alteri.*

Cum duo Doctores de aliqua ſententia diſceptant, & alter argumentum objicit, quo

quo tertii cujusdam ſententia corroboratur, ille qui hoc innuere vult, his verbis utitur.

In זבחים *fol.* x. *col.* 1. Rabbi Jochanan perhibet, ſi quis animal ea intentione jugulet, ut ejus ſanguinem in Idoli honorem ſpargere, adipemque immolare velit, lege cautum eſſe, ne ejusmodi animal alicujus uſui cederet; quandoquidem in rebus ſacris etiam prava intentio miniſteria illegitima reddat, & deciſio rerum profanarum a ſanctis petatur. Riſch Lakiſch vero contrarium mavult, & cum R. Jeremia aliquid in R. Jochananis gratiam τῷ Riſch Lakiſch objeciſſet, dicitur: *R. Jeremia objecit ut alteri ſuccurreret.*

מתניתין הלא כפלוני דתניא. *Miſchna ex N. ſententia minime eſt, nam alia eſt traditio.*

Hac locutione oſtenditur: Miſchnam, alicujus Doctoris conſtitutionem minime probare, (quamvis vulgo id putetur) nam alio modo Miſchnam inſtituere.

In נזיר *fol.* 111. *col.* 2. Miſchna habetur: ſi quis Naziræatus unam tantum partem voveat, ei cæteras omnes Naziræatus partes eſſe obſervandas. In Gemara præterea notatur, *Miſchnam hanc non eſſe ſecundum R. Simeonem*, qui ejusmodi conſtitutionum ple-

pleruṁque Auctor eſt, *nam aliam traditionem haberi*, quæ doceat, ex R. Simeonis ſententia, neminem Naziræum eſſe, niſi qui omnes Naziræatus partes ſe ſuſcepturum voviſſet.

מתניתין דלא כי האי תנא דתניא. *Miſchna non ſecundum hunc Doctorem eſt, nam traditur.*

Vid. נזיר IX. 2.

נ.

נאמר כ׳ ונאמר כ׳. (*Idem*) *de hoc & illo dicitur.*

Hac formula utuntur Doctores Talmudici, argumentum aliquod a phraſi ſimili vel eadem petentes. Nam quoties eadem vox diverſis in locis occurrit, idem ſemper ſignificare arbitrantur.

In יבמות *fol.* XLVI. *col.* I. R. Eliezer quærit: unde conſtet, agnum Paſchalem etiam poſt exitum ex Ægypto pecunia profana, haud vero ea quæ ex decimis ſecundis facta eſt, emendum fuiſſe? Cui reſpondetur, quia in lege de agno Paſchali in Ægypto mactando vox פסח adhibetur, quæ de agno quoque Paſchali ſequentium temporum, uſurparetur. Quemadmodum itaque agnus Paſchalis in Ægypto mactatus pecu-

pecunia profana, quia decimæ ſecundæ nondum obtinebant, fuerit emtus; ita quoque ſubſequentibus temporibus eadem pecunia emere licuiſſe: (Idem) *de hoc & illo dicitur.* Vid. יומא *fol.* LV. I.

Interdum ita occurrit;

נאמר כאן ונאמר להלן. (Idem) *hic & illic dicitur.*

Vid. זבחים LXXXIII. I. תענית VIII. I. 2. ראש השנה V. 2.

Aliquoties etiam abſolute ponitur.

נאמר ונאמר.

Vid. תענית *fol.* II. בבא קמא VI. 2. יבמות LXX. I.

נדון דבר מתוך דבר נלמד דבר מתוך דבר. *Res a re deducitur, & res a re docetur.*

Hac formula ſignificatur, comparationem rerum, aut rituum aliquorum inſtitui.

In זבחים *fol.* LVII *col.* I. Rebbi ait: Sacrificia ſalutaria cum primitivis comparanda eſſe: quemadmodum enim ſacrificia ſalutaria non offerantur pro expiatione impetranda, ſic neque primitiva; *ritum ideoque ſacrificiorum ſalutarium a primitivis deduci & doceri:* nimirum quemadmodum Sacerdotibus ſacrificia primitiva, ita ſalutaria quoque, intra bidui uniusque noctis

ſpatium comedere, integrum eſſe.

נהגו העם כפלוני. *Suevit populus ſequi ſententiam* & *N.*

Hac formula ſignificatur, ſententiam aliquam eſſe communiorem, & vulgus plerumque eam ſequi.

In תענית *fol.* XXVI. *col.* 2. R. Meier aſſerere dicitur: benedictionem Sacerdotalem, populo impertiri die expiationis, in precibus matutinis ſupererogatoriis; in ſerto & obſeratoriis (i. e. quibus preces omnes finiuntur.) Verum R. Juda mavult Sacerdotes duntaxat in precationibus matutinis & מוסף *ſupererogatoriis* benedicere. Unde R. Jochanan hanc communiorem eſſe ſententiam ſignificaturus, addit: *Suevit populus* ita facere.

נהי נמי. *Sit quoque ita.*

Conceditur his verbis aliquid reſpondenti, utpote quo nihil argumento opponentis decedat.

In חולין *fol.* XXVIII. *col.* I. aſſeritur, aves cultro jugulatas pro cadavere cenſeri, quia lex eas nonniſi ungue ſecari juſſerit. Opponit ſe huic ſententiæ Doctor Gemaricus, conſtitutionem objiciendo qua ſancitum eſt: ſi Sacerdos avem non ungue ſed cultro ſecuiſſet, ejus qui ea veſceretur, veſtimenta ſolum inquinari; quia pro

cada-

cadavere haberetur; ſectio enim ungue fuiſſet peragenda. Addit denique, quamvis igitur dicatur, lege interdictum eſſe aves cultro jugulare: *Sit quoque ita*; mea tamen firma ſtat ſententia, non haberi ejusmodi avem pro cadavere, etiamſi cultro juguletur, ſed tantum pro מריפה *diſcerpto*.

נימא כפלוני כוותיה *An dicendum ſecundum N. ſecundum eum?*

Convenit cum לימא quod vide ſub ל. Conf. תענית *fol.* 111. *col.* 1.

נימא איהו לנפשיה. *Sibi ipſi hoc dicat* (objiciat, reſpondeat).

Notatur hac formula, objectionem ipſi opponenti eſſe contrariam.

In פסחים *fol.* 11. *col.* 2. R. Eliezer filius Jacobi affirmat, quarta & decima die menſis Niſan omne opus interdictum eſſe lege, quæ incipit: משעת האור R. Juda autem phraſi hac ſignificari mavult, matutinum tempus, quo Sol primos radios diffundit. Cui R. Eliezer objicit quæſtionem: an ullibi lex exſtat, qua certa diei pars definiatur, qua opus aliquod fieri licitum ſit, quod altera ejuſdem diei parte illicitum eſſet? quia enim ipſe ſtatueret משעת האור *tempus matutinum ſignificare*, an non inde ſequeretur אור cujus in Miſchna mentio fit, præcedentem denotare veſperam.

ram. Reſpondetur minime: ſed hoc de aurora intelligendum eſt. Objicit, porro R. Eliezer: ſi ita eſt, *ſibi ipſi hoc dicat* (ipſe ſibi hoc dubium formet) an ullibi exſtet de certa diei parte, qua ſola opus aliquod fieri liceret, cum altera diei parte illicitum foret.

גמנו ונכרו. *Suffragia dederunt ſententiam pronuntiantes.*

His verbis docent, controverſiam aliquam Doctorum ſuffragiis eſſe deciſam.

Ita in קדושין *fol.* LIII. *col.* I. R. Juda tradit, ſponſalia Sacerdotis rata eſſe, ſimul atque Sacerdos ſponſæ ſuæ aliquid de rebus ſacris ſive minus ſanctis, ſive ſanctiſſimis dediſſet. Contrarium autem R. Joſe defendit. Docet præterea R. Jochanan, utrumque ſententiam ſuam demonſtrare ex eodem Scripturæ loco, nimirum *Num.* XVIII. 9. זה יהיה לך מקדשי קדשים כן האש. *Hoc tuum eſto e rebus ſanctiſſimis* ſervabitis *ab igne.* Et R. Judam quidem voculam לך *tuum eſto*, explicare, *in omnem tuum uſum convertes*; adeoque & matrimonio ineundo inſervire ea poſſe; R. Joſen vero argumentum ex voce האש petere, hoc modo: quod quemadmodum ignis res ſacras abſumeret, ita Sacerdoti

quo-

quoque ex rebus ſacris nullum, niſi eas conſumendi uſum, capere licere. Sed R. Jochanan hanc de re profert Doctorum deciſionem, *ſuffragia dederunt*, *& hanc ſententiam pronuntiarunt*, non licere Sacerdotibus res ſacras ad firmanda ſponſalia adhibere.

Aliquando dicitur.

נמנו ורבו. *Suffragati ſunt & auxerunt.*

Vid. שבת xvi. 2.

נעשה כמו האומר. *Faciamus, rem ita conſideremus, ac ſi diceret.*

His verbis relatio aliqua rei innuitur.

In בבא קמא *fol.* cii. *col.* 2. traditur, etiamſi paterfamilias omnia ſua devoviſſet veſtimenta, tamen uxoris & liberorum ſub iis non comprehendi: nam quamvis & hæc ad Patremfamilias pertineant, *conſiderari tamen*, ut uxori liberisque propria. Vid. בבא מציעא *fol.* xxxiv. 1.

נפקא ליה. *Inde hauſit.*

Indigitatur hoc loquendi modo fons & locus, unde aliquis Doctor ſententiam ſuam deſumſerit.

In סנהדרין *fol.* lxxxv. 2. quæritur, unde conſtet, hominem, qui vel patri vel matri maledixerit ſeorſim, lapidibus eſſe obruendum? *Lev.* xx. *vſ.* 9. enim tantum edici: *Quicunque maledixerit patri ſuo & matri ſuæ*, ſimul ſcilicet, *morte plectitor*,

non vero qui vel ſoli patri, vel matri maledixiſſet. Reſpondetur: id loco citato probari, quia laudato loco ſeorſim dicatur: אמו קלל אביו קלל. & hanc quidem R. Joſuæ eſſe ſententiam Sed R. Jonathan hunc locum ambiguum eſſe putat, parentes nimirum hic indicari, non vero patrem aut matrem ſeorſim, quia perinde eſſet acſi vox יחדיו *ſimul* eſſet appoſita. Tandem indicatur unde hæc ſententia ſit depromta, hac formula: *inde hauſit*, nimirum ex *Exod.* xxi. *vſ.* 17. ubi edicitur: *qui maledixit patri ſuo aut matri ſuæ* מות יומת moriendo morietur, vid. ראש השנה *fol.* v. *col* 1. קדושין xli. 2.

נפק דק ואשכח. *Abiit, diligenter rimatus eſt, & invenit.*

Hæc forma adhibetur, cum Doctor Gemaricus, qui quia traditionis exoticæ ignarus, ſententiam aliquam non intellexit, deinde vero omni ad indagandum induſtria adhibita, rectum ejus ſenſum invenit.

In חגיגה xix. 1. Rabba e Rabh Nachman quærit, cum dicatur: ſi quis poſtquam ſe laviſſet, mox tamen fœdius ſe contaminaſſet, perinde eſſe ac ſi plane non lotus fuiſſet; an igitur hic ſit ſenſus: lotionem hanc conſiderari, acſi plane non eſſet lotus.

lotus? Reſpondet Rabh Nachman, minime gentium! verum hæc eſt Auctorum mens, prævia hac lotione nemini licere decimis veſci, quamvis res profanas comedere integrum ſit. Hanc reſponſionem Rabba, initio quidem nihili fecit, ſed ubi accuratius inquiſiviſſet, tandem conſtitutionem reperit, ſententiæ huic patrocinantem. Additur enim: *Abiit, diligenter rimatus eſt, & invenit.*

נקטינן. *More receptum eſt apud nos.*

Hoc verbo indicatur ritum aliquem non traditione orali niti, ſed conſuetudine & uſu duntaxat receptum eſſe.

In מכות *fol.* xi. 2. Abaje aſſerit, *more receptum fuiſſe*, ut oſſa ejus, qui aliquem forte & invite interfeciſſet, & in itinere ad aſyla confugiens obiiſſet, ad aſyla deportata, ibi terræ mandarentur.

ס.

סבר לה כפלוני דאמר. *Conjicit hoc ad inſtar N. dicentis, &c.*

Hac locutione reſpondetur, Doctorem aliquem in ſententia, de qua ſermo eſt, alium Doctorem ſequi.

Ita in כריתות xcii. 2. *Doctor primus Miſchna* תנא קמא aſſerit, ſi aliquis Sab-

 bathο

batho non opus aliquod ſuſcepiſſet, ſibi uſui ceſſurum, illudque non ſucceſſiſſet, eum violati Sabbathi reum non eſſe. Contrarium autem R. Zadok defendit. Quæritur igitur, quonam argumento Doctor primus Miſchnæ nitatur? & reſpondetur: *eum ſequi R. Simeonis ſententiam aſſerentis*, eum qui Sabbatho ſine intentione opus aliquod facit, pœna liberum eſſe. Vid. תענית II. 2. בבא קמא V. I. חולין XIII. 2. נזיר IX. I.

Interdum formula hæc ita occurrit.

סבר לה כפלוני דתנן. *Statuit hoc ad inſtar N. nam tradunt.*

Vid. יומא VIII. 2.

סבר לה כוותיה בחדא ופליג עליה בחדא. *Facit cum eo ex parte, ex parte vero ab eo diſſentit.*

In נזיר *fol.* VIII. 2. Rebbi aſſerit, ubi quis dicit, Naziræus ero ſecundum numerum dierum anni, eum ad tot Naziræatus triginta dierum ſuſcipiendos obſtrictum eſſe, quot annus dies habeat. Huic ſententiæ R. Juda partim aſſentitur, *facit eum eo ex parte*, nimirum quod Naziræus ſit ad terminum vitæ, *ex parte vero ab eo diſſentit*: quod quovis trigeſimo die peculiarem Naziræatum ſuſcipere teneatur.

Convenit cum priori ſequens:

סבר

סבר בחדא ופליג בחדא. *Sententiam partim amplectitur partim repudiat.*

Vid. כריתות LXXXVIII. I.

סברוה הך והך חדא מלתא היא מאן תנא. *Opinantur hoc & illud unum idemque eſſe, quinam vero ejus eſt Auctor?*

In תענית *fol.* IV. *col.* I. dicitur Miſchnicus putaſſe in Miſchna idem eſſe, שואלין את הגשמים *petunt pluviam*, & מזכירין את הגשמים *mentionem injiciunt pluviæ*, & quæritur, quinam ejus Miſchnæ ſit auctor, quæ doceat מזכירין *mentionem fieri* in precibus, pluviæ imminente autumno?

סח לי. *Enarravit mihi.*

In סנהדרין *fol.* LXXXVIII. *col.* I. Rabh Kana obſervat זקן ממרא *ſenem rebellem*, qui traditione aliqua nixus, ſe Syndrio conſtitutionem pro auctoritate ferenti opponit, capite plectendum eſſe. Contra R. Joſua tria, inquit, *mihi* Segnire Hieroſolymitanus *enarravit*, nimirum marito licere ob crimen uxorem condemnare, parenti, filium immorigerum; & Synedrio ſenem repugnantem. Sapientes tamen partem meridionalem inhabitantes, poſtremum non conceſſiſſe feruntur: cœteroquin in Synedrio, impune ſeditio concitaretur. vid. מנחות XXXIX. I.

סוף סוף. *Tandem.*

Uſurpatur in objectione, ubi ratio minus recta, conſtitutionis alicujus redditur.

In סנהדרין *fol.* XVII. *col.* I. quæritur: unde conſtet, Synedrium minus ex 23 judicibus conſtitiſſe? reſpondetur: ex *Num.* XXXIV. 25. ושפטו העדה והצילו העדה *jus dicens cœtus, ſic eripiet.* Jam cum bis hic העדה *cœtus* mentio fiat, cœtus autem quisque decem fuerit hominum, numerum vigeſimum confici: his vero tres adhuc fuiſſe addendos, evinci ex *Exod.* XXIII. *vſ.* 2. לא תהיה אחרי רבים לרעות *ne ſequaris plures ad mala*, i. e. ne accedas ſententiæ plurium damnantium; exinde patere, ſequendum eſſe alios in bonum, i. e. eos qui morte abſolvunt. Cur autem ibidem additur: אחרי רבים לרעות *ne ſequaris plures ad malum?* reſpondetur, bonum, i. e. ſententiam abſolventem pronuntiari vel uno ſuffragio abſolvente præponderante, malum contra ſeu ſententiam condemnantem ferre nefas eſſe, niſi duobus ſuffragiis præponderantibus; cum igitur hic tria vota requirantur, patere vicenis tres adhuc in judicio fuisſe addendos, ut numerus 23. emergeret. Objicitur: *Tandem*, id ejus, quod 23 adesſe debuerint judi-

judices, ratio eſſe non poteſt: quamvis enim totidem ſint, ſententia tamen condemnans, binis ſuffragiis prævalentibus non invenietur. Nam ſi undecim abſolvant, duodecim contra condemnent, uno ſuffragio ſuperabuntur; ſi autem decem abſolvant, tredecim morti addicentibus, hi tribus ſuffragiis vincent. Hæc igitur genuina ejus rei ratio eſſe non poteſt.

סיפא לרישא מדרש. *Finis Miſchnæ* (Scripturæ dicti) *proponitur ad ejus initium explicandum.*

Hoc loquendi modo indicatur, ideo Scripturæ teſtimonium inverſo ordine exponi, ut poſteriora prioribus lucem fœnerentur. In ברכות *fol.* LXIII. *col.* I. Rabba ſtatuit Pſalmi CXIX. c. 126. ita exponendum eſſe עת לעשות ל״ה הפרו תורתך *tempus eſt ut faciat Jehova; irritam faciunt legem tuam* הפרו תורתך משום עת לעשות ל״ה *evertunt legem tuam idcirco tempus eſt, ut Jehova faciat*; eoque ſignificari: quod aliquando legem divinam negligere liceat, dummodo id fiat in gloriam Dei, quemadmodum Elias in monte Carmel ſacrificia obtulit, quæ alias tantum in templo offerre licitum erat.

סלקא דעתיך אמינא. *Putares dicendum eſſe, verum &c.*

Vid.

Vid. ראש השנה *fol.* I. *col.* 2. & VI. I.

סמי מכאן. *Dele hinc.*

Cum opponens ſuæ ſententiæ corroborandæ gratia teſtimonium perperam adduxit, ille, qui id repudiat, hac phraſi utitur.

In זבחים LVI. I. docetur, Sacerdotes non præciſe ex regione oſtii Sancti Sanctorum, ſacra comediſſe. Objicitur huic ſententiæ traditio, qua aſſeritur R. Joſen filium R. Judæ docuiſſe, in conclavi octo cubitos alto, in quo Sacerdotes veſtes permutabant, duo fuiſſe oſtiola, unde Sanctum Sanctorum proſpici potuerat, in toto atrio itaque, ſanctiſſima edi & minus Sancta mactari potuiſſe Sed Rabbina regerit *dele hinc* vocem אכילה, nam in toto atrio ſanctiſſima edi non potuerunt. Vid. מנחות LXXIII. 2.

סמוכין. *Connexa ſunt.*

Voce hac ratio datur, cur Codices Miſchnici, vel Scripturæ capita aut commata ſibi juncta ſint.

In ברכות *fol.* X. *col.* I. quæritur: cur Pſalmus tertius, qui ſcriptus in fuga Davidis, cum fugeret Abſolonem, ſequatur Pſalmum ſecundum, qui de Gog & Magog

gog vaticinatur: reſpondetur hoſce Pſalmos *connexos* eſſe, ut ſi quis interrogaret an ſervus contra Dominum ſeditionem concitare poſſet? reſponderetur, cum filius in patrem inſurgat, quidni in Dominum ſervi? vid. מועד קטן *fol.* XXIII. I. ברכות LXIII. I.

ספק דאורייתא. *Dubium lege interdictum* (ſpectat).

Quando aliquis animi dubius eſt, an peccatum lege divina prohibitum commiſerit, ideoque in reatu ſit, id his verbis indicant.

In כתובות *fol.* XV. *col.* I. traditur, eum qui ranas inter quas vermes quoque reperent attigiſſet, pollui; quod ſi igitur quis cum jam præteriiſſet, animi hæreret, utrum ranam, an vero vermem attigerit, eum pro polluto cenſeri, *quod de re dubia lege vetita* dubitet.

ספק ספיקא. *Duplex dubitatio.*

Hæc formula cum præcedente fere convenit, hoc obſervato diſcrimine, quod dubitationem non de uno ſed duplici caſu ſignificet: e. c. ſi quis tranſiens alicubi ranas & reptilia offendiſſet, inter ſe promiſcue reptantes, ita ut ambigere poſſet, an hæc attigiſſet? deinde ſi attigiſſet, utrum ranas an vermes. Eſt ergo *duplex dubi-*

dubitatio, quamobrem etiam non impurus cenſetur. Vid. כתובות xiv. 1.

סתמא דמתניתא ומחלוקת בברייתא מאי. *Cum Miſchna abſolute* (ſine controverſia) *proponitur, de illa autem in Beraita* (traditione exotica) *controvertitur, quid tum eſt ſententiæ?*

In יבמות *fol.* xlii. *col.* 2. R. Abahu ex R. Nachman quærit, quid ſentiendum ſit de ritu, de quo ante quidem diſceptatum, poſtea autem omnibus ſuffragiis conventum eſt? reſpondetur: deciſionem eſſe quemadmodum controverſia mota eſt. Præterea quærunt, quod ſi vero de conſtitutione ante omnium ſuffragiis lata controvertatur, quid tunc agendum? reſpondetur: tum conſtitutio non סתם *abſolute* ſed cum limitatione decreta eſt. Tandem quæritur: *quod ſi vero de conſtitutione in Miſchna ſimpliciter propoſita, in traditione exotica controverſia moveatur, quid tum ſit ſententiæ?* Reſpondetur: conſtitutionem סתם *abſolute* poſitam obſervari.

סתימתאין. *Abſoluti* (Doctores Miſchnici).

Hac dictione indicant, Celeberrimos Doctores Miſchnicos R. Eliezerum filium R. Simeonis, R. Akivam, R. Menahem, &c. quorum multæ traditiones in Miſch-

na & traditione exotica occurrunt.

In חולין *fol.* xxx. *col.* 1. traditio recenſetur, qua edicitur duobus non licere idem animal, neque uni duo animalia ſimul mactare: quod nititur *Deut.* XII. *vſ.* 5. ubi dicitur תזבח i. e. *unus mactato*; non autem duo: & *Lev.* XIX. *vſ.* 5. תזבחוהו *jugulabitis illud* animal, in ſingulari non vero duo ſimul animalia. Cumque huic traditioni, nomen auctoris non ſit propoſitum; Rabba filius Bar Chanæ nomine R. Jochananiæ addit, Miſchnam hanc R. Eliezeri filio, aliiſque *Abſolutis Doctoribus* acceptam eſſe ferendam.

ע.

עד כאן לא קאמר פלוני אלא. *Eousque N. non diſputans pervenit verum, &c.*

Eſt reſponſio qua præcedens quæſtio: an diſſenſus (de quo ibi ſermo) cum alia controverſia conferri queat rejicitur? Negatur enim hac formula, hucusque diſputantes perveniſſe, vel de hac controverſia plane non diſputari aſſeritur.

In זבחים *fol.* CXX. *col.* 1. controvertitur, quod ſi holocauſtum in במת יחיד *excelſo privati* mactatum, poſt vero intra mœnia in במת הצבור *excelſo totius cœtus* dedu-

deductum, indeque rurſus abductum fuiſſet, utrum dicendum, quoniam intra mœnia excelſi totius cœtus adductum fuerat, ita eſſe offerendum, quemadmodum victimæ ſoleant, quæ in excelſo totius cœtus offeruntur, an vero eo modo, quo ſacrificia in exelſo privati offerenda? Quæritur deinde, an hæc diſputatio conferri queat, cum controverſia Rabbæ & R Joſephi diſputantium, an ſacrificia ad partem borealem altaris holocauſtorum jugulanda, in plaga meridionali mactata, poſt vero ab altari prorſus remota ei imponi rurſus queant? Sed reſpondetur: *huc uſque non pervenerunt diſputantes &c.* neque his controverſiis ulla intercedit affinitas, nam hic de altari, ibi vero de excelſo privato vel publico ſermo eſt. Vid. זבחים VII. I. חולין LVII. 2. & LXXIII. I. בבא מציעא XXXVIII. 2. נזיר LIII. I. סוכה III. 2.

Nonnunquam dicitur.

עד כאן לא פליגי על' דפלוני. *Eo uſque diſputatio eorum ſe non extendit, verum N. &c.*

Vid. נדה VIII. 2.

Interdum hoc modo.

עד כאן לא פליגי אלא. *Qua formula eandem, cum antecedenti habet ſignificationem.*

Vid. יומא LIX. 2. קדושין XLVII. 2.

עדיף

עדיף מיניה. *Melior eſt.*

Hac voce in Gemara præſtantia alicujus rei, vel conſtitutionis præ altera exprimitur. In כתובות *fol.* XII. 2. Rabh Jehuda Rabh Hunna, Rabh Nachman & Rabh Jochanan digladiantur: ſi quis dicenti, centum florenos mihi debes, reſpondiſſet: de eo dubito; an ille debitum ſolvere teneatur? Rabh Nachman & Jochanan hæc negant, cum teſtimoniis evidenter comprobari nequeat, alterum debere. Rabh Hunna & Jehuda contra affirmant, debitum hocce eſſe ſolvendum, quia ille alius certe novit, ſe pecuniam alteri dediſſe, qui id quoque ſimpliciter non eſſet inficiatus, ſed tantummodo ſe dubitare reſpondiſſet. Quæritur denique, nonne a Gemaricis eſt receptum, *rem certam dubia* meliorem eſſe? Vid. יבמות LXXXII. 1.

עיקר קרא. *Fundamentum* (præcipuum) *Scripturæ.*

Quando in Gemara ex eodem Scripturæ teſtimonio diverſa demonſtrantur; & quæritur, an eodem dicto plures ritus probare liceat? tum hac formula reſpondetur: *fundamentum Scripturæ eſſe*, vel Scripturam primario quidem alterum tantum ritum probare, alterum vero non niſi ſecundario.

In זבחים *f.* XI. 2. R. Simeon *Lev.* VI. 10. קודש קדשים הוא כחטאת וכאשם probare contendit, primo oblationem pro peccato, ſacrificio piaculari comparari poſſe, & Mincham ſpontaneam ſacrificio pro delicto; quemadmodum vero alius referebat, R. Simeon his verbis etiam adſtruxit, quod ſi oblationem manu ad altare offerre quis vellet, id faciendum fuiſſe ſacrificii piacularis inſtar, ſi vero vaſi injeciſſet, eum manu quoque ſiniſtra in oblatione, uti potuiſſe, quemadmodum in ſacrificio pro delicto. Unde quæritur, an R. Simeoni liceat ex eodem loco diverſa deducere? & *R. Scripturæ fundamentum* vel *præcipue Scripturam*, priorem quidem ritum demonſtrare, poſteriorem autem a R. Simeone e voce הוא deduci. Vid. סנהדרין *fol.* 11. *col.* 2.

עליו הכתוב אומר. *De illo Scriptura loquitur.*

Hac locutione Scripturæ locus aliquis certo caſui applicatur.

In חולין *fol* XLIV. *col.* 2. Mar Sotra nomine Rabh Chiſtæ ait: qui ſtudio Legis & Talmudis ſtrenue operam navans, ex ſingulari pietate aliquid de eo quod ad ſe pertinet, טריפה *morticinum* pronunciat, de quo alii adhuc dubitarent, *is demum eſt*, *de*

de quo Scriptura loquitur Pſ. cxxviii. *vſ.* 2. *Labore manuum tuarum frueris.*

ערב פרשיות. *Confuſio Sectionum eſt.*

Hac formula indicatur, ſectiones quaſdam Sacræ Scripturæ inter ſe eſſe permixtas, ita ut quædam commata ex una in aliam ſectionem tranſlata ſint.

In זבחים *fol.* cvii. *col.* 1. legitur in Schola R. Iſmaëlis traditum eſſe, *Lev.* xvi. *vſ.* 8. *Confuſionem ſectionum eſſe:* ואליהם תאמר præfixo vav ſignificari, comma hoc ad præcedentem Sectionem pertinere, ut conjungatur: jugulantem & ſacrificantem victimam extra Tabernaculum, pœnæ reum eſſe. Vid. סנהדרין 11. 2.

עשה דוחה לא תעשה. *Præceptum affirmativum, pellit præceptum negativum.*

Quum duo ritus obſervari jubentur, quorum alter præcepto affirmativo, alter negativo ſancitur: illum, qui præcepto affirmativo nititur duntaxat obſervari, hac formula innuitur, eo enim negativum tolli.

In שבת *fol.* cxxxii. *col.* 2. traditio habetur præcepto affirmativo *Deut.* xxxv *vſ.* 6. prohiberi lepram exſcindi, quod ſi vero in præputio circumcidendo lepra deprehenderetur, eam abſcindendam eſſe cum præputio, quia circumciſio lege affirmativa præ-

cipiatur; quæ legem negativam pellat, vid. מנחות xl. i. יבמות lxxxiv. i.

פ.

פוק תני לברא. *Abi & foris id diſce.*

Exprobratur hoc modo alicui, eum falſam conſtitutionem protuliſſe.

In ביצה *fol.* xii. *col.* 2. Doctor quidam junior præſente R. Jochanane traditionem adfert, qua edicitur eum, qui nervum femoris cum lacte die feſto coctum comediſſet, quinquies flagris cædi: primo, quia die feſto coxiſſet fruſtra, cum non liceat die feſto coctum comedere, ſecundo quod nervum femoris, idque tertio cum lacte coxiſſet, quarto comediſſet, quinto die feſto ignem accendiſſet. Hanc traditionem ut falſam R. Iochanan repudians, (licet namque die feſto ignem accendere & coquere) *abi*, inquit, *& foris id diſce.* Vid. סנהדרין lxii. i.

פוק תרגמא ליה. *Abi & illis expone.*

Oſtenditur hac formula, Scripturæ locum, vel ſententiam aliquam falſo eſſe explicatam, atque ita rejici.

In סנהדרין *fol.* lxxxvii. i. Rabh Hunna filius Chaninæ aſſerit, *Deut.* xvii. 8. de ejusmodi præcepto ſermonem eſſe, cujus neglectus quemlibet exciſione dignum reddat,

dat, qui ſciens volensque illud neglexiſſet, ſin vero imprudenter id commiſſum fuiſſet, ſacrificio piaculari expiari poſſit. Quam explicationem Rabh Papa ut falſam rejiciens; *abi*, inquit, *& illis expone*, nimirum loco citato non de privato, ſed Synedrii Præſide duntaxat agi.

Quandoque formula hæc ita ponitur: פוק תני להו. *Abi & illos doce.*

Vid. ראש השנה *fol.* xxx. *col.* 2. Vel פוק עין בה. *Abi & in id inquire.*

Vid. יבמות LXI. 2.

פלוני מתני להא דפלוני אהא. *N. accepit traditionem N. hoc de caſu.*

Quando conſtitutio minus conveniens profertur, ideoque ab alio corrigitur, hæc formula uſurpatur.

In תענית *fol.* VI. *col.* I. Rabh Chiſta ait, conſtitutionem, qua traditur privatos non jejunare ob pluviam impetrandam, ante menſem Ceſlebh, (qui cum Novembri noſtro convenit) a R. Joſe eſſe. Verum Amemar ita corrigit verba Chiſtæ: tertio nimirum die menſis Marcheſchvan, qui noſtro Octobri reſpondet propter pluviam preces fundi; & ſecundum R. Gamalielem ſeptimo die menſis, atque R. Chiſta hanc conſtitutionem ait, eſſe ſecundum R. Gamalielem.

פלוני בשטת פלוני אמרה. *N. ſecundum ſeriem ſententiæ N. hoc dixit.*

Convenit cum לדבריו דפלוני קאמר quam vid. ſub ל conf. זבחים cx. 2.

פלוני סבר משום ופ' סבר משום. *N. ob hanc, N. vero aliam ob cauſam ita ſtatuit.*

Congruit cum מר סבר ומר סבר de qua formula vide lit. ס. & בבא קמא VI. 2. VII. I. נזיר X. 2.

פסוקין שאין להם הכרע. *Commata quæ non determinata ſunt.*

Ita dicuntur quædam Scripturæ loca, de quorum verbis non liquet, utrum cum antecedentibus, an vero cum ſequentibus ſint conjungenda.

In יומא *fol.* LII. I. Iſſe filius Judæ id de aliquot commatibus Pentateuchi obſervaſſe dicitur, ſcilicet *Gen.* IV. *vſ.* 7. de voce שאת. *Exod.* XXV. *vſ.* 34. משקדים *Exod.* XVII. 9. מחר *Gen.* XLIX. *vſ.* 7. ארור *Deut.* XXXI. 16. וקם.

פשיטא. *Certum eſt.*

Confirmationis cauſa hæc vox adducitur, & id quidem plerumque in reſponſione.

In חגיגה *fol.* XXV. *col.* 2. aſſeritur; Idiotis non credi etiamſi affirmaverint, ſe oblationem ſeparatorum fructuum vaſaque in quibus offeruntur, pura ſervaſſe; ideoque cum

eum oblationem hanc Sacerdoti tradunt, illam coram Sacerdote e vaſe depromere juberi. Id porro confirmatur hac formula: *hoc certum eſt;* ſi enim non veroſimile eſſet, idiotas, puram ſervaſſe oblationem, an illis crederetur quod vaſa non contaminaverint? Vid. סנהדרין *fol.* XVII. I. בבא קמא VIII. 2. נזיר VIII. 2.

צ.

צא ולמד. *Abi*, *&* (per ejuſmodi argumentum) *id diſce.*

Utuntur hac phraſi, verba Scripturæ expoſituri, cum argumentum aliquod à *συναφεία* textus petunt.

In סנהדרין *fol.* LXXXVI. I. aſſeritur, præceptum octavum Decalogi ita intelligendum eſſe: ne furator, ſcilicet homines & *Lev.* XIX. *vſ.* II. תגנובו *ne furamini*, pecuniæ furtum interdicere, & ſi quis contrarium aſſeveret, reſponderi: *Abi & diſce* e quatuordecim Scripturam explicandi regulis, atque invenies connexionis quoque rationem eſſe habendam. Jam cum præceptum octavum legibus de ipſis hominibus agentibus jungatur, merito hic furtum hominis intelligi. Vid. סוכה V. I.

צריכי דאי תנא ואי תנא אבל ק״מל. *Ne-*

ceſſe eſt, nam ſi hoc vel illud ſolum traditum eſſet, diceram, verum ſi non ita eſſet, &c. idcirco docet.

צריכי דאי כתב רחמנא וכו' אכר' וכו' איּמא לא ואי כתב וכו'. *Neceſſe eſt, nam ſi Scriptura notaret, ſolum hoc vel illud dicerem, verum ſi ita eſſet non dicerem &c. & ſi notaſſet &c.*

Vid. יבמות LIV. 2.

ק.

קאמינא אנא משנה שלימה. *Dico hoc e Miſchna abſolute* (ſine controverſia) *intellecta, eſſe affirmandum.*

Quando Doctor Gemaricus ſententiam ſuam, non univerſali Talmudicorum effato, ſed ſingulari duntaxat traditione, de qua non controvertitur probat, tum hæc verba dicit: *Dico hoc &c.*

In זבחים *fol.* v. *col.* I. Riſch Lakiſch rogat: unde conſtat ſacrificium pro delicto non ſub ſuo nomine jugulatum ſacrificari poſſe, quia poſt offerentium mortem offerri nequit? Reſp. hoc inde demonſtrari quia R. Eliezer dicit: אף האשם *etiam ſacrificium pro delicto*, non ſub ſuo jugulatum nomine, ſacrificari poſſe, ſacrificii piacularis & agni Paſchalis ad inſtar. Hoc vero

ro in R. Eliezeris traditione, non omnium calculum ferente excipitur: *dico*, inquam, *e Miſchna abſolute* (de qua non diſceptatur) *eſt affirmandum*.

קאמרינן. (Ita) *dicimus*.

Convenit cum אנן הכי קאמרינן quam vide ſub א conf. זבחים IV. I.

קא סכינא חריפא מפסקא קראי. *An cultro acuto Scripturæ locus diſſecatur?*

Cum Doctor Gemaricus locum Scripturæ dividit & quædam interſerit, id ei hac formula exprobratur.

In מנחות *fol.* LXXIV. *col.* I. traditur: מנחת חוטא *munus à Sacerdotibus ob peccata propria commiſſa oblatum*, קמיצה *pugillatione* prius ſeparata & oblata, non offerri, ut alias oblationes, ſed in cineres altaris effundi. Id quod Abaje demonſtrat ex *Lev.* VI. *vſ.* 16. כל מנחת כהן כליל תהיה לא תאכל. Hinc probat, reliquias oblationis Sacerdotis pro peccato ſuo, non comedendas esſe; נדבה *ſpontaneam oblationem* vero Sacerdotis, igne plane fuiſſe conſumendam; ita ut oblationes pro peccato & votiva in eo conveniant, quod utraque non comedantur, in oblatione vero differant; illas enim in cineres fundi, tota hæc autem comburi. Additur

ditur denique, *an cultro acuto locus* ergo dividitur & quædam interponuntur.

קא סלקא דעתך. *Tibi in mentem veniret.*

Occurritur his verbis objectioni, quam aliquis contra ſententiam prolatam formare potuiſſet, *tibi in mentem &c. ſed &c.*

In תענית *fol.* XIV. *col.* 1. quæritur: quandoquidem in Miſchna docetur, poſteriores ſeptem jejunandi dies, ſex prioribus ſanctiores eſſe, quia tum tabernæ clauduntur & ſonus editur, quo pacto ſonus ille edatur? R. Jehuda buccina putat, contra R. Juda filius R. Samuelis precatione, quæ incipit עננו & in ספר תפלות p. 24. 2. reperitur: ac elata voce fiebat. Denique ſibi ipſi objicit: *tibi in mentem veniret*, vel diceres, qui preces עננו elata voce fundit, nonne inflat tubam? &c. Vid. יבמות LXVIII. 1.

קבל מיניה או לא. *An ab illo aſſumſit necne?*

Quæritur hac formula, an alter datam ab altero reſponſionem ad ſuam objectionem, admittat?

In נזיר *fol.* XLIV. *col.* 2. R. Akiva Naziræum pollutum radendum esſe docet, & aqua luſtrandum, tertio inſuper & ſeptimo die cinere eum esſe adſpergendum, tan-

tandem ſeptimo die tondendum, dieque octava ejus ſacrificium offerendum eſſe. Sin vero octava die raſus esſet, eodem ſimul die victimam offerendam fuisſe. Hinc R. Tarphon ex R. Akiva quærit, quid igitur eſt diſcriminis inter Naziræum & leproſum? hic enim ſeptimo quoque die radi, & octavo ſacrificium offerre poterat. Cui R. Akiva reſpondet, nihil inter esſe diſcriminis, quantum ad ſacrificiorum oblationem pertineat, inter leproſum & Naziræum, niſi quod Naziræi purgatio a Naziræatus diebus, leproſi autem a raſura æſtimetur. Quæritur ergo an hac reſponſione contentus ſit R. Tarphon, *an aſſumſit* ab illo reſponſionem?

קסבר. *Statuit.*

Hac formula indicatur, objectionem teſtimonio ambiguo nixam, aliam habere ſignificationem.

In זבחים *fol.* CXVI. *col.* I. Eliezer & R. Joſe Chanina digladiantur, alter *ſtatuit*, Noachidas holocauſta non vero ſacrificia ſalutaria obtuliſſe, alter verò utraque ab illis oblata eſſe contendit. Objicitur ei qui *ſtatuit*, ſacrificia ſalutaria ante legem latam a Noachidis non eſſe oblata, hoc adverſari *Exod.* XVIII. *vſ.* 12. ubi Jethro holocauſta & זבחים i. e. *ſacrificia ſalutaria* obtu-

obtuliſſe legatur. Reſp. id poſt legis lationem eveniſſe. Objicitur: reſponſio hæc admitti poteſt ab eo qui *ſtatuit* Jethronem poſt legem latam proſelytum factum eſſe, minime vero ab eo qui *ſtatuit* Jethronem ante promulgatum Decalogum proſelytum factum esſe, manet igitur prius dubium. Cui tandem reſpondetur: qui *ſtatuit* Iethronem ante legem ad Moſen venisſe, is quoque Noachidas ſacrificia ſalutaria ante legem obtulisſe *ſtatuit*, vid. תענית *fol.* xı. ı. יומא lı. ı.

קרא בססכתא בעלמא. *Scriptura vero vulgari ratione ei applicatur.*

Quando cæremonia quædam in Miſchna aut Beraita traditur, cujus obſcura duntaxat veſtigia in Scriptura exſtant, & vix inde deduci poteſt, id his verbis innuitur.

In חגיגה *fol.* ıv. *col.* ı. traditur, *Exod.* xxııı. 17. verbis כל זכורך ſignificari liberos, qui jam ejus ætatis ſunt, ut literis operam dare poſſint, præcepto coram Domino in feſtis ſolennibus comparendi teneri. Excipitur autem, id Magiſtrorum esſe commentum, idque e Scriptura deduci non posſe, *cum Exod.* xxııı. 17. *vulgari ratione ei applicetur*, i. e. inani conſequentia id inde deducatur. Vid. סוכה vı. ı.

קרי

קרי ביה. *Hoc ita lege.*

Volunt his verbis Gemarici vocem aliquam aliter atque in Scriptura vel Talmude exſtat, legendam eſſe.

In סנהדרין *fol.* LXXXIX. *col.* I. traditur: Prophetam a Deo morte puniri, qui non promulgaret prophetiam, aut qui Prophetæ verba cavillaretur: aut etiam ſi Propheta flagitium prophetia ſua prohibitum ipſe committeret; quia *Deut.* XVIII. *vſ.* 19. diceretur הָאִישׁ אֲשֶׁר לֹא יִשְׁמַע *quicunque non auſcultaverit.* Hoc autem aliter legendum cenſent, hac formula: *hoc ita lege*, nimirum אֲשֶׁר לֹא יַשְׁמִיעַ qui aliis non indicaverit &c. Vid. חגיגה *f.* III. *c.* I.

קרא אשכח ודרש. *Locum invenit quem interpretatur.*

Hac formula reſpondetur: Doctorem aliquem, cujus ſententiæ Scripturæ locus objiciebatur, alium locum inveniſſe, quem in ſuam ſententiam interpretari poſſet.

In חגיגה *fol.* XV. *col.* 2. R. Meier dicitur inſtitutione R. Acher, i. e. Eliſæ filii Abajæ uſus eſſe, qui atheiſmi accuſatur. Hinc quæritur: quo jure id facere potuerit, cum *Malach.* II. *vſ.* 7. labia Sacerdotis non vero athei, jubeantur ſcientiam obſervare. Reſpondetur: *R. Meir locum invenit, quem ita interpretabatur*, in ſuam ſen-

ſententiam, quod quemcunque ſapientem adire liceat: nimirum *Prov.* XXII. *vſ.* 17. הט אזנך ושמע דברי חכמים. *Inclina aurem tuam, & auſculta verbis ſapientum,* vid. בבא בתרא xc. 1.

קשיא. *Difficultas.*

Hac voce denotatur objectio, quam Gemara non ſolvit; & fere convenit cum תיקו de quo infra ſub ת, hoc ſaltem obſervato diſcrimine, quod illa ſolvi adhuc poſſit, hæc vero ſit inſolubilis.

In מועד קטן *fol.* 11. *col.* 2 Rabba aſſerere legitur; Sabbatho zizania in agro evellere, aut aqua fruges irrigare, interdictum eſſe; quia perinde eſſet, ac ſi aliquis araſſet. R. Joſeph autem idem, inquit, eſt ac ſi aliquis ſeviſſet, ideoque id ob utrumque non ob alterutrum tantum prohibendum eſſe. Si dicas, eum qui bina præcepta negativa negligit, unius tantum pœnam ſubire, hoc admitti non poteſt, Rabh enim Kana tradit, eum qui Sabbatho arbores cædit lignoque cæſo utitur, duplex committere peccatum; igitur duplici quoque pœna afficiendum eſſe. Ad hoc tantum reſpondetur: קשיא *difficultas eſt!* Vid. יבמות XCII. 1.

קשיא זה אוה קשיא זה אוה. *Hoc æque atque aliud difficultatem parit.*

In

In תענית *fol.* III. *col.* 2. docetur: Hebræorum Doctores neminem cogere, ut ob pluviam aut ventum impetrandum preces fundat, ſed ſi ſponte quis ideo precari velit,id licere;quia iræ divinæ documentum non ſit, etiamſi ventus aut pluvia non contingat. Verum Rabh Joſeph locum *Deut.*XI. 17. objicit. ועצר את השמים. (Accenſus ira Jehova) *in vos claudit cælos*, i.e. ventum non emittit, ולא יהי׳ מטר *ut non ſit pluvia*, inde patere aſſerit: *Hoc aque atque aliud difficultatem parere*, & dici poſſe ob iram divinam regioni alicui non contingere ventum atque pluviam, vid. זבחים LXXXVIII. 2.

קשו קרא אהדדי. *Scriptura dicta ſibi opponi poſſunt.*

Concedunt his verbis Gemarici, Scripturam ſibi apparenter adverſari poſſe.

In הגיגה *fol.* XII. *col.* 1. Schammeani aſſerunt, prius cœlum quam terram eſſe creatam, quia *Gen.* I. *vſ.*1. dicatur: בראשית ברא אלקים את השמים ואת הארץ. *In principio creavit Deus cælum & terram.* Hilleliani contra defendunt terram p ius quam cœlum eſſe creatam, freti *Gen.* II. *vſ.*9. ביום עשות ה׳ אלקים ארץ ושמים

ושמים *eo die quo Jehova fecit terram & cœlum.* Ideoque in Gemara ſequitur: *Hæc loca ſibi invicem opponi poſſunt.* Vid. סוכה II. I.

קתני וכו׳ מנא הני מילי. *Traditur, &c. unde hoc probatur?*

Hac locutione Doctor Gemaricus verba Miſchnæ repetens quærit: quonam fundamento, traditio de qua ſermo eſt, nitatur?

In נזיר *fol.* LXI. *col.* I. dicitur: gentibus non licere Naziræatum vovere, quod a Gemaricis ita repetitur: in Miſchna *traditur: unde hoc probatur* gentibus non licere &c.

ר.

(אין) ראי הדבר זכר לדבר. *Hæc non tam probatio, quam quidem recordatio rei eſt.*

Utuntur Doctores hac forma dum Scripturæ locum citant, non ad conſtitutionem aliquam demonſtrandam, ſed eam duntaxat in memoriam revocandam.

In שבת *fol.* CXXXIV. 2. docetur: infantem tertio poſt circumciſionem die lavandum eſſe, etiamſi ille dies in Sabbathum incideret, quia tum infans maximo dolore afficeretur. Ita enim *Gen.* XXXIV. *vſ.* 25. Sichemitæ dicuntur, tertio die in dolore

dolore fuiſſe, & additur: quamvis hic locus non probet, circumciſos tertio die lavandos eſſe, *facere tamen poteſt ad illam conſtitutionem in memoriam revocandam.*

רבותא. *Novum* (extraordinarium) *quid.*

In חגיגה *fol.* XXIV. *col.* 2. Abaje dicit, manum contaminatam, etiamſi arida ſit, aliam non ita polluere poſſe, ut res ſanctæ ab illa inquinari poſſint. Unde dicitur, id forte hoc de caſu intelligendum eſt, ſi eo momento, quo manus pura res ſacras tangit, ab impura manu non tangatur; ita enim *hæc conſtitutio extraordinaria eſt*, nam quamvis illo in caſu non polluat, id hic tamen facit.

רבי לא שנאה ר׳ חייא מנא ליה. *Si hoc non tradidit Ribbi, unde id Rabbi Chia ejus diſcipulus haberet?*

Obſervandum, Ribbi, ſive Rabbenu hakkadoſch illam Talmudis partem quæ Miſchna vocatur; Rabbi Chiam vero Baraitam compilaſſe. Hinc quoties conſtitutio quædam in Baraita alio modo recenſetur, atque in Miſchna exſtat, tum ita quærunt.

In יבמות *fol.* XLII. *col.* 2. quæritur: quotieſcunque in Miſchna conſtitutio quædam controverſa reperitur, quæ in Baraita סתם *abſolute*, id eſt ſine ulla contro-

verſia proponitur, quid tum ſit ſententiæ? & reſpondetur: nunquam id evenire poſſe, nam ſi *Ribbi hanc conſtitutionem in Miſchna non abſolute proponit, quo jure Rabbi Chia*, qui eam e Miſchna hauſit, סתם *ſimpliciter proponere poſſet?* Vid. נדרה *fol.* LXII. 2.

רישא פלוני וסיפא פלוני. *An initium* (Miſchnæ) *ſecundum N. finis vero ſecundum N. eſt?*

Hæc formula adhibetur, cum in Miſchna traditio quædam reperitur, cui Auctoris nomen non eſt appoſitum, & Miſchnæ exordium ex alius ſententia eſſe videtur, atque finis ejuſdem.

In חגיגה *fol.* XIX. *col.* 2. de Miſchnæ initio diſputatur, qua docetur: ei qui manus lavat ante cibum profanum captum, profana quidem, haud vero decimas ſecundas attingere licere. Obſervatur deinde, initium hujus Miſchnæ ex eorum Rabbinorum ſententia eſſe, qui ſtatuunt inter res profanas, & decimas diſcrimen eſſe: contra ex Miſchnæ fine manifeſtum eſſe inter res profanas & decimas nullam eſſe differentiam; quæ R. Meieri eſt ſententia. Unde quæritur: *an Miſchnæ exordium ex Rabbinorum, finis autem ex R. Meieri ſentia ſit?*

Ali-

Aliquando dicitur.

רישא וסיפא פלוני ומציעתא פלוני. *Initium & finis* (traditionis) *eſt ſecundum N. medium vero ſecundum N.*

Vid. ראש השנה *fol.* VII. *col.* 2.

רמי אהדדי ושני לה. *Sibi* (ea) *objecit, ac ſimul conciliavit.*

Quando opponens objectionem, quam ipſe propoſuerat, ipſe quoque ſolvit, tum hæc formula adhibetur.

In זבחים *fol.* II. *col.* 2. docetur, libellum repudii סתם *abſolute*, i. e. ſine ullius uxoris nomine ſcriptum, illegitimum eſſe, ut uxor eo repudietur. Objicitur: cum ſacrificia, ſub ſuo nomine jugulata, comparari libello repudii poſſint, in quo nomen mulieris dimittendæ expreſſum eſt, & utraque ſint legitima, nonne igitur ſacrificia סתם *abſolute* mactata, convenire deberent libello repudii abſolute quoque ſcripto? *Opponens ſibi autem ipſi dubium ſolvit*; fieri id non poſſe, quia ſacrificium eo fine ſeparetur ut ſacrificetur, etiamſi ergo abſolute offeratur, ſemper tamen ut ſacrificium conſiderari, cum contra uxor non eo fine nubat, ut à marito repudietur.

רמי פלוני אפלוני ורמי פלוני אפלוני. *Hunc N.* τῷ *N.* (ſibi ipſi) *& hunc N.* τῷ *N. ſibi ipſi oppoſuit.*

 Con-

Convenit cum קשיא פלוני אפלוני. *Quæſtio hæc eſt inter N. & N.* Vid. חולין cxxxix. 1. שבועות xix. 2.

ר' פלוני תנא הוא ופליג. *Rabbi N. Doctor Miſchnicus eſt, & diſſentit.*

Obſervandum: non licere Gemarico ſententiam Gemarici Miſchnæ opponere, id autem omnino Doctori Miſchnico integrum eſſe.

In בבא מציעא *fol. v. col.* 1. Rabbi Chia perhibet: ſi quis ſocium de centum florenis appellasſet, quos ille negaret, teſtes autem eum accepisſe affirmarent, eum quinquaginta florenos debere, reliquos vero quinquaginta florenos, juramento non probandos esſe; ſin vero ſe ex parte obæratum ipſe confesſus esſet, reliquam debiti partem jure jurando indicandam esſe, ſi autem teſtes ea de re teſtimonium dedisſent, jusjurandum omitti. Objicitur, in Miſchna contra tradi: etiamſi teſtes quoque ea de re teſtati esſent, tamen eum ad jusjurandum obligatum esſe: Reſp. Visne R. Chiæ opponere Miſchnam, cui alter: cur non? *Is utique Doctor Miſchnicus eſt, qui a Miſchna diſſentit.*

ש.

שאני התם. *Ibi res ſe alio modo habet.*

Negatur hac formula, phraſin, quamvis eadem ſit, idem ibidem ſignificare.

In פסחים *fol.* V. I. & III. 2. traditur, diem quartum decimum menſis Niſan *Exod.* XII. *vſ.* 18. ראשון ſive *diem feſtum antecedentem*, vocari. Unde quæritur: utrum voce ראשון *Lev.* XXIII. *vſ.* 40. ubi de Tabernaculorum ſolemnitate uſurpatur, idem denotet quod priori loco, nimirum die feſtum antecedente, ſolemnitatem ibi deſcriptam fuiſſe obſervandam? Sed reſpondetur: *ibi rem ſe alio modo habere.* Vid. יומא XLII. *col.* I.

Aliquando ita ponitur.

שאני הכא. *Hic alia eſt ratio.*

Vid. זבחים *fol.* XII. I. ראש השנה VII. 2.

Aliquando etiam.

שאני הואיל. *Res alio modo ſe habet, quamvis &c.*

Vid. נזיר *fol.* VII. I.

שאין תמלוד לומר וכו׳ מה תלמוד לומר. *Quandoquidem non* (neceſſe eſt) *doctrinam hanc tradere, (hanc vocem addere,) quare igitur eam tradit?*

Quæritur hoc loquendi modo, cur vox quædam Scripturæ, quæ ſupervacanea eſſe videtur, denuo repetatur?

In זבחים *fol.* LVII. *col.* 1. 2. docetur: animalia primitiva edere licere, intra biduum & noctem, ad inſtar armi pectorisque victimarum ſalutarium. Hanc ſententiam evertendam eſſe ratus R. Akiva objicit: primitiva æquiparanda potius eſſe armo & pectori ſacrificii euchariſtici, nimirum veſcendum eſſe primitivis, quemadmodum ſacrificio euchariſtico intra νυχθήμερον. Sed Reſp. quia *Num.* XVIII. 18. dicitur: ובשרם יהיה לך כחזה התנופה, וכשוק הימין לך יהיה non לך ubi vocula neceſſario adponitur, quia in antecedentibus jam exſtat, quod hac indicatur formula: *Quandoquidem non neceſſe eſt hanc vocem repetere, ecquid igitur denuo ſibi vult quod vox* לך *repetatur?* Reſp. eo ſignificari, idem tempus veſcendi, animantibus primitivis eſſe deſtinatum, atque ſacrificio euchariſtico, vid. יומא LV. 1.

שלחו מתם. *Inde* (e terra Iſraelitica) *miſerunt.*

Sciendum eſt, Hebræorum Magiſtros in Babylonia profitentes, ubi de aliqua ſententia lis mota eſſet, quam ipſi com-

ponere

ponere non poſſent, nuntio miſſo Doctorum terræ Iſraëliticæ ſententiam rogaſſe; de ejusmodi igitur conſtitutione à Doctoribus Iſraëliticis ſancita, dicitur: *inde miſerunt.*

Ita in חולין *fol.* LIX. *col.* 2. Doctores Iſraëlitici, Babylonicis conſtitutionem miſiſſe dicuntur: ubicunque R. Samuel cum aliis diſceptet, ſemper conſtitutionem ex mente Samuelis eſſe. Conf. בבא בתרא xc. 2.

שמע מינה שתהא. *Hinc* (inde audi) *ſequitur, ita eſſe debere.*

Hanc formulam adhibent, ubi Scripturæ locum adduxerunt, quo ſententiam ſuam probent, *inde*, inquiunt, (ex illo loco) *ſequitur, ita eſſe debere*, ſecundum noſtram ſententiam.

In זבחים *fol.* IV. *col.* 1. quæſtio proponitur, unde conſtet, ſacrificia ſub ſuo nomine eſſe jugulanda? Reſp. quia *Lev.* III. 1. legitur זבח שלמים inde ſequi, ſacrificia ſalutaria ſub nomine ſuo eſſe mactanda. Vid. גטין LXIII. *col.* 1.

שמע מינה תלת. *Diſce hinc tria.*

In קדושין *fol.* XLVI. 1. traditur: ſi quis dactylos tenens, virgini ſive viduæ dixiſſet: deſponſata mihi eſto, per hos & quidem per hoſce (ne dubio locus ſit) dactylos,

eorumque unus ſi obolo dignus eſſet, ſponſalia rata cenſeri. Verum R. Amme ita id intelligendum eſſe putat, ſi dactylorum ultimus eſſet obolo dignus: atque ex hac R. Ammæ ſententia tria elici poſſe affirmatur hac formula: *diſce hinc tria*: primo ſi quis alicui quid mutuum dediſſet, deinceps vero eo ſibi mulierem deſpondere voluiſſet, deſponſationem hanc nullam eſſe. Secundo: ſi quis puellam aut viduam re mutua aſſumpta deſponſurus, obolum de ſuo addidiſſet; tum oboli illius præcipue rationem haberi. Tertio: ſi quis deſpondere ſibi voluerit eo quo deſpondere nefas, ſponſam id reddere debere.

שניהם מקרא אחד דרשו. *Ambo hi* (ex uno) *Scripturæ loco, ſententiam ſuam demonſtrant.*

In זבחים cxiii. 1. R. Jochanan & Riſch Lakiſch acerrime diſputant, an diluvium terram Canaan inundaverit? altero affirmativam ſententiam, negativam altero defendente. Addit R. Nachman Iſaacides, *ambos ſententiam ſuam, uno eodemque loco Scripturæ probare*, nimirum *Ezech.* xxii. *vſ.* 24. בן אדם אמר לה את ארץ לא מטהרה היא לא גשמה ביום זעם: quem locum autem alter interrogative, alter

alter ſimpliciter exponit. Vid. יומא LX. I. & LXI. I. ראש השנה VIII. I & X. 2.

שפיר קאמר ליה פלוני לפלוני. *Egregie N. adverſus N. argumentatur.*

Hoc elogio ornatur Doctor, qui docto argumento objectionem refellit.

Sic in תענית *fol.* II. *col.* 2. R. Joſua aſſerit: preces ob pluviam impetrandam, non primo ſed ultimo feſti Tabernaculorum die fundi; hac de cauſa, quia pluvia, ſi primo feſti die contingat, pro iræ divinæ argumento habeatur. R. Eliezer contra tradit: preces prima fuſas fuiſſe die, ideo nimirum, non quod ut ſtatim accideret rogarint, ſed ejus duntaxat mentionem injicerent. Id quod omnium optime reſurrectionis exemplo illuſtraretur, quamvis enim reſurgendi tempus nondum inſtet, tamen ut ſuo tempore corpora reſurgant, Deum rogare ſoleremus; eodem modo mentionem primo die in precibus factam eſſe pluviæ, ut tempore opportuno terram recrearet. Quæ ſententia laudatur, *egregie R. Eliezer adverſus R. Joſuam argumentatur.* Vid. יומא *fol.* LI. *col.* 2.

שקולין הן. *Hæc paria ſunt.*

Modo hoc loquendi in Gemara ſignificatur,

 catur,

catur, ſententiam aliquam in utramque partem ventilari poſſe.

In זבחים *fol.* IV. *col.* 2. aliquis in R. Iſmaëlis Schola, argumento a minori ad majus dixiſſe fertur, jugulationem tantum & aſperſionem ſub ſuo fieri debere nomine, non vero ſanguinis exceptionem & deductionem ad altare. Deinde vero contrarium adſtruxit hoc modo: jugulationem & exceptionem non vero aſperſionem & deductionem fuisſe ſub ſuo nomine peragendas, id cum problematicum ſit, additur: *ſunt hac paria.* Vid. בבא קמא III. 1.

שומע אני תלמוד לומר. (Inde) *idcirco Scriptura docet.*

Convenit cum.

ויכול תלמוד לומר.

Vid. זבחים LXXXIII. 2.

ת.

תא אימא לך מילתא מעלייתא. *Adeſdum, verba tibi faciam de pulchris rebus.*

Hac formula alios excitant, de rebus jucundis aut magni momenti verba facturi.

In חגיגה *fol.* XIV. *col.* 1. Samuel Chiam filium

filium Rabbi alloquitur: *adeſdum verba tibi faciam de jucundis rebus*, de quibus pater tuus narrare ſolebat, videlicet e flumine Dinur angelos miniſtrantes Deumque laudantes quotidie creari, ſed finito cantico rurſus evaneſcere, idque elici, ex *Thren. cap.* III. *vſ.* 23. *Miſerationes ejus novæ ſunt ſingulis matutinis, ampliſſima fides tua.*

תא שמע. *Veni & audi.*

Occurrit hic dicendi modus in Gemara æque in objectione ac reſponſione, cum aliquid, ad quod alter attendere debet, proferre volunt, nunquam autem in Miſchna vel Baraita.

In תענית *fol.* XII. *col.* I. Rabh Chiſta docet jejunium ante ſolis occaſum finitum jejunii nomen non mereri. Objicitur: *veni & audi:* R. Eleazer filius Zadoki refert. Memini, nono die menſis (Julii), populo indictum eſſe jejunium, quod quia in Sabbathum incidebat, in poſterum Sabbathi diem differebatur, & ante exactum diem finiebatur. Vid. יומא *fol.* L. *col.* 2. תענית VI. I. בבא בתרא V. I. גיטין II. 2.

תיובתא. *Concuſſio.*

Hac dictione ſignificatur, ſententiam aliquam dubiam, ſæpe etiam conſtitutionem

nem unam alteri adverſam eſſe.

In תמורה *fol.* cvii. *col.* 2. Abaje ſtatuere dicitur, neminem ob violationem præcepti negativi, quod ab affirmativo deducitur, verberibus multari. Porro traditur: ſi impurum conſecretur, quinque præcepta negativa violari, ideoque transgreſſorem vapulare. Hæ conſtitutiones igitur cum ſibi adverſari videantur, indicare id volunt hac voce: *eſt concuſſio*, vel hic quæſtio eſt, quæ R. Abajæ objici poſſit.

Aliquando ita occurrit.

תיובתא דפלוני תיובתא. *Concuſſio eſt ſecundum N. alia concuſſio.*

Vid. סוכה *fol.* iv. *col.* 2.

Interrogative autem ita: לימא תיהוי תיובתא. *An dicendum concuſſionem eſſe?* Vid. שבת viii. 2.

ת״יקו.

Hæc vox nihil proprie ſignificat, Symbolice tamen quæſtionem tam difficilem indicat, ut confitentibus nonnullis Rabbinis, nonniſi ab Elia tandem ſit ſolvenda: unde quidam per compendium ſcribendi idem eſſe volunt, quod תשבי יתרץ קושיות ובעיות *Elias Thisbita objectiones & quæſtiones dubias enodabit.*

In זבחים *fol.* ix. *col.* 2. Rabba quærit: quod ſi חטאת חלב *hoſtia piacularis ob*

adipis eſum ſub nomine חטאת טומאה מקדש וקדשיו immoletur, an legitima ſit? quia utraque afferatur ab ejusmodi qui erravit in præcepto negativo, quod peccantem pœna כרת dignum reddat? & reſpondetur: תיקו i. e. *quæſtionem hanc ſolvi non poſſe.*

תיפשוט מיהא. *Hinc collige, reſponde.*

Quando de auctore alicujus ſententiæ quæſtio eſt, tum Gemariſci hac formula quærunt, cur non ex hac vel illa ſententia hujus auctor colligatur?

In בכורות *f.* XXXVII. *c.* I. Miſchna hæc recenſetur: animal primogenitum, cui oculus effosſus, pes anterior abſciſſus, poſterior vero fractus, mactari non licere, quamvis id triumviri Synagogæ permittant. Rabbi Joſe addit, etiamſi Senatus minor 23. virorum illis accederent, tamen ejusmodi animal mactare nefas eſſe, niſi מומחה i. e. ille cui a Synedrio vitiorum ſacrificii explorandorum data eſt poteſtas, id permittat. Rabh Knanael nomine Rabh, conſtitutionem vult ex R. Joſæ ſententia eſſe; unde quæritur: cur hinc colligi non poſſit argumentum, quo dubium Rabh Jeremiæ filii Abbæ tollatur, hac formula: *hinc collige, reſponde.*

תנה (זה) אלא (זה) מאי איכא למימר.

Hoc

Hoc equidem placet, verum ad hoc quod attinet, ecquid dicendum?

Idem valet atque הניחא לפלוני דאמר וכו׳ מאי איכא למימר. Vid. lit. ה & יבמות LXVI. I.

תיפוק ליה.

Vid. ותיפוק ליה. Conf. יבמות LXVII. I.

תניתוה.

Congruit cum.

תנינא.

Vid. יבמות LIX. I. בבא בתרא LXXXV. 2.

תנא תונא. *Docet id quod doceo.*

Hac formula indicat Doctor, Miſchnam ſibi ſuffragari.

In בבא קמא *fol.* cv. *col.* I. traditur: Rabbæ ſententiam eſſe: eum qui tres faſciculos, trium obolorum pretii abſtuliſſet, quorum tanta deinde vilitas conſequeretur, ut duobus obolis emi poſſent, quamvis duos faſciculos reſtituiſſet, pro ſolo tertio tamen obolum pendere debuiſſe. Quod cum e Miſchna probare ſe poſſe putaret, dixit: *Idem docet Miſchna quod ego.* Adduxit autem teſtimonium ex illa, qua edicitur: qui fermentum ante Paſcha furatur idque poſt finitum feſtum tenet, eum fermenti pretium reſtituere debere. Sin

Sin vero illud paſchate finito, deterius factum eſſet, nihilominus integrum ejus pretium ſolvendum fuiſſe. Ita hic, quamvis obolo tertius faſciculus non dignus ſit, illum tamen dandum fuiſſe. Vid. בבא קמא cv. 1. סנהדרין LXXV. 2. יומא LVIII. 1.

תנא ושייר. (Caſus aliquos) *proponit*, (alios vero) *omittit*.

In תעניות *fol.* XIII. *col.* 2. traditur: non eſſe diſcrimen inter privati cujusdam & univerſi cœtus jejunium, niſi quod eccleſiæ Miniſter in jejunio privati 18, eccleſiæ vero 19. laudes prælegat, ſi excipias eccleſiæ univerſæ jejunium, 24 eo laudes prælectas fuiſſe. Additur de tribus primis jejunii diebus in Miſchna expreſſis id intelligendum eſſe. Obj. in Miſchna docetur: inter priores tres & medios jejunii dies nihil inter eſſe diſcriminis, niſi quod illis liceat his vero vetitum ſit opus facere; unde pateret, hos jejunii dies, in eo quidem quod ad preces attinet, comparari ſecum poſſe. Et Reſp. *Doctor Miſchnicus caſus hoſce proponit*, reliquos vero in quibus differunt, negligit. Conf. בבא קמא x. 1. יבמות LXXXIV. 2. תענית x. v. 1.

תנא בתרא אתא לטפויי. *Doctor poſterior ad*

ad hoc includendum venit, hoc includendum eſſe aſſerit.

Eſt reſponſio, ubi quæſitum eſt, utrum Doctorum Miſchnicorum de aliqua ſententia diſputantium poſterior, conſtitutioni aliquid addat, an vero de ea duntaxat diſceptet.

In בבא בתרא *fol.* XCIII *col.* 2. Miſchna reperitur, qua docetur: ſi quis alteri vendidiſſet fruges, neque emtor dixiſſet, utrum illas comedere, an vero ſerere vellet, deinde autem illas ſeviſſet, ſi non regerminent, venditorem in jus non vocari, etiamſi lini ſemina vendidiſſet. R. Simeon Gamalielides vero ſi ſemina hortenſia fuerint, quæ manducari nequeunt, venditorem jacturam reſarcire debere putat. Objicitur: R. Simeonem Gamalielidem priori Doctori accedere, non enim de ſemine hortenſi ſermonem eſſe. Reſp. hoc illorum eſſe diſcrimen ille Doctor, cujus primo loco in Miſchna mentio fit, aſſerit, pretium ſeminis emti duntaxat eſſe reſtituendum, poſterior contra defendit, ſumptus quoque arationi &c. impenſos eſſe reddendos. Excipitur porro, forte Gamalielides contrariam tuetur ſententiam, nempe pretium duntaxat eſſe reſtituendum. Sed

R. *Do-*

R. *Doctor poſterior ad hoc includendum venit.*

תני תנא קמיה דפלוני. *Tradidit Doctor coram N.*

Quando Gemaricus conſtitutionem aliquam proponit, quam à Magiſtro ſuo per traditionem accepit, tum hoc dicitur.

In סנהדרין *fol.* LXXXVI. *col.* I. quiſpiam dixiſſe fertur in Miſchna doceri; eum, qui hominem furto ablatum patri ejus vendidiſſet, morte multari; R. Simeonem contra ejusmodi hominem omni pœna liberum pronuntiare, quia *Deut.* XXIV. 7. legatur: כי ימצא איש גונב נפש מאחיו, id eſt, neminem ideo in culpa eſſe, niſi poteſtati fratrum eum ſubducat; ſin vero pater eum emat, ſub fratrum conditione manere, ideoque plagiarium pœna liberum eſſe. Vid. בבא בתרא CXIII. 2.

תנינא להא דתנו רבנן. *Hoc ipſum didicimus, quod tradunt Magiſtri.*

Forma hac dicendi indicant, ſe id in Miſchna diſcere quod Rabbini in Beraita tradunt, hujusque traditionis Miſchnam eſſe fundamentum.

In מועד קטן *f.* VIII. *c.* 2. miſchna hæc profertur: diebus feſti intermediis loculum condendo funeri, ſi aſſeres adſint parare

rare, cuivis integrum eſto: & in Gemara additur, *hoc ipſum didicimus*, *quod Magiſtri tradunt*, ea dicto tempore fieri poſse, quæ neceſſario ad demortui funus parandum ſpectant, capillos ſcilicet tondere, veſtes lavare, loculum parare, dummodo aſſeres ante feſtum parati eſſent. Vid. יבמות LXIX. 2.

תני עליה. *Docet ſuper illa* (exponit illam Miſchnam).

Convenit cum

תנא תונה.

Niſi quod ſpecialius traditionem in תוספתא ratam ſignificet. Vid. חגיגה *fol.* XXV. 2.

תניא כוותיה דפלוני. *Traditio eſt* (alium locum) *pro illo facere.*

Hac formula locum adferunt, ad aliquam probandam ſententiam.

In סנהדרין *fol.* XV. *col.* 2. dicitur leonem ſive lupum qui hominem dilaniavit, ex 23 Judicum ſententia perimi, neminique leonis illius vel lupi pelle uti permiſſum eſſe. Riſch Lakiſch id ita intelligendum exiſtimat; ſi hominem morſu enecaſſent, ſin vero levius duntaxat cum vulneraſſent, integrum fuiſſe feræ occiſæ pelle uti. Additur, *traditio eſt*, *alium locum pro illo facere*, nempe *Exod.* XXI. 28.

28. de bove nimirum agente ſi cornibus feriiſſet, quæ lex de cæteris omnibus feris eſt intelligenda, quod ſi ſcilicet hominem interemiſſent ex 23. judicum ſententia, eas occidendas eſſe. Vid. פסחים xvii. i. יבמות lxvii. 2. גטין lvii. 2. נדה vi. i.

תנאי היא. *Hæc eſt diverſa Miſchnicorum ſententia.*

Eſt reſponſio, argumentum nimirum, de quo in ipſa Miſchna controvertitur proponi, indicans.

In תענית *fol.* xiv. *col.* 2. docetur: quotiescunque in Miſchna aut Beraita edicatur: ter aut ſepties jejunandum eſſe; id non niſi ob pluviam impetrandam juberi, nam ob alias calamitates avertendas tam diu usque exaudiantur, cibo abſtinendum eſſe. Deinde quæritur: an dicendum, hanc ſententiam R. Ammæ objici poſſe, dicenti: onus Eccleſiæ, illi qui ferendo ſit impar, non eſſe imponendum? & reſpondetur: *hæc eſt diverſa Miſchnicorum ſententia, &c.* Vid. בבא בתרא xciii. i. מנחות xxvii. i. יומא xli. 2. & lii. 2.

Aliquando dicitur.

תנאי תרי היא ואליבא וכו׳. *Duorum Doctorum Miſchnicorum hæc eſt ſententia, ſed ſecundum N. &c.*

Vid. זבחים cxv. 2.

תניא נמי הכי. *Ejuſmodi etiam habetur traditio.*

Hac formula etiam utuntur, ſententiam aliquam vel Scripturæ teſtimonio, vel eadem conſtitutione alio loco occurrente comprobaturi: & fere convenit cum תנינא hac tamen differentia, quod illo teſtimonium e Beraita petitum indicetur.

In פסחים *fol.* v. 1. traditur, fermentum 14 die menſis Niſan a meridie expurgandum fuiſſe, quamvis Paſcha veſperi demum celebretur, etenim *Exod.* xxxiv. 25. vetari לא תשחט על חמץ דם זבחי. Additur denique: *ejuſmodi etiam alibi eſſe traditionem.* Vid. חגיגה *fol.* 11. *col.* 2. תענית x. *col.* 1. ראש השנה vii. 1. גטין lii. 2. ערובין xcviii. 1.

תנן בשלמא לפלוני ניחא אלא לפלוני קשיא. *Tradunt ſecundum N. concedi poſſe, verum ſecundum N. objici poteſt.*

Plane convenit cum אלא לפלוני קשיא. Vid. נזיר v. 2. בבא בתרא lxxxvii. 2. חגיגה iv. 1.

תנא היכא קאי דקתני וכו׳. *Quanam traditione Doctor Miſchnicus nititur, quod tradat &c.*

Vim & uſum hujus formulæ novimus e תענית *fol.* 11. *col.* 1. ubi quæritur: *quanam*

nam traditione Doctor Miſchnicus nitatur, quod tradat in precibus pluviæ injiciendam eſſe mentionem, quoniam alio in loco interroget, quonam tempore id ſit faciendum; & plerumque ſequitur:

תנא התם קאי *Hac traditione Doctor Miſchnicus nititur &c.* Vid. ברכות *fol.* 11. *col.* 1.

תני אידך. *Alius tradit.*

Hoc loquendi genere ſignificatur, Scripturæ locum aut Miſchnam diverſimode explicari.

In סנהדרין *fol.* LXXXV. *col.* 2. traditur, *Deut.* XXIV. *vſ.* 7. de plagiario duntaxat ſermonem eſſe: hinc quæritur, quonam ergo argumento demonſtretur etiam plagiariam pœnæ eſſe obnoxiam? R. ex *Exod.* XI. *vſ.* 16. וגונב איש *quicunque* (ergo ſive Mas ſive fœmina) *hominem furatur, morte plectitor.* Sed excipitur: hinc duntaxat colligi poſſe plagiarium, ſi marem furatus esſet hanc pœnam ſubire. R. hunc non esſe verborum ſenſum patere, ex *Deut.* XXIV. *vſ.* 7. ubi in genere dicitur: omnis plagiarius morte plectitor. Sed affertur ſpecialior hujus loci explicatio his verbis: *alius tradit* verbis *Deut.* XXIV. 7. ſignificari: omnem plagiarium, ſive talis ſit, qui marem, ſive qui fœminam, proſelytum,

 liber-

libertum, aut qui minorennem furatus eſſet, morte plectendum eſſe. Vid. תענית *fol.* IX. I. מכורת VII. 2. בבא קמא CII. 2.

Aliquando huic formulæ præponitur.

תני חרא.

Videlicet.

תני חרא ותניא אידך. *Unus* (ita) *alter vero hoc modo tradit.*

Vid. יומא *fol.* LII. *col* 2.

תסברא. *An ita putas?*

Indicatur hac dictione, ſententiam aliquam corrigendam eſſe.

In תענית *fol.* XIV. *col.* 2. R. Aſchi ubicunque vox אלו vox apponatur, omnes caſus alicujus ritus enumeratos putat, neque plures addere fas eſſe. Sed refutatur hæc ſententia hac formula: Hæc ſententia emendanda eſt, quia poſtquam in Miſchna dictum: מה אלו יתרות וכו' tamen addatur, arcam fœderis ultimo feſti die haud vero primo efferri moris fuiſſe; ergo exinde manifeſtum eſſe, etiam quamvis jam addita fuerit vox אלו caſus quosdam poſſe ſequi. Vid. תענית XIII. 2. & XVIII. 2. מכות XII. I. חולין LII. 2. בבא מציעא CXVII. I. בבא בתרא XLIII. I.

תסתיים. *Deſignatum eſt.*

Hæc

Hæc vox occurrit, cum ſententia a duobus Doctoribus quidem prolata eſt, ſed non liquet uter illorum ejus auctor ſit; mox tamen ſententia vel doctrina alterutrius horum Doctorum profertur, unde colligi poteſt illum ſententiæ de qua primo quæſtio erat, auctorem eſſe, tum dicitur: *deſignatum eſt*, i. e. exinde liquet, illum eſſe hujus auctorem.

In חולין *fol.* LVI. *col.* I. R. Juda & R. Nehemia diſputant, ſi avis a muſtela morſu vulnerata eſſet, quomodo vulnus ſit inveſtigandum? alter manu, reſpondet; alter vero acu. Cum vero, incertum eſſet uter illorum utrum R. Jehuda, an R. Nehemia poſterius ſtatuat, mox additur: *deſignatum eſſe*, R. Judam ſtatuere, vulnus manu inveſtigandum eſſe, vel hoc inde liquere, quia tradatur R. Simeonem filium Eleazari nomine R. Judæ affirmaſſe, in morſum muſtelæ avi illatum, manu non vero acu inquirendum fuiſſe. Vid. סנהדרין LXXXVI. 2.

תפשת מרובה לא תפשת. *Multa dum capis, nihil tenes.*

Id eſt: nihil certi ſtatui poſſe, ubi res cum multis aliis comparatur.

In סוכה *fol.* V. *col.* I. 2. traditur: omnium vaſorum ſacrorum tempore Moſis factorum longi-

longitudinem, latitudinem, profunditatem & craſſitudinem in Sacra Scriptura definitam eſſe; excepto propitiatorio, utpote cujus longitudo tantum & latitudo definita eſſet; attamen e minimis vaſis craſſitudinem etiam ejus, colligi poſſe: e. g. ex limbo aureo menſæ panum propoſitionis, de quo *Exod.* xxv. 25. ועשית לו מסגרת טפח סביב. Unde propitiatorium palmum crasſum fuisſe pateret. Obj. propitiatorii craſſitudo ex aliis vaſis potuisſet colligi. Reſp. *multa cum capis nihil tenes*, i. e., ſi craſſitudinem propitiatorii ab omnibus rebus unde fieri poteſt, colligere velles, nihil de ea certi definires. Vid. ראש השנה IV. *col.* 2.

VETERUM RABBINORUM

IN

Exponendo Pentateucho

MODI TREDECIM.

Quorum explicatio lucem maximam afferet iis qui legem accuratè volunt interpretari, & ſcripta Rabbinorum facilè intelligere.

רבי ישמעאל אומר׃ בשלש עשרה
מדות התורה נדרשת׃

Rabbi Iſmaël dicit, Tredecim modis lex explicari poteſt.

א׳ מקל וחומר׃

Primus *vocatur, à levi grave.*

ב׳ מגזרה שוה׃

Secundus, *à decreto æquali.*

ג׳ מבנין אב מכתוב אחד׃ ובנין אב משני כתובים׃

Tertius, *ab ædificio patris ex uno Scripturæ textu, & ædificio patris ex duobus Scripturæ locis.*

ד׳ מכלל ופרט׃

Quartus, *à generali, & particulari.*

ה׳ מפרט וכלל׃

Quintus, *à particulari, & generali.*

ו׳ כלל ופרט וכלל׃ אי אתה דן אלא כעין הפרט׃

Sextus, *generale & particulare, & generale: Non potes judicare niſi ratione particularis.*

ז׳ מכלל שהוא צריך לפרט· ומפרט שהוא צריך לכלל:

Septimus, *à generali, quod eget particulari: & à particulari, quod eget generali.*

ח׳ כל דבר שהיה בכלל ויצא מן הכלל ללמד· לא ללמד על עצמו יצא· אלא ללמד על הכלל כלו יצא:

Octavus, *Omnis res, quæ erat in generali, & exivit è generali ad docendum, non ad docendum ſuper ſeipſam exivit, ſed ad docendum ſuper generale tota ea exivit.*

ט׳ וכל דבר שהיה בכלל ויצא לטען טען אחר שהוא בעניינו יצא להקל להחמיר:

Nonus, *Et omnis res, quæ erat in generali, & exivit ad ratiocinandum rationem alteram, quæ eſt ſecundum negotium (ſeu ſubjectum) ſuum, exivit ad levius, non autem ad gravius faciendum.*

י׳ ואם לטען טען אחר שלא בעניינו יצא להקל ולהחמיר?

Decimus, *Etſi ad ratiocinandum rationem alteram,*

teram, quæ non eſt ſecundum ſubjectum ſuum exivit ad levius, & gravius faciendum.

יא׳ וכל דבר שהיה בכלל ויצא לידון
בדבר חדש אי אתה יכול
לחחזירו לכלו׳ עד שיחזירנו
הכתוב לכללו בפרוש:

Undecimus, *Et omnis res, quæ erat in generali, & exivit ut judicetur de re nova, non potes tu eam redire facere ad illius generale, donec redire eam fecerit (ſeu revocaverit) Scriptura ad generale perſpicuè.*

יב׳ דבר הלמד מענייני ודבר הלמד
מסופו:

Duodecimus, *Res quæ docet ex ſubjecto ſuo, & res quæ docet ex fine ſuo.*

יג׳ ושני כתובים המכחישין זה את זה:
עד שיבא הכתוב השלישי ויכריע
ביניהם:

Decimus tertius, *Duo loci Scripturæ inter ſe repugnant donec veniat tertius Scripturæ locus, & ſolvat (ſeu judicet) inter eos.*

TREDECIM MODORUM

Quibus explicari poteſt Sacra Scriptura explanatio latior & facilior;

Ex variis Rabbinorum libris, ac præſertim Talmud, Miſchnah, Siphra, & Jalkut deſumpta.

PRIMUM modum, quem in explicanda Lege RR. obſervant, his duobus vocabulis exprimunt, קל וחומר *Kal vahomer*; verbum è verbo verteris, Leve & Grave: Dialectici exponerent locum à comparatione Minorum, vel Majorum. Nam hac formula RR. utramque enuntiationem à Minori nimirum ad Majus; aut contrà, à Majori ad Minus complexi ſunt: ſed ab ea quæ frequentius in ſacris paginis occurrit, nomen impoſuere. Res iſta quanquam per ſe ſatis nota; quò tamen notior fiat, hoc exemplo illuſtrari poteſt. Si lembus geſtando oneri 100. pondo ſufficit; multo màgis oneraria navis eidem oneri 100. pondo geſtando ſufficiet. Aut ſic inverſa enuntiatione. Si geſtando oneri 100. pondo navis oneraria non ſufficit, multo minus ſane lembus ſufficiet. Ex ſacris paginis Rab. exempla nobis proponunt. Ac prio-

prioris quidem Enuntiationis, qua nimirum à Minori ad Majus concluditur, eſt illud, ex cap. 12. 14. Numeror. *Dixit Dominus ad Moſem: Si pater ejus ſpuiſſet in faciem illius, i. e. Mariæ; nonne debuerat ſaltem ſeptem diebus rubore ſuffundi? Separetur ſeptem diebus extra caſtra, & poſtea revocabitur.* Id eſt, ſi ſoror tua Maria à patre reprehenſa deberet rubore ſuffundi, & per ſeptem dies fugere patris aſpectum: quanto magis illa, inquit Deus, à me objurgata, præ verecundia Majeſtatem meam, quæ ſub ſpecie nubis in Caſtris apparet, extimeſcere debet Ejiciatur ergo ſeptem diebus extra caſtra.

Poſterioris autem, quæ à Majori ad Minus inducit, exemplum petitur, ex Geneſi 4. 24. *Quia ſeptempliciter vindicabitur Cain, & Lamech ſeptuagies ſepties.* Cujus loci ex RR. interpretatione hæc eſt ſententia. Si Cain, qui fratrem per ſummum invidiæ ſcelus interfecit, iſtius facinoris pœnas non niſi poſt ſeptem generationes dedit. Ego, ait Lamech, qui Cain quidem occidi, ſed imprudens, & nihil tale cogitans, non luam pœnas niſi poſt 77. generationes.

Non celabo te inter plures *Kal vahomer* modos, quos Rab. agnoſcunt duos eſſe, qui familiam ducunt. Alterum appellant קל וחומר מפורש *Kal vahomer mephoras*, id eſt,

dilucidum. Alterum vero קל וחומר סתום *Kal vahomer ſatum*, id eſt, obſcurum. Dilucidi exemplum habes, apud Jerem. 12. 5. *Si cum peditibus currens laboraſti, quomodo contendere poteris cum equis?* Obſcuri autem ex Pſal. 15. 24. *Juravit affligens ſe, & non mutavit.* In Midras Samuel hic locus enarratur, quem vide. Uno verbo, ex auctore iſto ſic interpretare. Si in iis, quæ lædunt, homo jusjurandum conſervavit; quanto magis in iis, quæ non lædunt, conſervabit?

I I.

Secundus modus גזרה שוה *Gezera ſcava* dicitur (ſignificant hæc verba decretum æquale.) Aliter etiam ab Hebræis appellatur הלכה למשה מסיני *Halaca lemoſemi Sinai*, id eſt, Traditio Moſis è monte Sinai. Reſpondet Argumento, quod à pari Dialectici vocant. Elici vero è ſacris paginis hac ratione præceperunt RR.

Cum in duobus Scripturæ locis eædem dictiones repetuntur, quas tamen ad ſententiam nihil facere, planeque ſupervacaneas eſſe animadvertas, tum ajunt iſti Rab. ex his, velut ex quibusdam ſignis & notis, conjectari te poſſe, latere ibi Gezera ſcava, id eſt argumentum à pari. Exemplum proponunt ex

ex cap. 22. Exod. v. 7. *Cum dederit quiſpiam proximo ſuo argentum, vel vaſa, ad cuſtodiendum, & furto ablatum fuerit, è domo ipſius, ſi inventus fuerit fur, reddet duplicia: ſi non inventus fuerit fur, accedet dominus domus ad Judices*, אם לא שלח ידו SI NON MISIT MANUM SUAM *in opus ſocii ſui*. Et paulo poſt eodem cap. verſ. 10. *Si dederit quis ad ſocium ſuum vel bovem vel aſinum, vel agnum, & omne animal ad cuſtodiendum, & mortuum fuerit, vel confractum, vel alabaſtrum nemine vidente, juramentum domini erit inter ambos eos*, אם לא שלח ידו SI NON MISIT MANUM SUAM *in opus proximi ſui.*

Horum locorum ſententia, ſi attente cogitateque expendatur, dictionibus iſtis (*ſi non miſit manum ſuam in opus proximi ſui*) plane redundat: nam ſi illæ è medio tollantur, integra nihilominus ſemper remanebit. Et hic obſervant, quod niſi iſtæ dictiones eſſent ſuperfluæ, oratio male cohæreret, ac ſibi ipſi repugnaret. Conſequeretur enim, ut una & eadem res à fure, neſcio quo, & ab eo homine apud quem depoſita fuerat, diceretur ablata; quod ſane abſurdum videtur. Igitur ſi ſuperfluæ ſunt, & redundant; indicant ex hoc textu erui poſſe argumentum à pari. Quod etiam RR. ſic eruunt; quemadmodum boum, aſinorum, &c. animalium

cuſtos tenebatur, ut lex expreſſis verbis jubet, jurare ejusmodi animalia vel mortua vel abacta fuiſſe; ita depoſitarius etſi lex expreſſis verbis non præcipiat, eadem jurisjurandi pœna, ſive religione tenetur.

Monent autem iſti RR. quoties in utroque Scripturæ loco ſupervacaneæ ſunt dictiones, ita neceſſario colligi rationem à Pari, ut doctrinam hanc nemo poſſit refutare. Quod idcirco monent: quia ſi contingat, ut dictiones in uno loco ſint ſuperfluæ, in alio vero neceſſariæ; docent ejusmodi argumentum à Pari ex his colligi quidem, ſed poſſe refutari. Hujus generis exemplum petunt ex Levit. c. 6. 18. *Si comedendo comeſtum fuerit de carne ſacrificii pacificorum ejus in die tertia non acceptus erit appropinquare faciens illud, non reputabitur illi. Corruptum erit & anima comedens ex eo,* INIQUITATEM SUAM PORTABIT.

Et ex cap. 19. 7. *Si comedendo comeſtum fuerit in die tertio corruptum illud non acceptabitur, & comedens illud* INIQUITATEM SUAM PORTABIT; *quia ſanctitatem Domini polluit, & excidetur anima ipſa è populis ſuis.* In utroque loco eaſdem dictiones obſervant, ſed ea diſtinctione legunt: ut in priore agnoſcant illas omnino neceſſarias, in poſteriore non item. Hinc ergo à pari concludunt. Quod mor-

mortis pœna æque intelligenda eſt in priore textu, ubi non expreſſa, ac in poſteriore ubi expreſſa. Hîc tamen ſi quis acumine ingenii præditus validis rationibus oſtendat inepte id concludi, ille erit audiendus, & ejus rationes expendendæ.

Quærere hic potes; ſi illæ eædem dictiones in utroque loco fuerint neceſſariæ, quid ex iis conſequatur? Reſp. Rab. nihil ubi fuerint ſic neceſſariæ ex iis conſequi, concludive.

Notarunt autem duo diligenter obſervanda. Primum enim tradunt non fieri Gezera ſcava, niſi cùm de eadem materia agitur; ut patet ex propoſitis exemplis. Unde etiam fit, ut idem feratur judicium.

Deinde ſi in foro judiciali res aliqua diſceptanda eſt, aſſerunt non aliam Gezera Scava, id eſt rationem a pari fingere vel excogitare licere ab ea, quæ à Moſe per manus ad nos pervenit.

I I I.

Tertius modus vocatur בנין אב מכתוב אחד *Binian ab micatub echad*, id eſt, ædificium patris ex uno Scripturæ textu: cujus quidem nominis ratio facile ex iis, quæ ſequuntur, intelligetur. Nam RR. hunc modum

dum formant ex obſervatione unius loci, ex qua ajunt colligere ſe, quemadmodum alios locos, qui in eodem ſubjecto ſeu materia verſantur, oporteat explicare. Eſt enim celebre apud eos axioma; S. Scripturam non uti repetitione; ſed ut plurimum brevitate gaudere: ita tamen, ut ſi plures fuerint loci, ob rem de qua tractant, inter ſe affines, uni ex illis id apponat, quod omnibus debeat inſervire. Exempli gratia. In pluribus locis Moſes hanc vel illam rem igne abſumendam præcepit: nec tamen iſtud noctune an interdiu faciendum eſſet in ſingulis declaravit, ſed tantum in uno, nempe Levit. cap. 4. vſ. 17. ubi ſic ſcriptum. *Et reſiduum de carne ſacrificii in* DIE *tertio igne combureuntur.* Rabbini annotata, quæ hoc loco expreſſa eſt temporis circumſtantia, concludunt, quamcunque uſtionem a Moſe juſſam interdiu faciendam eſſe. Ex his aperta eſt ratio nominis iſtius, *Binian ab michatub echad.* Nam ut ſic, pingui Minerva, loquar; hic textus, *Et reſiduum de carne*, &c. parat ædificium, ad quod alii textus ſeſe recipiunt, ibique, quam interpretationis formam debeant inducere ab eo, ut a parente filii, accipiunt.

Cæterum; ut ex uno textu modum hunc colligis, ſic ex duobus atque etiam de re diſpari tractantibus, colligere te poſſe iidem RR.

RR. contendunt : & ob eam cauſam illam appellant : בנין אב משני כתובים *Binian ab miſne chetubim*, id eſt, ædificium patris ex duobus Scripturæ locis. Sed tum in iſtis duobus locis præcipuum quoddam vocabulum requirunt, quo veluti communi vinculo illi iſti loci conjungantur. Deinde diligenter attendunt illud, quod cuique textui ſive loco peculiare eſt : poſtea ſimul componunt, conjunguntque ; & ex illa conjunctione tanquam pronunciatum aliquod efficiunt, quo & utrumque locum, & cæteros, in quibus præcipuum illud vocabulum reperietur, exponunt. Tota iſta res exempli appoſitione clarior reddetur. Audias igitur ex Numer. 5. 2. *Præcipe filiis Iſrael, emittant e caſtrametatione omnem leproſum, & omnem fluentem, & omnem immundum. Et fecerunt ſic filii Iſrael.*

Et ex Levit. 24. 2. *Præcipe filiis Iſrael, ut afferant tibi oleum olivæ purum, contuſum pro luminari ad accendendum lucernam*, &c. *Statutum præceptum perpetuum erit in generationibus veſtris.*

Primum tradunt RR. in his duobus Scripturæ locis diverſis de rebus tractari.

Deinde præcipuum illud uerbum, quo velut nodo loci iſti connectuntur, jubent attendi ; atque illud eſt (*Præcipe*) Hebraice צו *tſau.*

Ter-

Tertio in priore loco, quod obſervant peculiare, illud eſſe dicunt: *Et fecerunt ſic*: quibus verbis tempus præſens ſignificari ajunt, & ea ipſa hora, qua datum eſt a Moſe præceptum, huic filios Iſrael obtemperaſſe; & e papilionibus nulla interpoſita mora leproſos & immundos ejeciſſe interpretantur.

In poſteriore vero quod annotant peculiare, illud eſſe aſſerunt, *Præceptum perpetuum erit in generationibus*; quibus verbis futurum tempus intelligunt: Dicunt enim ex ſacris paginis argui probarique non poſſe eo ipſo tempore, quo Deus mandavit, accenſum fuiſſe candelabrum. Hæc ergo duo, quorum alterum tempus præſens, alterum futurum reſpicit, ſimul conjungunt; & ex conjunctione illa iſtum modum, *Binian ab miſne chetubim*, componunt, quo docent non tantum iſta duo præcepta, ſed & alia, quæ per præcipuum illud verbum *tſau*, id eſt, *præcipe*, data fuere, populo Iſraelitico propoſita fuiſſe cum in præſens, tum in futurum tempus obſervanda.

Eadem via procedunt in aliis exemplis colligendis, dicuntque iſta, quæ fortaſſe videbuntur ſubtiliora, eorum tantum palatum ferire; qui Hebraicæ linguæ delicatiores epulæ quantum ſapiant, probe norunt.

I V.

QuARTus modus nominatur : כלל ופרט *chelal uperat*, id eſt, generale, & particulare. Hoc enim modo illud, quod genus eſſe videtur (ut utar Dialecticorum verbis) ad eas tantum partes ſeu ſpecies, quæ in textu nominatæ ſunt, reſtringunt; nec ad alias extendi poſſe dicunt.

Exemplum ex Levit. cap. 1. vſ. 2. obſervant: *Loquere* (inquit Deus) *ad filios Iſrael, & dices ad eos, homo cum obtulerit ex vobis oblationem Domino de* ANIMALI, *de* BOVE *& de* PECUDE *offeretis oblationem.*

Hoc loco, nomen בהמה quod Latine animal vertitur, genus agnoſcunt; quod, in ſacris paginis tam de domeſticis beſtiis, quam de feris dicatur. Bovem & pecudem iſtius generis partes eſſe, ſive ſpecies nemo negaverit. Ergo docent RR. præceptum iſtud Moſi datum, intelligendum tantum eſſe de his ſpeciebus, quæ nominatæ fuerunt, & ad eas revocandum τὸ בהמה, id eſt animal, generis nomen. Unde per iſtum modum contendunt e feris ſive belluis ſylveſtribus non licuiſſe rem ſacram facere. Ut ex illis revera nullum fiebat ſacrificium.

Quod ſi objeceris immolato hœdo rem ſacram

cram feciſſe veteres; reſpondent RR. pecudis nomine hœdum contineri.

V.

Quintus modus ſuperiori contrarius vocatur: מפרט וכלל *miperat uclal*, id eſt, particulare, & generale. Fit autem, cum ſpecies ſuum genus in oratione præcedunt. Ut autem in ſuperiore modo nominatæ poſt genus ſpecies illud circumſcribunt, & ad alias extendi non patiuntur; ita ex adverſo nominatæ ante genus ſpecies hanc illi per hunc modum vim (ut ſic loquar) dant, atque imprimunt; ut extendatur, quam latiſſime poteſt extendi. Exemplum RR. ſuppeditant ex cap. 22. Exod. v. 9. *Si quis dederit ſocio ſuo* ASINUM *vel* BOVEM, *vel* AGNUM, *&* OMNE ANIMAL *ad cuſtodiendum*, &c. Hic *aſinus*, *bos*, *agnus*, ſpecies ſunt; & prius nominantur quam *omne animal*, quod eſt genus. Unde nulla (ajunt RR.) anima quadrupes excipitur, ſed quælibet intelligitur, ſive munda illa fuerit, ſive immunda, cicur, aut fera. Senſum ergo hujuſce textus illum eſſe dicunt. Quodcunque animal dederit quis ſocio ſuo ſervandum, tenetur ille ſocius jurare ſi mortuum fuerit, vel abactum, &c. Vide locum.

At

At objicies, ſi ſimpliciter Scriptura dixiſſet, *omne animal*; nonne complexa fuiſſet animalia munda æque ac immunda? Hoc ita habere reſpondent RR. ſed admonent, cum ſimpliciter genus ponitur fieri nonnunquam, ut aliqua ſpecies excipiatur per quendam modum ex iſtis XIII. ut patebit ex ſequentibus. At vero cum ſuum genus præcedunt ſpecies, duæ videlicet, tres, &c. ita illud potens reddunt, ejusque jus ſic aſſerunt; ut ab eo nulla ſpecies ſubſtrahi poſſit, quæcunque tandem regula (ſive modus) proponatur.

V I.

Sextus modus nominatur: כלל ופרט וכלל׳ אי אתה דן אלא כעין הפרט *Celal uperat uclal, i ata dan ella ceen happerat*: id eſt generale & particulare, & generale; & habet locum, cum, quod generale eſt, declaratur per particulare, & iſtud particulare rurſus explicatur per aliud generale. Res meridiana luce clarior tibi erit ab exemplo. Datur iſtud præceptum Deuter. 14. 26. *Pecuniam dabis in* OMNI, *quod avebit anima tua: In* BOVE, PECORE, *in* VINO, *&* *in* SICERA, *&* *in* OMNIBUS *quæ poſtulaverit anima tua, & comedes ibi coram Domino Deo tuo, & lætaberis tu & domus tua.* Hic, *in omni quod avebit*, &c. habes unum genera-

 le,

le, ut & alterum ibi (*in omnibus quæ poſtulaverit.*) Inter utrumque autem poſitum eſt, *in Bove, & Pecore, in Vino & Sicera*, quod quidem particulare eſt. Præcipiunt igitur RR hoc loco, & ſimilibus, duo illa generalia ad ſingulare eſſe revocanda, id eſt, ſi præter ſingulare illud, quod in textu expreſſum eſt, aliquid aliud vis addere quod ſub duobus illis generalibus contineatur, docent neceſſum eſſe, ut quod additurus es, ea ſit affectum qualitate, ſeu proprietate, qua ſingulare iſtud affectum videtur. Ut, ſi præter bovem, & pecus; vinum, & ſiceram; vis aliam eſcam, aut potionem adjicere, animadvertere debes, ut in illa eſca aut potione, quam adjecturus es, illa qualitas deprehendatur, quæ in bove, pecore; in vino & ſicera deprehenditur.

Hæc autem bovis & pecoris, vini & ſiceræ qualitas in eo conſiſtit, ut ſit ולד ולדות הארץ i. e. filius filiorum terræ, ſeu, res nata de rebus in terra natis. Sunt enim, aut eſſe poſſunt in rerum natura Taurus & Vacca; ex quibus bos iſte (de quo in noſtro exemplo) genitus eſt: quod ſi non ſint, eſt illius ſaltem ſpecies: ut exiſtunt, aut exiſtere poſſunt vites, unde vinum collectum: & arbores, ex quarum fructu ſicera expreſſa.

Docent igitur RR. potuiſſe te alterius anima-

nimalis, mundi nimirum (ut eſt bos) carnem menſæ apponere, puta cervinam; quia cervus* ולד ולדות, i.e. filius filiorum, &c. cenſetur. Ita & apponere ceraſa, nuces, olivas, & alias pomorum baccarumque ſpecies: quarum arbores non ad bimeſtre aut trimeſtre ſpatium, ſed plures annos in terram radices agunt. Fructus enim, qui ex his colligitur, quemadmodum uva ex vite, reputatur ולד ולדות, id eſt, filius fil. &c. Hinc legumina, cucumeres, pepones removeri facile intelligas: non enim eorum plantæ annum excedunt, ſed ſæpius una cum ſuo partu avelluntur, aut certe paulo poſt marceſcunt, atque moriuntur.

V I I.

Septimus modus his concipitur verbis: לפרט· ומפרט שהוא צריך לכלל מכלל שהוא צריך: id eſt, a generali præcepto, quod eget particulari, & a particulari quod eget generali. Hunc modum ut intelligas, RR. præbent tibi exemplum petitum ex cap. 13. Exodi, & Deuter. cap. 15.

In Exod. legitur: *Sanctifica mihi omne primogenitum, quidquid primum aperit vulvam in filiis Iſrael, & in homine, & in animali.*

In Deuteronom. *Sanctificabis Domino Deo*

tuo omne primogenitum, quod naſcetur in bove & in pecore maſculum.

In præcepto generali. *Sanctifica mihi &c.* Fœmina potuit intelligi: Ea propter in particulari appoſita voce hac זכר, id eſt, maſculum, dubitatio omnis ſublata eſt. Ergo generale præceptum, ut intelligatur, eget particulari. Jam vero quia maſculus ille, potuit intelligi is; qui poſt abortivum, aut etiam poſt filiam unam, duas, aut plures naſcebatur, opus fuit, ut dubium illud omnino removeretur alia nota generali.

Idcirco in generali dictum eſt פטר כל רחם, id eſt apertione vulvæ, ergo particulare, ut clare exponatur, eget ſuo generali. Ex his, ni fallor, ſatis apertus eſt iſte modus.

VIII.

Octavus modus his concluditur verbis: כל דבר שהיה בכלל ויצא מן הכלל ללמד: לא ללמד על עצמו יצא אלא ללמד על הכלל כלו יצא: id eſt, ut κατὰ πόδα, καὶ κατὰ λέξιν vertam; omnis res, quæ eſt in generali, & exivit e generali, & exivit e generali ad docendum, non ad docendum ſuper ſeipſam exivit, ſed ad docendum ſuper generale tota exivit. Hac regula, ne lon-

longum faciam, quod dicitur de una ſpecie, dicitur de omnibus: placeat illud ex Poëtarum principe: *crimine ab uno diſce omnes.* Exemplum colligitur RR. ex duobus locis. Ex cap. 22. Exod. text. 18. *Præſtigiatricem non ſines vivere:* & ex Levitic. cap. 20. 27. *Et vir ſeu mulier, cum fuerit in eis Pitho vel divinus, morientur, & obruent eos.*

In textu Exodi ponitur: quod hic generale dicimus, in voce מכשפה, id eſt, præſtigiatrice, ſub quo continentur omnes ſpecies Genethliacorum, Divinorum, Mathematicorum, & Magorum, quos e medio tolli ſive interfici lex jubet. In textu Lev. exprimitur τὸ particulare in voce אוב, id eſt, Pytho, quod quidem particulare e ſuo generali velut e communi ſede egreditur, non tantum ut divino vel Pythonem habenti mortem interminet (nam id facit generale præceptum) ſed ut genus pœnæ, ex qua mors conſequatur, dictet, nempe lapidationem. Ergo concludunt RR lapidationem illam generali præcepto accommodandam eſſe, & Deum juſiſſe omnes, qui magicas artes tractant, lapidibus eſſe obruendos.

Agnoſcunt RR. hic alium modum, per quem dicunt ideo particulare præceptum à generali ſeparatim exprimi, ut & pro illo,

& pro ſuo generali concludendum aliquid Scriptura Sacra doceat. Verbi gratia; jubet Deus; Sabbatho ne ullum fiat opus, ut habetur Exod. 35. verſu 2. Idem verſu tertio prohibet ne Judæi Sabbatho faciant ignem in habitaculis: quid neceſſe erat (dicet aliquis) particulare iſtud præceptum dictare? Nam cum facere ignem opus ſit; ſub generali ſine dubio intelligebatur. Cum ergo ſeparatim datum ſit, argumento tibi eſt & pro illo, & pro generali aliquid concludendum. Pro illo igitur, quoniam prohibitum eſt, ne fiat ignis in habitaculis, Scriptura vult ut concludas alicubi Sabbatho licitum fuiſſe ignem facere, ut revera Sabbatho in Templo fiebat, ex Levit. 6. Pro generali vero vult, ut concludas in Templo nullum aliud opus præter ignem Sabbatho cuiquam facere licuiſſe.

I X.

Nonus modus his deſcribitur verbis: דבר שהיה בכלל ויצא לטען אחר שהוא כעניינו יצא להקל להחמיר: id eſt. Cum res aliqua, quæ ſpeciei naturam induit ſub genere contenta, ab eo ſeparatim exprimitur, idque ut quidpiam ſtatuat, quod ſit ejuſdem ſubjecti cum illo ſuo genere; exprimitur ad minuendum, non autem ad augendum. Hoc

Hoc certe modo particulare præceptum nihil diſtinctum habet a generali, ſed eorum, quæ generale jubet, partem retinet, partem vero relinquit. Unde minuendi cauſa proponitur, id eſt proponitur, ut quod faciendum imperat, alio a ſe non extendat, & ad ſuum generale non referat. Hunc modum declarant RR. Ex Levitic. 13. ubi נגע, id eſt, plaga, generale nomen eſt, quod continet omnes ſpecies lepræ: cum autem Deus hujuſce נגע, id eſt plagæ, generale præceptum proponebat, id juris dabat ſummo Pontifici, ut ſecundum accidentia, quæ leproſi plagæ contingerent; leproſum iſtum per quatuordecim dies poſſet includere, aut propter מחית, id eſt, vivacitatem, immundum pronuntiare: Et hæc videbatur eſſe leproſi pœna. De illa igitur pœna מכוה & שחין id eſt, aduſtio, & inflammatio, quæ erant lepræ ſpecies, & ſub נגע, id eſt, plaga, continebantur, detrahebant; Sehin quidem, quia qui ea affectus erat, ſeptem diebus includebatur; non enim legitur poſt illud temporis ſpatium a ſummo Potifice potuiſſe includi, & licet Mehia huic accideret, non tamen immundus ab eodem Pontifice judicabatur: Hæc enim Mehia non continetur in textu.

Micna vero, quia qui ea laborabat, non

 pote-

poterat includi pluſquam ſeptem diebus. At vero ſi Mehia accideret, poterat immundus pronuntiari. Et in eo diſtinguitur Micna, a Sehin, quæ in textu expreſſa eſt. Apponam totum S. Scripturæ locum, ut videas velut in appenſa Tabula modi iſtius rationem.

Levitic. c 13: 2. *Homo cum fuerit in cute ejus tumor, vel inhærentia, vel candor, & fuerit in cute carnis ejus, intactum Lepræ. Et aditur ad Aaron ſacerdotem.* 10. *Et videbit Sacerdos, & ecce tumor albus in cute, & ipſe vertit pilum album, & vivacitas carnis ejus, &c.* 4. *Et claudere faciet Sacerdos tactum ſeptem diebus.* 5. *Et claudere faciet eum ſacerdos ſeptem diebus.* 11. *Lepra inveterata ipſa in cute carnis ejus, & polluit eum ſacerdos, nec claudere faciet eum, quia immundus.* 18. *Et caro cum fuerit in ea, in cute ejus inflatio, &c.*

X.

Decimus modus his pronuntiatur verbis: אם לטען טען אחר שלא כענייני יצא להקל ולהחמיר: id eſt, & ſi res illa ſeparatim exprimitur ad ſtatuendum aliquid aliud, quod non ſit ejuſdem rationis cum ſuo genere, ea de cauſa exprimitur, ut

ut pro ſe aliquid, & minuat, & augeat. Modum hunc ejusmodi exemplo enarrant RR. Ex Levitic. 13. *Homo cum fuerit in cute carnis ejus tumor, &c. Et fuerit pilus in plaga verſus albus, &c.* Item verſu 29. *Et vir ſive mulier, cum fuerit in eo plaga in capite vel in barba; & videbit Sacerdos plagam; & ſi aſpectus ejus profundus præ cute, & in ea pilus flavus.*

Adverte autem quod τὸ Genus in primo textu his verbis, (*in cute carnis ejus*) continctur. Cutis enim & caput, & barbam includit. In ſecundo vero & barba, & caput ſpecies reputatur. Exprimitur ergo ſpecies ſeparatim, ut aliquid novi indicet, quod qualitate differat a ſuo genere. Nam pilus flavus non eſt ejusdem qualitatis cum pilo albo, de quo in genere: Minuit igitur, quia licet vir aut mulier pilum album habuerit, non judicabitur per eum, ut jubebat generale præceptum: auget autem, quia per pilum rufum judicabitur. Ita tradidere RR. Quæ ſi obſcuriora videntur uno verbo ſic explico.

Per generale præceptum, quacumque tandem in parte cutis, homo lepræ plagam laborans, habuiſſet pilum album, videbatur a ſacerdote judicari potuiſſe immundus. Per particulare excipit Deus ab illo colore caput

& barbam, & in iis alterius coloris pilum requirit. ut enim quis dicatur immundus ex barba aut capite, debet hic habere pilum rufum. Igitur particulare iſtud præceptum à ſe removet qualitatem pili albi, & ſibi imponit qualitatem rufi. Ergo minuit, & auget.

X I.

Undecimus. Modus his explicatur verbis: דבר שהיה בכלל ויצא לידון בדבר חדש אי אתה יכול להחזירו לכלו. עד שיחזירנו הכתוב לכללו בפרוש: id eſt, Particulare præceptum quod continetur in Generali, & ſeparatim exprimitur, ut de nova re judicet, non poteſt revocari ad Generale, donec illud ipſa Scriptura clare & aperte revocarit.

Exemplum hujus Modi proponitur ex Levitic. cap. 7. ubi agitur de præcepto Aaſam, האשם, id eſt delicto. Quo ut patet ex verſ. 2. jubetur ſacerdos ſanguinem ſpargere ſuper altare in circuitu, & totum adipem, &c. & fibram incendere, atque illa omnia ſuffire in altari.

Item ex Levit. cap. 14. ubi ſic ſcriptum: *Et capiet Sacerdos de ſanguine Aaſam*, id eſt, delicti,

delicti ; *& dabit Sacerdos ſuper auris cartilaginem mundantis ſe , & ſuper pollicem manus ejus dexteræ, & ſuper pollicem pedis ejus dextri.*

Notabis præceptum Generale datum eſſe cap 7. verſu ſecundo , in nomine Aaſam, id eſt, delicti : Quo in Genere ſacrificii totus victimæ ſanguis in altari ſpargendus erat, ut & adeps & fibra , & cætera quæ hic recenſentur incendenda.

Particulare vero datur cap. 14. & ſeparatim a generali exprimitur , rem novam ut inſtituat : quia nimirum per illud jubetur Sacerdos ſanguine tingere leproſi mundantis ſe auris cartilaginem : item pollicem dextrum & manus, & pedis. Itaque ex vi alicujus modi ex iis, quos expoſuimus , argumentari potuiſſes , & dicere : cum præceptum iſtud Particulare a ſuo Generali deflectat, non fuiſſe ſacerdotem obligatum ad alias res offerendas : ut puta , ad reliquum ſanguinem per altare ſpargendum ; adipem , fibram, & alia igne comburenda. Et certe valeret tuum argumentum, niſi Scriptura ad Generale reduceret, quod facit vſ. 13. ejusdem capitis 14. his verbis : *Et mactabit agnum in loco , quo mactabit oblationem pro peccato, & holocauſtum in loco ſanctitatis, quia* כחטאת האשם קדש קדשים הוא: id eſt , *ſicut oblatio-*

oblatio pro delicto ſacerdoti ſanctitas ſancti ſanctitatum eſt. Nam nomen iſtud *Haaſam* ה demonſtrativo affectum indicat præceptum illud Generale, de quo jam mentio facta eſt; ut & repetitæ iſtæ voces: קדש קדשים הוא, id eſt, *ſanctitas ſanctitatum.*

Unde concludunt RR. quod cum rem ſacram pro leproſo faceret ſacerdos, præter ea quæ nominatim præſcripta ſunt, jubebatur reliquum ſanguinem, adipem, & fibram (ut fieri ſolebat ex præcepto Generali) Deo Opt. Max. offerre & incendere. In aliis exemplis idem eſt obſervandum.

XII.

Duodecimus Modus his declaratur verbis: דבר הלמד מעיינו ודבר הלמד מסופו: id eſt, Res quæ docet te quidnam de ea ſentire debeas, e materia de qua in Scriptura tractatur: item & res quæ idem te docet ex fine ſuo, id eſt ex ultimis verbis ſui tractatus. Duo habet membra ut vides, Prioris exemplum eſt petitum ex cap. 20 Exod. ubi textu 14. Deus præcipit, *Non occides, Non adulterabis, non furaberis, Non reſpondebis in ſocium tuum teſtimonium falſitatis.* Non apparet hoc loco, de quo Fure legem tulerit Scriptura. An de eo, qui ultimo capitis ſup-

ſupplicio eſt afficiendus, an vero de eo qui pecunia tantum multatur. Nam vox iſta גנב, *goneb*, de utroque dicitur, ut patet ex Geneſ. 22: 1. & Deut. 24: 7. Hac ergo priori parte Regulæ præcipitur, ut rei ambiguæ fiat judicium, מעניינו, id eſt, ex ſubjecto de quo tractatur. Quamobrem cum hic agatur de criminibus capitalibus, de eo Fure goneb eſt intelligendus, cujus crimen ultimo ſupplicio punitur.

Poſterioris autem exemplum ſumitur ex Levit. 14. verſ. 34. ubi ſic legitur, *Et dabo plagam lepræ in domo terræ poſſeſſionis veſtræ*, &c. Item ex verſ. 45. *Deſtruetque domum lapides ejus, & ligna ejus, & univerſum pulverem domus.* Id clare ſic explicatur. Jubet Deus domum lepra affectam deſtrui: neſciebatur de qua domo præceptum eſſet intelligendum. Intelligitur ergo מסופו, id eſt, ex fine iſtius rei, de qua agitur, qualis ſit illa domus, quam Deus vult deſtrui, quæ nimirum ædificata fuerit ex lapidibus, lignis & luto: itaque monent RR. huic legi obnoxiam non fuiſſe domum illam, cui una res ex tribus iſtis deeſſet, ut puta, ſi fuiſſet ſimilis paſtorum mapalibus, aut Troglodytarum cavernis, aut Gedroſorum ædiculis, quarum fores erant ex belluarum maxillis, & tecta ex aſſibus.

XIII.

XIII.

Decimus Tertius & ultimus Modus his affertur verbis: שני כתובים המכחישים זה את זה. עד שיבא הפסוק השלישי ויבריע ביניהם: id eſt, duo loci Scripturæ inter ſe contrarii videntur, donec accedat verſus tertius, qui inter eos, excitatam velut litem dirimat.

Cum in ſacris paginis occurrunt duo verſus, qui pugnare inter ſe videntur, noli ſtatim exiſtimare eſſe contrarios, ſed animum adverte ad ea, quæ poſtea eadem de re ſcribuntur. Nam locum aliquem tibi Scriptura ſuppeditabit, qui litem & controverſiam dirimet. Ex eoque diſces; quemadmodum uterque locus ſit exponendus.

Tradunt enim RR. nefas eſſe exiſtimare in ſacris paginis legi reperirive quidquam quod ſibi repugnet. Hujuſcemodi exemplum ſumunt ex Numeror. cap. 7. vſ. ult. *Cum veniret Moſes in tabernaculum conventus.* Et ex cap, 40. verſ. 34. Exodi, *Non potuit Moſes ingredi ad tabernaculum conventus.*

Hic, ut vides, Moſes dicitur ingredi & non ingredi tabernaculum; quæ duo pugnare

gnare videntur. Propterea addidit Scriptura, *quia habitavit ſuper illud nubes.* Quæ verba contrarietatem dirimunt, ita ut ſit iſte ſenſus, Moſem intraſſe quidem in tabernaculum, cum nubes illud non occuparet; at cum occuparet, non potuiſſe intrare.

FINIS.

לקט פלוני אלמוני

id eſt,

Specilegium, aliquot Librorum

Anonymorum & Pſeu-donymorum,

Qui Lingua RABBINICA partim impreſſi, partim MSSti reperiuntur.

Collectum a

M. GABRIELE GRODDECK,

GEDANENSI,

Ol. Linguar. Oriental. & Thalmud. in Acad. Lipſienſ. Prof. Publ. Extraord. ac Collegii B. Mariæ Virginis Collegiato; ante obitum Gymnaſii ſui Patrii Rectore Meritiſſimo.

Firmatum atque auctum hinc inde Notis doctiſſimis

EDZARDIANIS, NORMANNIANIS

ALIISQUE.

DE SCRIPTORIBUS RABBINICIS,

Librorum Anonymorum & Pſeudonymorum.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

א.

1. אבו אלמשאר. vulgo *Albumaſar* Arabs Aſtrologus magni nominis, ſcripſit de magnis conjunctionibus, annorum revolutionibus & profectionibus libros octo. In linguam Hebraicam tranſlatus auctore anonymo. Bartolocc. 1. 3.

2. אב ואם. *Av Vaem: Pater & Mater*, notante *Normanno* ex Biblioth. Rabb. *Buxtorffii* & Hotting. Promt. Or. p. 42. eſt liber grammaticus, conſignatus a *R. Juda Ben Keriſch.*

3. אבודרהם *Abudraham*, referente *Cavio*, eſt liber ritualis, Venet. Anno Chriſti 1566. in lucem publicam editus, auctore R. *David Abudraham*, inſigni aſtronomo conf. *Buxtorffii* Biblioth. Rabbin.

4. אבן בוחן *Evan Bochan.* Diſputatio Judæi cum Chriſtiano de libris V. T. Judæorum & Evangelio Chriſtianorum, qui in forma dialogi loquentes introducuntur, ita, ut notante Normanno Chriſtianismus ſubvertatur. MS. extat in Biblioth. Lugd. Batav. In libro Juchaſin fol. 133. col. 2. Zemach David & apud *Buxtorffium* adſcribitur R. *Iſaaco Sprot.* Autor vero libri שפתי ישינים & *Bartoloccius* IV. 408. verum ejus libri Autorem eſſe dicunt. R. *Schem Tov* fil. R. Iſaac Sprot.

5. אבן בוחן *Evan Bochan*, *Lapis probationis*, diverſus plane a præcedente liber eſt, quem Dn. *Edzardus* adfert Venet. 4to Ao. 306. impreſſum, Semeioticæ & therapeuticæ moralis ſpeciem habentem, auctore *Kalonymo*, filio R. Kalonymi. Quod nomen ſuum expreſſe profitetur in fine libri, cum in fronte ejusdem generaliter ſaltem ex familia Kalonymi quendam ſe eſſe deſignet.

6. אבן גליון. *Even Giljaon.* *Bartoloccius* I. 12. dicit eſſe *Evangelium Matthæi Hebraicum*, barbare & inepte tranſlatum ab impio quodam vel Judæo vel Atheo. MS. reperitur inter opera modo nominati R. *Schem Tov Sprot* & ſeorſim etiam in Bibl. Rabbin. Vereor ne idem liber ſit cum præcedenti, n. 4. neque enim inſolitum *Bartoloccio* librorum

brorum titulos multiplicare. In loco ſupra citato priorem etiam librum Evangelium Matth. Hebraicum phraſi ineleganti ac barbara tranſlatum appellat. Forte utrobique fallitur. Ex Eliæ Hutteri verſione prodiit Matthæi Evangelium Hebr. Norimb. 1670. 4to & 1590. fol.

7. אבן שועי *Even Schoi*, *Lapis clamoris mei*, Commentarius in legem. *Cavius* obſervat, *Hottingerum* Biblioth. Orient. c. 1. p. 5. potius legere, *Ibn Schoüb*, ut ſit nomen proprium autoris, qui celebrem ſcripſit in Legem commentarium.

7. *a* אבן יחייה, *Aben Jechia*. Comm. in Hagiographa & V. Megilloth, allegat. in Zemach Dav. f. 35. ap. Buxt. dicitur. Hujus commentarii Philoſophici auctor eſt *Don Joſeph*. fil. Don *David Abben Jechija*, impr. Bolon. A. 298. fol.

8. אבן שתיית (pro quo *Bartolocc. legi* vult אבן שתיא) *Even Schattijah*. *Lupis fundamenti* Liber Theologicus in IV. partes diviſus. In I. agitur de Eſſentia Dei. In II. de Providentia Dei., in III. de Legis ſcientia, in 4. de Obſervatione Præceptorum legis. MS. olim in Biblioth. Heidelbergenſi fuiſſe dicit *Buxtorffius* & ex eo *Hottinger*.

9. אגודה *Aguddah*, *Faſciculus*. Liber collectaneorum Talmudicorum, qui juxta

Aut. Schalſch. hakkab. Buxtorff. & Bartolocc. factus putatur a diſcipulis הר"אש, id eſt, *Aſther*, aut ex ejus prælectionibus collectus. At Autor libri שפתי ישינים (quem in poſterum compendii gratia ſemper citabimus ש'י) confectum ſcribit a R. *Alexandro* ſacerdote cognominato *Zuſlan* de Francofurto. Excuſus fuit Cracoviæ Ao. 331.

10. אגודת אזוב *Aguddath Eſov. Faſciculus Hyſſopi* explicatio rituum, qui in Tr. Talm. Bava Mezia & Bava Batra habentur, ad eum modum uti digeſtus eſt liber חושן המשפט. Conjunctim prodiit cum libro מרדכי גדולת Hanov. A. 375. fol

11. אגרת אורחות עולם *Iggeret orchot olàm. Epiſtola de viis mundi. Cavius* notat, librum eſſe Geographicum, continentem deſcriptiones Aſiæ, Africæ & Europæ 30. capp. Auctore R. *Abraham Peritſol*. Prodiit Veron. ann. ſupput. Jud. min. 285. 8vo.

12. אגרת האצטרולב *Iggeret haatzsrolæ. Epiſtola Aſtrolabii*. Tractat de Compoſitione & uſu Aſtrolabii. Citat Bartolocc. I. 58. IV. 287.

13. אגרת בעלי חיים *Iggeret baale chajim, Epiſtola Animalium*, in qua colloquuntur Homo; feræ, jumenta, aves, reptilia; & vires, virtutes, vitia, proprietates ac naturæ

naturæ ſingulorum explicantur. Ejus Epiſtolæ autor ignoratur, ſed dicitur ex Græco converſa eſſe in liguam Arabicam, ex qua deinde in Hebræum ſermonem illam vertit R. *Kalonymus.* Prodiit Mantuæ fol. 302. 8vo. Bartoloccium memoria fefellit, cum ex Græco in Arab. illam R. Kalonymum tranſtuliſſe & Hebraicum ejus interpretem ignorari ſcribit.

14. אגרת הויכנח *Iggereth havvicknach*, *Epiſtola Redargutionis*, diſputationem continens inter Philoſophiam & Theologiam, oſtendens illas inter ſe non pugnare, ac proinde non prohibitum eſſe Philoſophiam addiſcere. A Bartoloccio inter Anonymos Scriptores refertur & MS. in Vaticano reperiri dicitur. Quod ſi Buxtorffium vel Hottingerum conſuluiſſet, Autorem ejus *R. Schem Tov bar Joſeph ben Phalkira* eſſe & Pragæ A. 370. 8vo impreſſam cognoviſſet. Idem aſſeritur in ש״י.

15. אגרת החמדה *Iggeret hachemdah*, *Epiſtola deſiderii.* Theologico-Cabaliſticum MS. eſſe ex Hottingero ſcribit Bartolocc. Illi non conſtitit de Autore, qui eſt *Ramban ſ. Moſes Gerundenſis*, ex ש״י. Inter MSStos Codices, qui in Bibliotheca Regis Chriſtianiſſimi aſſervantur num. 176. olim hoc titulo epiſtolam vidi, in qua de laude & præ-

ſtantia Doctoris perplexorum agitur.

16. אגרת חמודות *Iggereth chamudoth*, *Epiſtola Deſiderabilium.* Librum Cabaliſticum eſſe & in præfatione libri Cozri citari ſcribit Buxtorff. pag. 431. & ex eo Bartolocc. Cl. Wagenſelius in præfat. lib. Sota quædam verba ex hac Epiſtola citans; autorem ejus nominat R. *Alia Chajim* cujus integrum nomen etiam exprimitur in ש"י R. *Elia Chajim Marcianus*, diciturque agere de animæ facultatibus.

17. אגרת הטיול *Iggereth hattjul. Epiſtola deambulationis* vel *oblectationis*, Pragæ impr. Plura de iſthac epiſtola non affert Buxtorff. nec Bartolocc. Sed ex ש"י conſtat, varios Sermones & explicationes ordine alphabetico complecti ſuper quatuor Scripturæ ſenſus literalem, anagogicum, allegoricum & myſticum. Ejus autor eſt excellens R. *Chajim ben Bezalaël*, impr. Pragæ. A. 365. 8vo.

18. אגרת הטעמים *Iggereth hatteamim. Epiſtola de Accentibus* explicans per modum Cabalæ accentus qui in gematria & tabellis memorialibus occurrere ſolent. Impr. Conſtantinop. Ao. 340. 8vo, ubi in fine libri reperitur nomen *Aharonis Abrahami*, quod an genuinum ejus nomen ſit, qui librum hunc compoſuit, non definio. Conjunctim etiam

etiam impreſſus reperitur cum libro שפעטל Hanov. Ao. 372. fol.

19. אגרת על יצירת האדם *Iggereth al jezirath haadam. Epiſtola de formatione Hominis*, Arabica lingua compoſita, & characteribus Rabbinicis exarata ab Anonymo, aſſervatur in Bibliotheca Vatic. aſſerente Bartolocc. I. 58.

20. אגרת מספרת יחסותא דצדיקי דארעא דישראל *Iggereth meſiphrat jachaſuta dezadike deara dejisrael. Epiſtola Genealogica Juſtorum Terræ Iſraelis.* Allegat Bartolocc. l. c. 8. III. 8. 31. catalogum eſſe dicens Sanctorum Patrum & Prophetarum itemque Rabbinorum inſignium, qui in Palæſtina ſepulti ſunt, ubi & Sepulturæ deſignentur ad uſum Hebræorum qui in terram Sanctam proficiſcuntur, Excuſ. in unico folio expanſo Venetiis Ao. 386. apud Bragadinos, & Veronæ Ao. 406.

21. אגרת הסודות *Iggereth haſſodoth. Epiſtola ſecretorum*, de rebus & myſteriis Meſſiæ agens. Hanc a Galatino ſæpe citari ad probanda myſteria de Meſſia, dicit Buxtorf. & ex eo Bartolocc.

22. אגרת עקרים האמונה *Iggereth ikkarim haemunah. Epiſtola fundamentorum fidei.* Hottingero citatur a Bartolocc.

23. אגרת שלומים *Iggereth ſchelomim.*

Epiſtola perfectorum modum tradens quomodo Epiſtolas terſe & nitide aliquis ſcribere & componere debeat. Impr. Baſil. Ao. 363. 8vo teſte ש״י.

24. אגרת שמואל *Iggereth ſchemuel.* Explanationem libri Ruth eſſe ſcribit ex Hottingero Bartolocc. Inſuper Commentarium Raſchi huic explanationi, R. Samueli די אוזידא *de Oſida* autoris ejus Epiſtolæ, annexum & Corigsmiæ prope Conſtantinop. Anno 353. 4to. impreſſum eſſe aſſerit autor libri ש״י.

25. אגרת התשובה *Iggereth hatteſchuvah. Epiſtola Pœnitentiæ* cujus ſine Autoris nomine meminit Buxtorff. Hotting. & Bartoloccius. Eſt is excellens R. *Jona Gerundenſis*, & in illa agitur de Pœnitentia & correctione vitæ, dividiturque in 7 partes ad num. 7. dierum hebdomadæ. Impr. Cracov. Ao. 346. & iterum Ao. 377. Pragæ Ao. 356. 4to. vide. ש״י.

25. *α* אדם קדמון *Adam kadmon*, *Homo primus*, Cabaliſticus liber, dicente Buxtorf. Ejus auctor R. *Iſaac Luria.*

26. אדם שכלי *Adam ſicli. Homo intellectualis*, de quo prolixe agunt Buxtorff. Plantavicius & Bartoloccius, non indicato Autoris nomine, quod tamen ex ש״י poſtea innotuit

notuit, ubi R. *Simeon ben Saul* libri autor appellatur.

27. אדרא רבא וזוטא *Iddera rabba veſota.* *Arca magna & parva* quos duos libros celebres Cabaliſticos eſſe ſed non impreſſos ex Buxtorff. Hotting. & Bartolocc. conſtat, qui etiam alium prolixum Commentarium ſuper has duas Arcas cujusdam Anonymi citant. Quædam ex duobus illis libris, Mantuanæ, Cremonenſi & Sulzbachianæ editioni libri Zohar inſerta ſunt, ſi non omnia. Demum Anno elapſi ſeculi octogeſimo quarto, cum textu originario correcto & punctato nec non in ſectiones & Paragraphos disſecto adjectis variis lectionibus & verſione Latina cum allegatione dictorum Biblicorum in lucem emiſit & in Tom. II. Kabbalæ denudatæ retulit Chriſtianus *Knorrig de Roſenroth*, qui in præf. ad Lectorem R. *Simeoni ben Jochai* illos attribuit, & priorem nempe Idram magnam, uberiorem explicationem libri Zeniutha, poſteriorem vero Supplementum illorum eſſe dicit, quæ in Idra magna nondum expreſſa ſatis tradita erant.

28, אהבת ציון *Ahavath Ziion*, *Amor Sionis* de quo Bartoloccius I. 89. & IV. 329. nihil aliud monet, quam quod liber ſit pro concionibus, qui tradit regulas & methodum

dum concionandi, autore incerto. Autor ש״י eum tribuit excellenti R. *Abraham* fil. R. *Moſis* Germani *Heilbrunnenſis*. qui ſcribit Commentarium eſſe elegantiſſimum in Scripturam & commentarios Raſchi, itemque v. megilloth, impr. Lublini Ao. 399. fol.

29. אהל יעקב *Obel Jaacob*, *Tabernaculum Jacob*. Miror Bartoloccium T. VI. pag. 329. hunc librum inter Anonymos recenſere & T. I. p. 88. aſſerere, ſe hunc titulum habere ex Buxtorffio & nihil aliud. Nam Buxtorffium evolventi plane aliud obvenit, qui hunc librum ſcribit eſſe expoſitionem ſuper librum Ikkarim (non pro concionibus, ut Bartol. IV. 320.) cujus autor R. *Jacob F. Schemuelis Capelman* Briſacenſis in 4to. Idem ex ש״י conſtat, ubi editiones notantur Cracov. Ao. 359. Baſileenſis Ao. 344. & alia in 4to. Ita in illorum gratiam tantum qui Bartoloccium legent, nec alios libros conſulere poſſunt, hunc Scriptorem hic inter Anonymos retulimus ut ſæpe alibi facimus, ubi nihil in magna Bibliotheca Rabbinica reperimus.

30. אולם והחיכל *Ulam vehahechal*, *Atrium & Templum*. Eſt Commentarius ſuper preces & ritus confitendi peccata, qui reperitur MS. in Biblioth. Vatic. teſte Bartolocc. Vidi

Vidi in Bibl. Regis Chriſtianiſſ. inter MStos Codices num. 165. 4to eodem titulo librum carminice ſcriptum qui eſt compendium precum.

31. אוצר הכבוד *Ozar hakkavod*, *Theſaurus gloriæ.* Talmudicum MSS. vocat Buxt. Ejus autor R. *Tuderos Hallevi*, explicatque hiſtorias Talmudicas. Reperitur MS. teſte ש"י,

32. אוצר עניים *Ozar aniim. Theſaurus Pauperum.* Eſt introductio in artem medicam. Extat MS. in Bibl. Vindobonenſi teſte *Spizelio.* Ex copioſiſſima & ſelectiſſima Bibliotheca D. Nicolai *Antonii* Regiorum Negociorum in curia Romana pro Hiſpaniarum Rege Catholico Procuratoris generalis, affirmat Bartolocc. in Addendis ad P. 1. p. 740. ſe recepiſſe librum cujus titulus eſt אוצר העניים *Theſaurus pauperum*, ſcriptum lingua Luſitanica ſed characteribus Rabbinicis qui complectitur 63. capitula, quibus multiplicia medicamenta traduntur, eaque facillima ad quaſcunque corporis infirmitates curandas. Ejus autor eſt quidam *Magiſter Julianus*, ut in principio & fine libri apparet. Sic enim poſt præludium initium ibi habet: E nel nombre del dio, che creao todas las coſas e nel mondo, ò acada una deglias dio ſo virtud para ovrar en todas aquellas

quellas coſas, che ſon el ſerviſio ò a prò del huomo, & qual dio al homi ſavi duhàà el ſientia para ovrar de cada una dellas ſeg un ſu virtud puande lo maeſtro Giulian de la merſed de Dios, e con la ſo ajuda quiendo fazer e acavaar eſta ovra, la qual ſia llamada *Teſoro de los Pauruves* &c.

33. אוצר לשון ערבי *Ozar leſchon arbi. Theſaurus linguæ Arabicæ.* Dictionarium Arabico-Hebraicum characteribus Rabbinicis exaratum in Bibliot. Vatic. extare ſcribit Bartol. 4. 301.

34. אור אמת *Or emeth. Lux Veritatis.* Ex Hotting. Bartolocc. 1. 95. ſcribit eſſe librum Criticum inter Philoſophicos retinendum.

35. אור תורת *Or torath Lux Legis.* Explanatio libri Eſther. Ex Hotting. Bartolocc. l. c. Alibi nec de hoc nec de priori ſcripto mentionem fieri video.

36. אור זרוע *Or ſerua, Lux Sata.* Tit. libri anonymi, tractat de Judicialibus & cæremonialibus rebus, quæ hodie ap. Hebræos ſunt in uſu. Extat MS. in Biblioth. Vatic. Bartol. l. c. Autor libri ש״י Autorem citat R. *Iſaacum Viennenſem* fil. Moſis cognomine ריא״ז, dicitque commentarium prolixum eſſe in Gemaram.

37. אור חדש *Or chadaſch, Lumen novum,*

vum, cujus libri Autor non indicatur in Edit. Prag. Ao. 360. fol. quem tamen nominat autor libri ש׳׳י quod ſit excellens R. *Levo* (Leo) *Pragenſis* eſtque comment. in megillath Eſther, quod Dnus Normannus jam notatum dederat; & in fine annectitur alius liber אור מצוה *Lumen Præcepti*, qui agit de ratione Luminum in feſto Encœniorum. A Bartoloccio plane hic liber prætermiſſus eſt.

38. אור החיים *Or hachajim. Lux vitæ.* Præter duos alios de quorum Autoribus conſtat, hunc Anonymum ex Buxtorf. affert Bartol. I. 96. dicitque eſſe hortatorium librum ad ſtudium Talmudis & dehortatorium a ſtudio Philoſophiæ excuſ. Ferraræ 4to.

39. אור יקר *Or jakar. Lux pretioſa.* Theologicum & Cabaliſticum librum dicit eſſe Bartol. I. 96. excuſum Lublini in fol. Non dubito, quin idem liber ſit, quem autor ש׳׳י fol. 34. prolixe ſub titulo לבוש אור יקרות recenſet, excuſ. Lublini Ao. 355. fol. ubi hoc uno volumine tres diſtinctos libros contineri ſcribit, quorum I. eſt Comment. in more Nevuchim. II. agit de Aſtronomia & ſanctificatione Menſis ex Maimonide, cui annexus Commentar. in librum צורת הארץ III. ſiſtit Commentarium in librum Rakanati, in Legem. Autor eſt R. *Mardochaus pulcher*, cujus plures libri ſub tit. לבוש exſtant.

40.

40. אור הנפש *Or hannepheſch. Lux Animæ.* Eſt ſuper Commentario Commentarii R. Abrahami Aben-Ezræ, & R. Moſis Nachmanidis in Pentateuchum Moſis. Reperitur MS. in Bibliotheca Vaticana per manum R. *Manoach bar Menachem* A. M. 5198. C. 1438. fol. pergam. Teſtis eſt Bartol. 1. 96. confer & ש״י.

41. אור השכל, *Or haſechel*, *Lumen Intellectus.* Sæpe citari in libro בוה שלום & Cabaliſticum eſſe, exiguæ utilitatis, non indicato auctoris nòmine, aſſerit Buxtorff. At hoc falſum eſt. Non enim eſt liber Cabaliſtic. ſed Comm. in libr. Rabboth, cujus auctor *Aba* id eſt. R. *Abrah. ben Aſcher.* v. ש״י Bartolocc. l. 1. 16.]

42. אור עינים *Or enajim*, *Lumen Oculorum*, Librum Cabaliſticum eſſe editum Cremonæ 4to, quem alius qudam in 613 Legis præcepta Commentarium vocat, ex Buxtorff. affirmat Batolocc. 1. 96. Duorum librorum hujusdem tituli meminit Autor ש״י, quorum unus compoſitus fuit per R. *Eliam Mantuanum*, alter autorem agnoſcit R. *Salomonem* fil. *Abrahami*. Quem l. c. & IV. 289. Bartoloccius Anonymum librum porro affert אור ענ״ים *Lumen pauperum*, dictum, eum nullibi alibi reperio, videturque Bartol. unum librum cum altero confundere,

fundere, quorum poſterior nunquam in re-rum natura extitit; nec ejus titulus quod Bartol. aſſerit, a Buxtorfio allegatur.

43. ס׳האורה *Sepher haorah*, *Liber Lucis.* Librum Cabaliſticum nunquam excuſum autoris anonymi ex Plantavitio adducit Bartol. II. 383. Buxtorfius p. 438. cum R. *Joſepho Gecatilia* attribuit.

44. אות אמת *Oth emeth*, *Signum Veritatis.* Præter illum cujus autor eſt R. *Meir Bombanaſſe*, Bartolocc. I. 96. ex Plantavicio hunc tanquam anonymum affert, quem dicit indicare omnes & ſingulos interpretes cujuſcunque loci S. Scripturæ a Geneſi usque ad calcem Malachiæ Prophetæ. Venetiis excuſum in Indice Librorum Hebræorum Biblioth. Seren. Chriſtinæ Reginæ Suecorum in 4. notari idem aſſerit.

45. אות נפש *Oth nepheſch*, *Signum animæ.* Elucidationem in quædam Aben Ezræ Commentaria eſſe ex Buxtorf. Bartol. I. 97. IV. 330. aſſerit. Idem dicitur in ש״י & MS. Amſtelodami aſſervari.

46. ס׳האותיות *Sepher haothijoth*, *Liber literarum.* Duplex ſub hoc titulo absque Autoris nomine liber notatur apud Bartol. I. 97. IV. 330. quorum alter myſticam continet literarum expoſitionem, alter diſputationem & contentionem literarum inter ſe de prima-

tu & potiori dignitate. Uterque in Bibl. Vat. MS. reperitur. A priori illo non diverſum eſſe exiſtimo, quem MS. in Bibliot. Lugdun. Batav. aſſervari ait R. Schabtai in ש"י.

47. איומה כנדגלות: *Ajummah kenidgaloth*, *terrifica ut vexillo inſignita.* In libro Caphthor citari ſcribit Buxt. Auctor ejus eſt R. *Iſaac Onkenira*, & tractat proverbia parabolasque. Impr. CPli.

48. איל משולש, *Ajil meſchulaſch*, *Aries in cuſtodiam depoſitus.* MS. ejusdem autoris eſſe qui ſcripſit librum אף הכמתי רפואה, quem tamen utrobique non nominat, ait autor libri ש"י, & Bartol. 1. 745

49. אילה שלוחה, *Ajilah ſcheluchah*, *Cerva emiſſa.* Bartol. 1. 98. & Buxtorf. ſcribit commentarium eſſe in 613. præcepta Moſaica, ex quo Chriſtianus Gerſon Judæus converſus, aliquot ad evertendam Judæorum credulitatem teſtimonia adducit. Ille qui in ש"י ſub hoc titulo liber recenſetur, adſcribitur excellenti Doctori R. *Naphtali ben Aſcher Altſchuler*, diciturque eſſe ſufficiens Commentarius Grammaticus abbreviatus in integram Scripturam Sacram, ex variis commentatoribus Grammaticis conquiſitus, impr. Cracov. A. 312. fol. Neſcio an Buxtorffio hoc loco fides debeatur inprimis cum ipſe librum

librum a ſe nunquam viſum eſſe innuat.

50. ס׳אילים vel אלם *illem* vel *ſepher elim*, *Liber planitei.* In Indice librorum Hebraicorum Reginæ Sueciæ notatum at non repertum a ſe eſſe ſcribit Bartol. I. 183. IV. 330. dubitat an idem liber ſit cum illo R. *Joſeph del medico* Amſtelod. impr. qui eundem titulum habet.

51. אכלה ואכלה *Ochla veochla*, *Cibus & Cibus.* Maſoræ initium hoc erat, ideo hoc titulo ſeu nomine ſæpe allegatur. Innumeri autem libri ibi inſuper citantur, qui partim MSSt. aſſervantur, partim periere, & de quorum autoribus nihil amplius certi conſtat. vid. Buxtorf. pag. 438. & ש׳י De Maſſoræ autoribus vero, & conditoribus hic nihil attinet dicere. Legi in hanc rem præ aliis poſſunt Richardus *Simon* dans l'Hiſtoire Critique du vieux Teſtament liv. I. chap. 24, 25, 26.

52. 53. אלדד הדני *Eldad haddani*, *Eldad Danita.* Eſt fabuloſa narratio Eldadis Danitæ ex tribu Dan, ſeu verius cujusdam impoſtoris Judæi, qui ſub nomine Eldad fabulam de fluvio Sabbatico, & decem Tribubus illic deliteſcentibus inter Judæos ſparſit, ut antiquorum Rabbinorum de hoc flumine ſententiam & Tribubus confirmaret, & ſpem de illorum liberatione majorem in ani-

mos induceret. Hanc prolixe examinat & pleraque ejus excerpit Bartoloccius I. 100. ſeqq. ubi pag. 129. oſtendit, ipſis Judæis non liquere, quo tempore Hebraice hæc epiſtola ſcripta fuerit. Prodiit Conſtantinop. Ao. 278. 4to. & cum libro דברי הימים של משה aliisque Tractatibus Venet. Ao. 304. & 365. 8vo. Eleganter in latinum Sermonem vertit G. *Genebrardus* in fine Chronologiæ Hebræorum pag. 53. edit Pariſ. fol. Ao. 1600. in qua verſione nonnulla emendat Bartoloc. l. c. 128. Diverſus eſſe hic liber ab alio Prophetiæ libro אלדד ומידד, de quibus Num. XI: 26. cujus teſtimonio utitur *Hermas Paſtor* lib. 2. quem tamen rectius *Athanaſius* in ſyn. S. Script. pro ſpurio habet. Conf. *Sixtus Senenſis* l. 2. lit. H. pag. 83. & *Lambecius* prodr. hiſt. literar. pag. 153. qui pag. 203. librum *Eldad Danitæ* iterum edere promiſit. Plura de hoc libro in nova Bibliotheca noſtra Rabbinica & Tr. de Scriptis pſeudepigraphis Judæorum dicemus.

54. אליהו רבא וזוטא *Eliahi rabba veſota*, *Elias Magnus & parvus*. Bartol. I. 133. 182. ſcribit duos hos libros MStos extare in Biblioth. Vat. fol. Pergam. A. M. 4833. C. 1037. exaratos, in quibus agitur de aliquot viſionibus & apparitionibus factis, ab Elia Propheta.

55. אלימלך *Elimelech, Deus meus Rex.* Meminit *Genebrardus* Tituli libri in ſuo parvo Catalogo librorum. vid. ipſius Iſagog. ad legenda Scripta Hebraica ſine punctis pag. 145.

56. אלעזר *Eleazar* Titulum libri eſſe affirmat Bartol. I. 221. quo agitur de rebus Aſtronomicis & Geometricis, potiſſimum de motu ſeptem Planetarum, de Climatibus mundi &c. Extat. MS. in Bibl. Vatic.

57. אם הילד *Em hajeled. Mater pueri.* Liber parvus grammaticalis ut notat Buxtorf. & ex Hotting. Bartol. I. 269. Autor libri ש״י attribuit illum R. *Joſeph bar Elchanan Heilbrun*, dicitque grammaticam parvam eſſe pro pueris, terſe lingua Germanica characteribus Rabbinicis exaratam, Pragæque impreſſam 8.

58. ס׳האמונה *Sepher haemunah, Liber fidei* defenſionem continens fidei Chriſtianæ contra Judæos, cum Refutatione argumentorum, Autore incognito, ſed qui ex Judæo factus fuerat Chriſtianus. Excuſum Isnæ cum verſ. Lat. Pauli Fagii Ao. 1542. 4to laudat Bartol. IV. 301. & I. 370. ubi Syllogen capitum recenſet. Similem librum MSt. Bibl. Vat. adducit I. 369. ſeq.

59. אמרות טהרות *Amaroth thaharoth. Eloquia munda* ex Plantavitio affert Bartol. I.

374. quem continere ait nonnullas concio-nes *ſuper legem*, ſecundum ſeriem paraſchijoth. *Uterque* fallitur, nam agit de pœnitèntia *& timore*, autore Don *Abraham* האין impr. Theſſalon. Ao. 356. vid. ש׳׳י.

60. אמרי שפר *Imre ſcepher*, *Verba pulchritudinis*, Venet. 4to. Normannus ex Catal. Biblioth. Erpen. pag. 15. R. *Abſolomo Misrachi* l. orientalis tribus obſervat, confirmante Buxtorfio Biblioth. Rabb. pag. 315. ex Balmeſii Gram. pag. 70. At, quod idem Normannus denuo notat, a Rob. *Martinio* Catal. pag. 63 Rob. *Naphtali Germano* adſcribitur, niſi forſan diſtinctum hujus ſit opus.

61. אמרי נועם *Imre noam*, *Verba jucunda* pro quo Bartol. I. 374 אמרי נעם ſcripſit, ex Plantavicio aſſerens commentarium concionatorium eſſe, compoſitum in uſum concionatorum. Ex Buxtorfio tamen conſtat, ejus Autorem eſſe R. *Obadiam Safornum*, ſeu juxta autorem ש׳׳י R. *Jacobum Deliskas*, eſtque Comment. literalis, allegoricus & gematricus in legem & nonnulla Aben Ezræ Raſchiique impr. Conſtantin. Ao. 300. Cremonæ A. 326. & Cracoviæ. A. 358. 4to.

62. אף הכמתי רפואה *Aph Chachamtirephua. Etiam ſapui medicinam* Titulum libri Medici MS. adducunt Hotting. Bartol & ש׳׳י

ש״י, nihilque aliud. Vid ſupra איל משילש. continentis res profundas de myſteriis Cabalæ. R. Schabtai in ש״י ejus autorem vocat R. *Abraham Saſon*, & alteram partem dicit eſſe libri קול ששון impr. Venet. A. 369. 8.

63. אפריון שלמה *Appirion Schelomoh Thalamus Salomonis*, Buxtorfius & ex Hottingero Bartol. I. 428. ſcribunt titulum libelli eſſe.

64. ארגוזה *Araguſa Irritatio.* Liber cantiones de medicina continens, cum Comment. & Animadverſ. Averroïs, MS aſſervatur in Bibl. Vindobonenſi S. C. Maj. ut notatum eſt in ש״י.

65. ארזי לבנון *Arſe Lebanon Cedri Libani.* Liber incerti autoris complectens, alios ſeptem libros ſ. Tractatus diverſos, quos recenſet Bartol. I. 430. & R. Schabtai in ש״י, qui præter editionem Venetam A. 361. Cracovienſem notat. A. 408. 4to.

66. ארחות צדיקים *Orchoth Zaddikim, Semita Juſtorum*, quem librum Bartol. bis recenſet I. 96. 469. & Ethica præcepta continere ex Hotting. obſervat. Autor ש״י ex 28. capp hunc librum præſtantiſſimum conſtare ſcribit, & de facultatibus hominis rationalis agere impr. Prag. 341. 4to. qui etiam ideo סהמידות ſ. de facultatibus inſcribitur, ut Maimon. in comment. ad cap. IV. Tr.

Pirke avoth eum citat, & in Germanicam linguam translatus prodiit Iſen. A. 302. 4to. Buxtorfius hoc titulo librum parvum ethicum & moralem, ad vitam ſecundum virtutem inſtituendam Conſtantinop. impreſſum citat quem R. *Eliëſeri* attribuit. Hic conjunctim excuſus fuit cum libro *Benſira* Venet. A. 304. & a *Pelicano* latinitate donatus.

67. ארטוס הוב *Artus Hov*, *Aula Artus Regis*, titulus Germanicus uti etiam hac lingua at characteribus Rabbinicis liber proſtat Pragæ & Amſtelod. impreſſus. Continet autem pulchram Hiſtoriam cujusdam Regis nomine *Artus* viri fortis, qui Gigantes interfecerit, uti refertur in ש״י Bartol. nihil dicit, quando I. 431. ſcribit hiſtoriam Regis Artus eſſe, qui ad menſam rotundam ſedebat, quæ caſu confracta eſt. Extat MS. in Bibl. Vatic. ubi ex lingua *Hiſpanica* in *Hebraicam* fertur translatus eſſe.

ב.

68. באר הגולה *Beer Haggolah Fons captivitatis* Bartol. ex Buxtorfio I. 503. IV. 331. ſcribit elucidationem eſſe omnium dictorum Talmudicorum, quæ prima fronte abſurda vel paradoxa videntur. Ex ש״י apparet, libri Autorem eſſe excellentem R. *Judam Leonem fil. Bezalael* impreſſumque Pragæ A. 358. fol. Ibidem

dem additur, alteram libri תפארת ישראל partem hoc nomine venire.

69. באר משה *Beer Moſcheh*, *Puteus Moſis* vel ut Bartol. *explanavit Moſes*, liber eſt explicans germanice voces difficiliores, quæ in Moſe habentur, cui alter liber inſcriptus לקח טוב *Doctrina bona* ſubjungitur, qui eſt quaſi lexicon germanicum reliquorum omnium librorum Biblicorum, impr. Pragæ A. 364. 4to. notante ex Buxtorf. Bartoloccio I. 503. IV. 314 ubi à Theod. *Hackſpanio* in præfat. ad libr. Nizachon. p. 220. ejus ſubinde mentionem fieri animadvertitur. Ex ש״י patet autorem utriusque libri eſſe R. *Moſen ben Iſaſchar Hallevi*, iterumque cum præfatione Autoris libri ש״י impreſſum fuiſſe Pragæ A. 429. 4to.

70. באור הרוח תשוב *Biur Haruach Thaſcubph*, *Explanatio Spiritus revertentis* liber Cabaliſticus à Bartol. I. 653. allegatus.

71. באור שם המפורש *Biur Schem Hamphoraſch Explanatio nominis Explicati ſ. DEI* Plures apud Hebræos inveniri libros Cabaliſticos omnes fere MSS. & ſine nomine Autoris qui de nomine τετραγραμμάτῳ יהוה tractant, ſcribit Bartol. I. 654.

72. באורים שם העצם *Biurim Schem Haëzem*, *Explanationes nominis Eſſentialis (DEI)* Liber Cabaliſticus nunquam excuſus, Romæ

in Bibl. Medicæa extat ex teſtimonio Plantavicii, & ex illo Bartol. c.

73. בגידת הזמן *Begidath Haſſeman*, *Perfidia Temporis*. Agit de malis quæ juſtis obveniunt, rythmice docetque in DEO fiduciam ponendam eſſe. Impr. Pragæ A. 284. & Amſtelod. A. 410. 8vo vid. ש״י.

74. ס׳הבהיר *Sepher Habbahir*, *liber Illuſtris*. Eſt Cabaliſticus, & ut Judæi volunt omnium Rabbinicorum antiquiſſimus de profunda Cabala & myſteriis nominum divinorum conſcriptus. Ejus quidem autor communiter fertur eſſe R. *Nechonja ben Hakkana*, qui σύγχρονος fuit Jonathani paraphraſtæ annis 30. aut 40. ante Chriſtum, cujus etiam frequens in Talmude mentio. A quodam recentiore tamen illum ſcriptum eſſe volunt Ludov. *Capellus* in Arcano Punctat. Revel. l. 2. c. 3. & Joh. *Morinus* in Exerc. Biblicis p. 370. ſqq. Buxtorfii ætate hic liber ob arcanam ſapientiam nondum integer impreſſus erat, ut teſtatur in libr. de Abbreviat. p. 146. in Bibl Rabbin. p. 319. quamvis in libro Zohar alibique aliqua ejus inſerta eſſent, prodiit tandem poſtea inſtantibus Polonis judæis & editionem per quendam urgentibus Amſtelodami A. 411. 4to at pauciſſima tantum exemplaria impreſſa ſunt, adeoque liber rariſſimus eſt. Elegans MS. in 4to vidi in Biblioth.

blioth. R. C. n. 205. Extat etiam inter Cod. Warner. n. 23. 4to in Bibliot. Lugd. Batava. De hoc libro alibi volente DEO plura dicemus.

75. בחינת עולם *Bechinath Olam Examen mundi*, liber celebris, cujus autorem eſſe R. *Jedajah ben Abraham Happenini* cognomine *Habbedraſchi*, inter omnes convenit, ut neſciam quid Davidi Ganz in mentem venerit, ut ad ann. 58. ſeptimillenarii illum R. *Jacobum* vocet: conf. Bartol. III. 6. & 841.

76. בית אלהים *Beth Elohim. Domus DEI.* Plures hoc titulo libri extant. Ille tamen quem Bartol. I. 654. inter Anonymos refert, & quem ex Hotting. ait magnæ apud judæos autoritatis eſſe idem eſt cum illo, quem hoc titulo R. *Moſes ben R. Joſeph de Trani* compoſuit. Eodem titulo Commentarium in midraſch rabba extare ſcribit Autor ש״י.

77. בית מדות *Beth Middoth Domus morum* liber Ethicus, qui citatur in libello ראשית חכמה f. 103. ex Buxtorfio Bartol. I. 654. In ש״י idem dicitur & R. *Aben Ezra* attribuitur.

78. בית מועד *Beth Moed*, *Domus Conventus* præter illum, qui eſt R. *Menachem Rabba* & conciones feſtales continet, alium legalem anonymi ex Plantavitio affert Bartol. I. c.

l. c. Eſt hic ſecunda pars libri עבורת הקודש cujus autor הרש ב א, impr. Venet. A. 362. 4to de quo in ש״י.

79. בית נאמן *Beth Neeman*, *Domus firma*. Liber Concionum Anonymo autore excuſus Theſſalonicæ A. 307. in 4to ex Plantavitio allatus à Bartol. l. c. & in ש״י.

80. בית עוזיעלי *Beth Uzieli*, *Domus Uzielis*, ſunt 16. ſermones ſuper nonnullas Pentateuchi ſectiones, excuſi Venet. A. 360. aut 364. juxta ש״י in 4to. Autorem ignoravit Bartol. I. 655. I. 555. IV. 291. qui eſt excellens Doctor *Jehuda Uziel*, teſte R. Schabtai in ש״י.

81. בן דעת *Ben Daath*. *Filius ſcientiæ* ex Hotting. Bartol. I. 671. ſcribit quod ſit explanatio in Pſalmos, quæ inter libros ſereniſſimæ Reginæ Sueciæ olim extitit. Pleniorem hujus libri notitiam dat autor ש״י pag. 86. b. qui hunc librum attribuit R. *Akſilrad* cognom. *Bandit*, fil. Joſeph. Levi & 150 ſermones in Pſalmos literaliter explicatos eſſe ſcribit. Excuſ. una cum comm. *Kafvenaki* in Pſalmos Hanov. Ao. 376. 4to.

82. בן לענה ובן תגלה *Filius Laanah* & *Filius Thagla* de duobus iſtis libris integra Bartoloccii verba hic appono ex 1.689. „ Nomina ſunt, inquit duorum librorum, „ quorum meminit R. Azarias de Rubeis

„ in

„ in Meor Enajim c. 2. p. 21. eosque con-
„ tinere multas parabolas, ænigmata & e-
„ ruditas ſententias ad morem libri Eccle-
„ ſiaſtici. Quamvis nonnulla vana, otioſa
„ & nullius utilitatis inter eas permixta
„ ſunt, quæ ſub nomine *Ben Sira* (eo quia
„ iſti libri una ſimul cum Benſira ſeu Ec-
„ cleſiaſtici libro olim circumferebantur, ut
„ credidit idem R. Azarias)- Illorum lectio
„ prohibita fuit in Talmude Codice Sanhe-
„ drin. chelek - -, ut ſupra notavimus in
„ Benſira ſeniore num. 349. Sed de his li-
„ bris nullam memoriam inter nos extare
„ crediderim; nullum enim Autorem, qui
„ de his mentionem faciat, adinvenire po-
„ tui, ideo non inter nos ſed inter Judæos
„ eosque aliquando forſan evulgatos fuiſſe,
„ & cum ſuo Ben Sira conjunctos extitiſſe
„ credendum eſt. Hucusque Bartoloccius,
quæ alio loco a nobis examinantur.

83. בן המלך והנזיר *Ben hammelech ve-hannaſir*, *Filius Regis & Nazaræus*, Hoc libro continentur quæſtiones & Diſputationes inter Regem & Nazaræum qui rhythmice ad colloquium introducuntur. Græce primum ſcriptus & in Arabicum Idioma tranſlatus dicitur ex quo deinceps Hebræum fecit *Abraham bar Chasdai hallevi.* Excuſ. Ferrariæ & Mantuæ Ao. 317. 8vo. Elegans

etiam

etiam MS. vidi in Biblioth. R. C. n. 175. fol. Bartoloccius quando I. 27. hunc librum recenſet, quatuor in uno libro errores committit (1) librum compoſitum ſcribit ab Autore illo, quem tantum illum tranſtuliſſe conſtat (2) Autorem appellat R. *Abraham bar Chaſariel*, quem tamen Buxtorf. & R. Schabtai, *Abraham bar Chasdai* vocant. (3) Libri titulum ponit & pronuntiat בן המלך והנזיר pro הנזיר. (4) E Græco in Hebræum & ex Hebræo in Arabicum idioma tranſlatum ſcribit, cum contrarium dicere debuerit; omittit etiam Ferrarienſ. editionem notare. Ex hoc uno loco de aliis erroribus Lector judicare poterit, qui multoties in confuſis Bartoloccii operibus reperiuntur, quæ alibi DEO dante purgabimus.

84. בן משלי *Ben miſchle*, *Filius proverbiorum*, obſervante ex Biblioth. Rabb. pag. 440 Domino *Edzardo* & *Normanno*, qui idem inſuper ex *Hotting*. promt. Or. p. 50. confirmat. Eſt liber carmina & rhythmos continens, autore R. *Samuel Hannagid* qui ante 700 annos vixit, vel ut alii putant, R. *Jehudah Aben Tybbon.*

85. בן סירא *Ben Sira*: hic liber a noſtris *Eccleſiaſticus* dictus, communiter *Jeſu ben Sira*, a nonnullis etiam *Joſua ben Saruk* adſcri-

adſcribitur, in cujus veritate examinanda prolixus eſt Bartolocc. 1. 678. ſeqq. Alius hoc nomine inter Judæos circumfertur liber, quem iſti a Ben Sira filio Jeremiæ Prophetæ compoſitum impudenter fingunt, (etſi Maimonides in præfat. ad c. 10. Tr. Sanhedr. ap. Pocock. in Porta Moſis. p. 163. inter hæreticos libros illum referat) continens ſerie Alphabetica varias ſententias morales, qui partim Hebraice partim a Paulo *Fagio* & Joh. *Druſio* latine redditus aliquoties excuſus fuit, quo de conf. Buxtorf. Bartolocc. 1. 684. ſeqq. & noſtram Biblioth. Rabbin. quæ propediem lucem aſpiciet.

86. בני שמואל *Bene ſchemuel*, *filii Samuelis*, Commentarius in Arba Turim, cujus Autor fertur R. *Samuel de Modena* quod dubie aſſerit Autor ש"י.

87. בעל הטורים *Baal batturim*, *Autor linearum.* Normannus ex Elia Levit. præf. tert. Maſor hammaſor. pag. 91. adſcribit R. *Jacobo.*

88. בעלי אסופות *Baale aſuphoth*, *Auctores Collectionum.* Miſcellam variorum collectionem MS. eſſe, ex Buxtorf. tradit Bartolocc. 1. 689. & Autor ש"י.

89. בעלי חיים *Baale chajim*, *Hiſtoria Animalium* liber paſſim citatus a R. Levi ben Gerſon in Commentariis, præſertim in Pro-

Proverbia Salomonis, quod de ſic dicto libro ex Operibus Ariſtotelis in Hebræum converſo accipit Bartolocc. l. c.

90. ס'הבקבוק *Sepher habbakbuk, Liber Baucalis* ſeu *vinariæ Lagenæ* a Plantavitio allatus, qui tamen nec titulum nec argumentum ejus intellexit, oſtendente Bartolocc. 1. 693. qui exhortatorium ad hilaritatem in feſto Purim exercendam librum eſſe, & in Bibl. Vatic. ſub nomine מסכת פורים *Maſſechet Purim*. MS. aſſervari ſcribit.

91. בראשית רבא *Bereſcith rabba*, *Geneſis magna* vid. ad Tit. רבות.

92. ברית אברהם *Berith Abraham*, *fœdus Abrahami*: duplicem hoc titulo librum anonymum affert Bartol. 1. 698. alterum ex Buxtorfio, qui eſt libellus exiguus, docens quatuor ſpecies Arithmetices, editus Cracov. 8. (potius Pragæ) Hujus autor eſt R. *Abraham* ſcriba *Pragenſis*: alterum ex Plantavicio, quem vocat *librum Concionum* excuſum Lublini. Hujus poſterioris Autor in ש"י indicatur, qui eſt R. *Abraham* fil. *Samuelis Gedaliæ de Jeruſalem*, eſtque Commentarius in librum Ialkut magnæ apud Iudæos autoritatis, ſiquidem ex 90. & amplius libris compilatus dicitur, quorum Syllabus in præfat. legitur. Excuſus reperitur cum libro *Jalkut* in præſtantiſſima illius libri editione

tione Ligurnienſi quæ Ao. 410. duobus Voluminibus in folio lucem aſpexit.

93. ברית הלוי *Berith hallevi, fœdus Levi.* Commentarium in Leviticum anonymi Autoris eſſe ex Hotting. ſcribit Bartolocc. l. c. Alius hoc titulo liber reperitur in ש"י qui eſt Commentarius in preces & 613 præcepta, autoris R. *Eliæ* ben Abraham *hallevi Oettingenſis*, impr. Lublini Ao. 405. 4.

94. ברית מנוחה *Berith menuchah, fœdus quietis*, Librum Cabaliſticum vocat Buxtorf. Cujus auctor eſt R. *Abraham bar Iſaac* ex Rimmon Hiſpanus, eſtque multæ inter Judæos æſtimationis. Imp. Amſtel. 408. 4to. Alius hoc titulo Cabaliſticus liber Mſſ. extat, cujus autor R. *Chamai Gaon*.

95. ברכת המזון *Birchoth hammaſon, precationes cibi.* Preces a variis autoribus compoſitæ, ante & poſt menſam pro gratiarum actione recitandæ, quæ Hebraice & Germanice apud Judæos circumferuntur, diverſis in locis conjunctim impreſſæ, vid. infra tit. סדר תפלות.

96. ברכת מהר"ם *Birchath meharabbi Moſche, Precatio R. Moſis* agit de Benedictionibus ſ. Precibus, impr. Tridenti ad ripas Ao. 319 8vo ex ש"י.

97. בראנט שפיגל Brand-ſpiegel, Titulus Germanicus libri Rabbino-Germanici,

quod non intelligens Bartolocc. l. 699. ſcripſit Barnatt-ſpiegel, Judæis ס'המראה. Eſt autem liber Ethicus continens varia præcepta bene vivendi, hortans ad pietatem & omnis generis virtutes colendas & vitia fugienda. Autor ש"י illum attribuit R. Moſi *Hanocho* Hieroſolymitano; impreſſus fuit Pragæ Ao. 370. Cracoviæ & demum Francof. ad Mœn. Ao. 437. 4to.

98. בשם קדמון *Beſchem Kadmon*, *In nomine antiquo.* Libellum grammat. per brevem eſſe pro pueris, ſcribit Buxtorf. Exc. Venet. 357. 8vo. Ejus auctor eſt R. Moſes Provincialis.

99. בשר על גבי גחלים *Baſar al gabbe Gechalim*, *Normannus* ex R. Schabbethai ש"י refert ad R. *Samuelem Levitam*, licet alii R. *Tham*, R. *Bibi*, aut R. *Juda Gaon* tribuant.

ג.

100. גבעת המורה *Giſath hammore*, *Collis More* ex Buxtorf. inter Anonymos MS. a Bartol. 1. 704. relatus, eſt expoſitio in more Nevuchim, autore R. *Joſeph bar Iſaac hallevi*, cui animadverſiones R. *Jom Tov Lipman Levi Hdlev* additæ ſunt in edit. Prag. Ao. 372. 4to.

101.

101. גדולת מרדכי *Gedolath Mardochai*, *Magnificentia Mardochai*. Librum de Præceptis Moſaicis ex Hotting. citat Bartolocc. 1. 705. At potior fides habenda autori ש״י qui ſcribit additiones obſervationesque eſſe in librum מרדכי autoris R. *Baruch* fil. R. *David*, cui additus in fine liber אגודת אזוב cujus ſupra mentionem fecimus.

102. גורלות החול *Goraloth hachol*, *ſortes arenæ*, Librum geomanticum ad cognoſcendas res futuras recenſet Autor ש״י, qui plures tales libros Anonymos extare ſcribit. conf. eundem pag. 93. ſub tit. Urim Vethumim.

103. גידולי תרומה *Giddule theruma*, *Magnificentia oblationis*. Ex Hotting. de præceptis Moſaicis agere & inter libros Seren. Chriſtinæ in 4to, extare notat Bartol. 1. 705. Neſcio an huic aſſerto fidem habere debeam, & annon idem liber ſit cum illo, qui Venet. Ao. 403. fol. impreſſus, prolixum nec inelegantem Commentarium in librum תרומות continet, autore R. *Azaria* fil. R. *Ephraim*.

104. גלי רזיא *Gale raſaja*, *Revelans Arcana* (quam *Kircher*. Oedip. Ægypt. citat Razæ Galchiah, aſſerente Baylio in Dict. Hiſt. Crit. T. 1. p. 97. & a quo alium diverſum affert Wagenſeil. Tel. ign. Sat. pag.

321. ſq.) Hunc velut antiquiſſimum librum Judæorum, in quo fidei noſtræ & Trinitatis myſteria tam evidenter oſtenduntur, ut vix in Novo Teſtamento clarius cerni queant, ſæpiſſime citat Galatinus, & Rabbino vetuſtiſſimo רבינו הקדוש ſ. *Jehuda ſancto*, qui *Misnajoth* compoſuiſſe fertur, tribuit. At jamdudum obſervarunt viri docti & inter hos *Morinus* Exerc. Biblic. l. 1. exerc. 1. c. 2. fucum uti aliorum librorum Hebraicorum allegatione, ita potiſſimum hoc adducto libro Galatinum feciſſe, qui non tantum nullibi reperitur, Judaicisque ſcriptoribus omnibus prorſus ignotus eſt, & quo nec *Raimundus* aut *Porchetus*, e quibus reliqua fere ſibi compilavit *Galatinus*, utitur, verum etiam eo minus R. *Judæ Sancto* attribui, aut præcepta Evangelica continere poſſit, quo magis in libris Misnajoth omnia Ceremonialia Judaica explanantur, quæ cum Chriſtianorum myſteriis & dogmatibus pugnant, neque vero probabile ſit R. *Judam* memoratum in uno libro aſſerere voluiſſe, quæ in altero iterum deſtruat. Quas rationes etiam cum nimis fortes eſſe videret Bartoloccius, quam ut a quoquam ſanæ mentis in dubium vocari poſſent, ut Galatinum defenderet 1. 726. duos ex cerebro ſuo excogitavit *Rabbenu hakkadoſch*, unum poſt Chriſtum, tempore

pore Antonini Imperatoris; alium ante adadventum Domini, cui hunc librum tribuit. Circumſpectius Buxtorfius & cum eo Normannus, a recenti quodam ſcriptore Hebræo, illum R. *Abrahamo* ex diſcipulis הא״רי ſ. R. *Iſaac Luria* adſcribi notat, & legi in illo res tremendas & ſtupendas. At hoc de alio libro Cabaliſtico intelligendum venit, de quo agit autor ש״י, non vero de Utopico illo Galatini, qui ut nunquam in rerum natura extitit, ita multo minus alicui ſcriptori Judæo attribui poterit. Alium hoc titulo librum in Germania editum, & Chriſtiano II. Duci Saxoniæ inſcriptum a quodam *Julio Conrado Ottone Ex-Judæo*, in quo afferuntur aliquot e Talmudicis ad Trinitatem Chriſtianam aſſerendam loca, Latine & Germanice verſa aſſerit Joh. *Seldenus* de Synedr. II. 96.

105. ס׳הגן *Sepher haggan*, *Liber Horti* comment. in Legem ש״י.

106. גן המלך *Gan hammelech*, *Hortus Regis* comment. in lib. Zohar ex ſcriptis R. *Iſaaci Luria* collectus MS. recenſetur in ש״י.

ד.

107. דברי הימים של משה *Divre hajamim ſchel moſche, Verba dierum Moſis.* Liber anonymus, & ut fertur antiquus, in quo *vita & mors Moſis* ſtylo Hebraico facili fuſe deſcribitur, quamvis multa fabuloſa in eo permixta ſint, & idcirco uti ſimilis farinæ libri, ab ipſis Judæis imprimis Aben Ezra in comm. ſup. Exod. 3: 22. pro ſpurio venditetur. Edidit illum Hebraice & Latine una cum annexo tractatu פטירת משה *Exceſſus Moſis* & eruditis Additionibus Gilb. *Gaulmin* Pariſiis 1629. 8vo. In duobus libri hujus Hebraicis editionibus (neſcio an etiam in tertia vel potius prima Conſtantinop. Ao. 278.) Venetiis Ao. 304. & 365. 8vo. poſt recenſitum librum plures alii Tractatus autorum Anonymorum annectuntur, qui ſunt:

פטירת משה *Pethirath Moſche, Exceſſus Moſis.*

פטירת אהרן הכהן *Exceſſus Aaronis ſacerdotis.*

ס׳טאובי בן טוביאל *Liber Tobiæ filii Tobielis.*

ס׳ אלדד הדני *Liber Eldadis Danitæ.*

משלי סנדאבאר *Parabolæ Sandabaris.*

מעשה

מעשה של ירושלמי *Hiſtoria cujusdam Hieroſolymitani.*
ס׳חנוך *Liber Enochi.*
חידות איזופיטי *Fabulæ Æſopi.*
משלים של שלמה המלך *Parabolæ Salomonis Regis*, de quibus ſingulis ſuo loco.

107. *a* דברי מלכי בית שני *Difre malke beth ſcheni*, *Verba Regum templi ſecundi.* Annexus eſt libro Cabal. R. *Abraham ben David.* Venet. Ao. 305. impr. quem vide. Latine a Conr. *Pellicano* verſum in Bibl. Tigurinà aſſervari, aſſerit Buxtorf. Tr. Bibl. 296.

108. דברי נגידים *Verba Anteceſſorum.* Conciones Sabaticæ ex ש״י.

109. דברי נועם *Verba jucunda.* Conciones in legem, ex eod.

110. דברי השירה *Verba Cantici*, cantiones & poëmata Hebraice & Rabbino-Germanice in Judæorum expulſionem Francofurtanam impr. Amſtel. Ao. 408. 8vo.

111. דורות עולם *Doroth olam*, *Generationes ſeculi*, quem librum ignoti Autoris, cujus meminit autor Juchaſin, & quidem chronologicum eſſe ſcribit Bartol. II. 293. neſciens eundem librum eſſe cum libro hakkabala, R. *Abrahami ben Deor.*

112. דיתיקא חדתא *Daithica chaidatha*, *Teſtamentum Novum* in linguam Syriacam *Tremellio* (qui Bartol. 11. 294. *autor damnatæ memoriæ* audit) Latine verſum & adjecta Grammatica Chaldaica & Syriaca apud Henricum *Stephanum* excuſum fuit Ao. 1569. in fol.

113 דקדוק לשון הקודש *Dikduk leſchon hakkodeſch*, *Grammatica linguæ ſanctæ.* Anonymi autoris MS. Bibl. Vat. a Bartolocc. 11. 368 allata, qui autorem hunc *diligentem* & *accuratum Grammaticum* vocat. Plures libri Grammatici anonymi MSSpti extant, quorum aliquos notat Richardus *Simon* Hiſtor. Crit. du V. T. liv. 1. chap. 30, 31.

Opuſculum IV. Grammaticorum impreſſum eſt Venet. Ao. 306. 8vo. teſte Buxtorf. Bibl. p. 330. Iſtum librum Latine vertit Seb. *Munſterus*. ediditque Baſil. 1531. 8vo.

113. *a* דיקדוקי ר"שי *Dikduke Raſchi*, *Grammaticalia Raſchi*, Expoſitio locorum quæ Grammatice expoſuit R. *Salomon Izchaki* in ſuis commentariis, auctoris anonymi, adducta ap. Buxt. & in ש"י Exc. Venet. 320. 4to.

114. דרך ארץ *Derech erez*, *Via terræ* i. e. mores hominum. Titulus Tractatus incluſi in Corpore Juris Talmudici Babyloni-

ci,

ci, licet ad ipſum non pertineat. Hujus autor ignoratur, uti dicemus infra tit. תלמוד. Seorſim hic tractatus excuſus fuit ſed diverſo ordine ab eo, qui reperitur in corpore Juris Talmudici, Tridenti ad ripas Ao. 321. 8vo.

115. דרכי ציון *Darke Zijon*, *Via Zionis.* Liber Geographicus, monſtrans qua ratione aliquis ex omnibus terræ partibus in Palæſtinam & vicinæ Palæſtinæ loca venire queat; impr. Amſtel. Ao. 410. 4to.

116. דתי המלך *Dathe hammelech*, *Jura Regis.* De inſtitutione Regum, Juribus eorum & ſubjectione iis debita librum agere ex Plantavicio ſcribit Bartol. 11. 383. & ex eo autor ש״י.

ה.

117. הא הידיעה *He hajediah*, *He Demonſtrativum.* Liber parvus in 8vo in forma precationis compoſitus, cujus omnes literæ ab He incipiunt, ſuntque ultra bis mille. vid. ש״י.

117. *a.* הגדת פסח *Haggadath peſach*, *Hiſtoria Paſchatis.* Eſt illa ſectio, quæ ſub initium feſti Paſchalis in Synagogis legi ſolet, de cujus Autore non conſtat, cum & ipſe R. Abarbenel, qui præclaros in eam

c 5 com-

commentarios ſcripſit, Venet. Ao. 305. 4to. impreſſos, nullam de illius Autore mentionem faciat Hæc frequenter tum ſeorſim, tum cum Commentariis, Venetiis Amſtelod. alibique excuſa ſuit & præterea in omnibus precum libris legitur. *Italice* characteribus Rabbinicis, adjunctis diverſis precibus & compoſitionibus rhytmicis illam edidit *Leo de Modena*, teſte Bartol. IV. 306. Alius hoc titulo anonymus liber extat Hebræo-Germanicus, agens de adornatione feſti Paſchatis, de cibis in eo coquendis, de precibus aliisque quæ ad celebrationem feſti illius ſpectant, impr. Venet. Ao. 369 Hunc Hebr. Germ. & Latine etiam edidit *Ruttangelius*, Regiomonti 1644. 4to

118. הגדת של יום שבועות *Haggadath ſchel jom ſchevuoth*, *Narratio feſtivitatis hebdomadum*, id eſt, Pentecoſtes in memoriam datæ legis in monte Sinai mſ. Bibl. Vatic. adducit *Bartolocc.* II. 764.

118. *α* הגדת שמואל *Haggadath ſchemuel*, *Narratio Samuelis* idem cum libro מדרש שמואל רבתא de quo ſuo loco.

118. β הגהות מיימוניות *Haggaboth Maimoijnoth*, *annotationes in Maimonidem*, textui ipſius in nonnullis exemplaribus additæ. Dominus Edzardus atque Normannus obſervant a nonnullis tribui anonymo cuidam

dam diſcipulo R. Meier, uti etiam Veneta editio Ao. 5310. Chriſti 1550. in titulo Maimonidis operibus dato; a Buxtorfio vero Biblioth. Rabb. p. 332 & aliis ipſi R. *Meir Rotenburgenſi*, *filio Baruch*: Quin nec deeſſe, qui diſcipulum illum R. Meier auctorem dicant *Mardochæum*, eosque ſequi etiam R. Gedaljam in Schalſcheleth haccabala fol. 58. b. edit. Cracov. Ao. 5361. Chriſti 1596.

118 γ הדרת קודש *Hadarath kodeſch*, *Decor ſanctitatis*. Librum Cabaliſticum in 4. Lublini exc. attulit Buxt. Auctor eſt R. *Simeon fil.* R. *Samuelis*. Exc. Friburgi Ao. 320. Lublini 349. 4to. Eſtque idem liber cum alio, qui dicitur אדם שכלי, quo de vid. ש׳י.

119. הולך תמים *Holech thamim*, *Ambulans perfecte*, quem Hottingerus dicit Commentarium eſſe in Leviticum, cum potius agat de 613. præceptis Judaicis, illa juxta quadruplicem ſcripturæ ſenſum explicans, autore R. *Abraham fil.* excell. Doct. *Iſaaci Chijuth* impr. Cracov. Anno 394. 4to. vid. ש׳י.

120. ס׳אולם והיכל *Sepher ulam vehechal*, *Liber Atrii & Templi* Anonymi tractatum ligata oratione compoſitum, de concluſionibus & caſibus pertinentibus ad ritum Pſallendi precesque alias perſolvendi & peccata

cata confitendi, MS. Biblioth. Vatic. recenſet Bart. IV. 303.

121. ספר הוראת הקורא *Sepher horaath hakkoreh*, *Liber Demonſtrationis lectionis* ut legit Bartol. IV. 301. cum potius legendum ſit הורית הקורא ſeu *Demonſtratio lectoris* (quemadmodum ipſe Bartoloc. IV. 522. hoc titulo librum adducens, diverſos libros facere videtur:) autoris anonymi, tractat de vero modo legendi & pronunciandi linguam Hebraicam, deque tota re Grammatica, & præſertim de punctis & accentibus, quem ex Arabica lingua in Hebraicam verſum a R. *Menachem ben Nathanael* MS in Bibliot. Vatic. extare ſcribit Bartol. Frequenter allegatur in טעמי המקרא alio libro Grammatico R. *Juda ben Bileami* Pariſiis A. 326. 4to impreſſo, & apud *Eliam Levitam* in tertia præfatione, cujus verba leguntur apud Joh. *Morinum* Exerc. Biblicar. p. 499.

122. הזהרת הלוין *Hasharath hallevin* Librum admonitorium eſſe ad fugiendum malum & bene faciendum MS. Bibl. Vatic. notat Bartol. IV. 303.

123. הלכות גדולות *Halachoth gedoloth decisiones magnæ* ſc. variorum caſuum ad tenorem ſex ordinum Talmudis Babylonici concinnatæ. Librum antiquiſſimum eſſe conſtat, ſiquidem in תוספות & aliis libris ritua-

ritualibus frequenter allegatur, absque tamen nomine Auctoris, in quo definiendo ipſi Rabbini variant. Nam R. *Moſis Mikkozi* in præfat. libri ſui de præceptis ejusque diſcipulus R. *Mardochai* magnus, in fine cap. ואלו מגלחין itemque R. *David Ganz* part. 1. fol. 35. col. 1. iſtud opus attribuunt cuidam ex *Gonim* R. *Jehuda* dicto, quem excerpta potius ex hoc libro non librum ipſum compilaſſe alii volunt, qui R. *Simeonem* (pro quo falſo Morinus legit Samuelem **Ex.** Bibl. pag. 252.) *Keiram* ejus autorem conſtituunt, quod faciunt R. *Jehuda Levita* in præf. huic libro præmiſſa, R. *Gedalia* in Schalſch. hakkab. f. 35. col. 2. R. *Schabtai* in ש"י, qui abhuc alium autorem juxta nonnullorum placitum nominat, nempe R. *Joſephum Tow Elem*, *Buxtorfius* in Bibl. Rabb. Batol. 111. 9 & Cl. *Zoega*, amicus noſter in Diſſ de Buccina c. 1. §. 5. in notis, aliique, quam litem componere noſtri jam non eſt iuſtituti. Impr. Venet. 308. fol. & juxta Bartol. iv. 425. etiam Conſtantinop. anno non notato. Celeberrimus *Normannus* ex pagina liminari ipſius libri hujus refert, quod ex ſententia R. Moſis Kozenſis in præfat. ס"מג R. *Jehuda Gaoni* tribuatur, quod tamen pag. ſeq. in dubium vocet R. Judas Levita, ex eo, quod mentio R. Jehndæ alicubi

bi tanquam alius fiat, qui nec pro R. Simeone Keira pronunciare audeat: & tandem addit, quod citra hæſitationem huic R. *Schimeoni Keiræ* vindicetur liber a R. Aboab Nomolog. 263.

124 הלכות דעות *Halachoth daoth* Libellus Ethicus ex Rambam, libello antiquo אבקת רוכל & הלכות דרך ארץ collectus, cui alius ejusdem argumenti adjunctus, qui vocatur חיי עולם Cracov. A. 355. 4to. Hæc ex Buxtorf. Bartolocc. II. 783. Latine ſub titulo *Canones ethici* cum notis edidit Georgius *Gentius* Amſtel. 1640. & 1653. 4to.

125. הנהגת המלכים *Hanhagath hammelachim*, *Inſtitutio Regum* liber in gratiam cujusdam Regis Galliæ per aliquos Philoſophos ſcriptus, agit de inſtitutione Regum & Principum, & qua ratione Regum filii a teneris ad probitatem educari variasque linguas addiſcere debeant. Diviſus eſt in libros & capita & Mſ. tantum reperitur, teſte R. Schabtai in ש״י. Extat etiam inter Codd. Warnerian. n. 9.

ו.

126. ווי עמודים *Vave amudim*, *uncini columnarum* cujus ſolum-titulum ex Indice librorum

librorum Sereniſſimæ Chriſtinæ fol. adducit Bartol. II. 803. & utrum liber ſit nec ne in dubio relinquit. Majorem de illo notitiam dat memoratus R. Schabtai in ש״י p. 79. ubi librum concionum præſtantiſſ. ſcribit eſſe ſuper Gemaram, juxta 6. columnas diſpoſitum, nempe Legem, cultum ſacrum, Retributionem mercedis, Judicium, veritatem & Pacem & in capita etiam diſſectum, auctore Excell. Doct. *Schabtai Schaptel.* Impreſſus reperitur Tom. II. libri שני לוחות הברית Amſtel. Ao. 413. in fol. excuſi.

127. ויקהל משה *Vaijakhel moſche*, & *congregavit Moſes*, Liber concionum, cujus auctorem detegit Excellentiſſimus *Cavius* R. *Moſen Almorinum.*

128. ויכוח *Vikuach*, *Diſputatio.* Plures hujusmodi Diſputationes inter Judæos & Chriſtianos habitæ, & in Bibl. Vatic. Mſſ. aſſervatæ recenſentur a Bartolocc. II. 806. ſqq. IV. 316. 336. quas omnes, cum in idem fere argumentum collineent, hic prolixius exponere haud exiſtimamus neceſſarium eſſe.

ז

129. זבח פסח *Sevach peſach*, *Sacrificium Paſchatis.* Præter illum, qui nomine Don *Iſaaci*

Iſaaci Abarbanelis proſtat, alium inter anonymos retulit Bartolocc. IV. 316. ſq. dicitque librum eſſe de præceptorum ratione, ubi quæ ad immolandam paſchalem victimam pertinebant, admiranda rerum copia deſcribuntur. Addit citari in lib. שבט יהודה attribuique R. *Emanueli Brundo*.

130. זוהר *Zohar*, *Splendor*, celebris Commentarius Cabaliſticus in Pentateuchum & V. Megilloth inter Judæos & Chriſtianos tantopere decantatus, & ni fallor quaſi pro divino libro habitus. Hunc a R. *Simeone fil. Jochai diſcipulo R. Akiva* in ſpelunca quadam terræ, in qua per annos 12. delituit metu Adriani Imperatoris Romani, circa A. C. 120. aut ante (non ante natum Chriſtum ut ſine teſtimonio ſcribit *Sixtus Senenſis* lib. IV. Bibl. S.) compoſitum fuiſſe, communis apud Judæos traditio eſt, quamvis alii ut autor libri *Juchaſin* fol. 42. col. 1. & 52. col. 2. R. *Gedalia* in Schalſch. fol. 31. R. David *Ganz* in Zemach David part. 1. fol. 42. col. 2. non ab ipſo Simeone, verum ſexaginta circiter annis poſt illius mortem a diſcipulis ejus ſcriptum aſſerunt, qui etiam tradunt, quod liber totus jam non inveniatur ſed aliquæ minimæ partes ſint, quas modo in uno volumine habemus, cum olim tantæ molis fuerit, ut nec Camelus illum portare

potuiſſet.

potuiſſet. Verum quicquid etiam pro antiquitate hujus libri ſtabilienda afferant Judæi, ſufficienter a noſtris oſtenſum fuit, illum minime tantam præ ſe ferre ætatem, quantam de eo jactant Judæi, nec ullibi ante R. Moſis bar *Nachman* aut R. *Aſcheris* tempora memoriam ejus reperiri. Confer. *Buxtorf.* de Abbreviat. p. 193. & Bibl. Rabb. pag. 337. *Capell.* Arc. Punct. revel. l. 2. c. 3. & *Morinus* Ex. Bibl. p. 358. ſeqq. Quod vero nuper inter Chriſtianos aliquis repertus ſit, qui non modo hanc ætatem defendere, verum etiam ipſa libri dogmata tanquam myſteria proponere tentavit, hoc ex nimio Judaizandi fervore potius quam veritatis amore factum eſſe eruditi judicant, cujus alias abſtruſiſſimus labor omnem laudem meretur, optandumque fuiſſet, ut quam promiſit, Latinam libri verſionem ante mortem abſolvere, ac in lucem edere potuiſſet. Excuſum fuit plurimis cum additionibus aliisque Tractatibus Cabaliſticis memoratum Zoharis opus Mantuæ Ao. 320. 4to. tribus voluminibus, quæ editio reliquis præſtat & omnium rariſſima eſt, Cremonæ Ao. 328. fol. laudata a Daſſov. præfat. de reſurrect. mortuorum, Lublini Ao. 383. quam accuratiſſimam Editionem R. *Tzebi* fil. R. *Kalonymos*, vidi in Bibl. R. C. num. 247. tandemque Sulzbaci

Ao. 444. fol. Integri operis Latinam verſionem olim in Anglia typographiæ traditam fuiſſe, aſſerit R. *Schabtai* in Append. libri ש״י. Plura de hoc libro alibi dicemus.

131. זוהר יהוה *Zohar Jehovah*, *Splendor Domini*, Commentarium in Pentateuchum MS. reperiri in Biblioth. Vatic. & a memorato *Zohar* valde diſcrepare, ſcribit Bartoloc. 11. 807.

132. זוהר חדש *Zohar chadaſch*, *Splendor novus*, Eodem ſtylo cabaliſticas legis explicationes pertractat, quæ in antiquo Zohar memorato minime inveniuntur, de cujus autore itidem nihil certi conſtat. Annexos habet ſequentes libros מדרש הנעלם item תקונים R. *Iſaac de Luria* item מדרש שיר השירים רות ואיכה luci primum expoſitus per R. *Salomonem* fil. R. *Iſaaci Sacerdot*. *Juſtitia* Theſſalon. Ao. 357. deinde cum additionibus R. *Iſaaci Luria* & aliorum Rabbinorum, opera R. *Moſis Mardochai* fil. R. *Samuel Margolith* prodiit Cracov. Ao. 363. & Venet. Ao. 423. 4to.

133. זוהר על הרפואה *Zohar al harephuah*, *Splendor Medicina* Titulus libelli Medici a Bartol. 11. 807. adductus, quem ſcribit de cura Calculi agere, cujus meminit *Geſnerus* in Bibl. ſine nomine Autoris, ex-

cuſum

cuſum Venetiis una cum *Raſi ad Almanſorem* anno Domini 1497.

134. זוהר עקדת *Zohar akedath*, in Indice Titulorum ad calcem P. IV. Bibl. Rabbin. Batol. pag. 683. hoc titulo liber conſpicitur & P. IV. pag. 468. indicatur ubi de hoc libro actum ſit. At quam inſulſe & parum conſiderate. In cit. pag. enim duo diſtincti libri adducuntur, liber *Zohar* & liber *Akedath*, qui eſt *Akedath Itzchack*, ex quibus unum fecit ſtupidiſſimus indicis compilator. Hoc ideo monere voluimus ne forte aliquis qui indicem conſuluerit, ibi de novo impingat, & ut circumſpectius in poſterum agant, qui librorum titulos ſcribunt.

135. זוהר הרקיע *Zohar harakia*, *Splendor firmamenti* Conſtantinop. in 4o. Hæc Buxtorf. Ex libro ש״י conſtat autorem hujus libri eſſe R. *Schimeon bar Zemach*, eſtque elegans liber commonefaciens ad obſervationem 613. præceptorum, juxta 12. fidei articulos a Maimonide traditos procedens: impr. Conſtantinop. Ao. 280. 8vo.

136. זיבן וויזי מיסטר פון רום Sieben weiſe Meiſter von Rom, *Septem Sapientes Magiſtri Romani.* Titulus libelli Rabbino-Germanici ab Autore ש״י allegati. Narrationem continet Imperatricis Pontianæ cui unicus filius erat: Huic narrationi multa ſa-

pienter dicta illorum ſeptem ſapientum virorum intermixta ſunt. Impr. Amſtelod. Ao. 423. 8vo.

137. זכרון טוב *Siccaron thobh*, *Recordatio bona.* Expoſitio in Pentateuchum. Hæc Buxtorfius & ש"י.

138. זכרון תורת משה *Siccaron thorath moſche*, *Recordatio legis Moſis* Conſtantinop. Hæc Buxtorf. Duo hoc titulo libri in ש"י recenſentur ambo Conſtantinop. impreſſi, ut adeo divinare non liceat, utrum Buxtorf. intelligat. Unus Concordantias continet locorum ſcripturæ quæ in Talmude utroque libro Akedath, Ikkarim, more nevuchim &c. explicata ſunt a R. *Moſe fil. R. Joſeph* פי"ג congeſtas in fol. Ao 313. & deinde Pragæ Ao. 383. impreſſ. Alter compendium Præceptorum eſt autore R. *Moſe Ferico.* Celeberrimus Cavius hujus tituli librum refert ad R. *Moſen Prov.*

139. ס'הזכרונות *Sepher haſſichronoth*, *Liber Recordationum* absque autoris nomine & impreſſionis loco circumfertur. Illud indicat R. Schabtai in ש"י nempe R. *Iſaac* fil. R. *Chaim Jeſchurun pat. domus Judicii Synagogæ Hiſpanic. Hamburgenſis.* Complectitur ritus, conſtitutiones & conſuetudines Judæorum Imp. Pragæ 4to. Quod idem *Normannus* & *Edzardus* confirmant.

140. זכות

140. זכות אדם *Sachuth Adam*, *Meritum Adami.* Tractatum moralem *de merito Hominis* vocat Bartol. IV. 304. qui MS. reperitur in Biblioth. Vatican. Idem II. 807. de eo agens ab Hottingero in Bibl. Orient. quendam libellum cum eodem titulo exhiberi ignoti autoris ſcribit, qui Adami primi hominis peccatum excuſare vel etiam omnino negare contra S. Scripturam impie contendit: unde forte ſua depromſit Autor ש״י, qui eadem de hoc libro ſcribit Hottingerum autem uti omnia ſua, ex Buxtorf. Appendice hæc exſcripſiſſe quis negat?

141. זמירות ושירים *Semiroth veſchirim. Cantiones & Hymni.* Hujusmodi plures tum in peculiaribus libellis, tum in Machzorim aliisque libris conſpiciuntur, quorum autores maximam partem ignorantur. Illæ vero, quas in honorem Sabbati decantandas cum rythmis Germanicis & explicationum notis Hebraicis allegat Buxtorfius, & ex Plantavitio Bartol. II. 819. autorem agnoſcunt R. *Akivam* Francofurtenſem cum aliis annexis Tractatibus impr. Baſil. Ao. 359. 8vo indicante R. Schabtai in ש״י.

142. זעקת סדם *Saakath ſedom. Clamor Sodomæ* librum de Hiſtoria Sodomiticæ ſubverſionis Anonymi, Theſſalonicæ in 8vo

 ex-

excuſum, ex Plantavitio affert Bartoloc. 11. 819. & autor י"ש.

143. זר זהב *Ser ſahav*, *Limbus aureus.* Explicationem in Pſalmos ignoti autoris eſſe ex Hottingero ſcribit Bartol. 11. 821. Autor י"ש quendam fil. R. *David de Paraviſtas*, libri hoc titulo, quem Collectanea ex Zohar & Medraſchim continere, impr. Cracov. A. 407. 4to ait, autorem facit.

144. ספר זרובבל *Sepher Zerubabel*, *Liber Zerobabelis.* Librum impium & ſceleſtum vocat Bartol. 11. 820. ſeq. excuſ. Conſtantinop. 4to. qui colloquium continet inter Zerobabelem (quem eundem cum Nehemia fil. Chacaliæ eſſe in Tr. Talmud. Sanhedrin dicitur) & Metatronem Judaicum angelum, de ortu, educatione, vita, bellis & morte ארמילום *Armilli*, quem Antichriſtum Judæi faciunt & poſt bellum Gog & Magog contra eos venturum credunt, multaque ac gravia bella geſſurum, in quibus occidetur & Armillus a Meſſia ben David. Mentionem hujus libri facit, eundemque cum aliis qui ſimiles fabulas ſapiunt, rejicit *Aben Ezra* in Comment. ad Exod. 11. 22. Miror in libro י"ש hunc librum plane prætermiſſum eſſe.

145. זרזיר מתנים *Sarſir mathenaim*, *Accinctus Lumbis.* Librum concionum ex re-

relatione R. *Juda Mutinenſis* eſſe, cujus autor ignoratur, ſcribit Bartol. II. 821. de quo etiam Plantavitius n. 177. Præter autorem qui eſt R. *Samuel ben Athar*, nihil amplius notat R. *Schabtai* in ש״י, qui narrationes & Hiſtorias eo contineri ſcribit.

146. זרעו לצדקה *Sareu Lizdaka*, *Seminate ad Juſtitiam.* De Jure Hebræorum librum ex Hotting. affert Bartoloc. II. 824. De eo nihil in ש״י reperio. *Norm.*

ח.

147. חובת הלבבות *Chovath hallevavoth*, *Officium cordium* liber inter Judæos magnæ exiſtimationis & vulgo ſatis notus, cujus autor communiter eſſe fertur R. *Bechai Senior* fil. R. *Joſeph Hiſpani* qui circa A. M. 4900. id eſt C. 1140. Arabice illum exaraſſe dicitur, unde in Hebræum Sermonem R. *Juda Aben Tibbon* illum tranſtulit, quamvis de eo dubitet autor ש״י, qui hunc autoris ignoti librum primum a R. Bechai Sen. ex Arabico in Hebraicum Sermonem tranſlatum fuiſſe putat. Cœterum nos alibi plura de hoc libro dicemus.

148. ס׳חזון *Sepher chaſon*, *Liber Viſionis.* Continet ænigmata, inquit Hottingerus. Hæc Bartol. IV. 109. Addo ænigmata & ſen-

ſententias allegoricas, ex Gemara & Deciſionibus Talmudicis a R. *Jacob* fil. R. *Juda Lando* conſarcinatas excuſ. Venet. Ao. 312. & Pragæ 369. 4to vid. ש"י.

148. α חזקוני *Chaſſekuni*, *Confortate me.* Nomen autoris, obſervante *Edzardo*, recte comprehendit. Vocatur enim R. *Chiskia* fil. *Manoach*, ceu ex præf. patet. Liber ipſe eſt commentarius in Pentateuchum, collectus ex Bereſchith Rabba, Mechilta, Siphra, Siphre, Tanchuma, Peſikta, aliisque commentariis in legem antiquioribus, quorum exhibet nucleum. Excuſus Cremonæ. Ao. 319. Chriſti 1559. per Vincentium Conte. 4to, & alibi.

149. ס׳חטאה *Sepher chattaah. Liber de Peccato*, tractans de Sacrificio pro peccato ſ. expiatione peccati, excuſ. Cracov. ſine nomine Autoris & anno non indicato, ut ex Plantavitio notat Bartol. II. 830. In ש"י nullum hoc titulo librum reperio.

150. חידות איזופיטי *Chiddoth Aezophite Fabulæ Aeſopi*, Philoſophi moralis Phrygii inter eruditos univerſi orbis tantopere decantatæ, ac plerarumque gentium linguis tritæ, de quarum autore tamen nondum inter cunctos convenit. Ex Græco authentico in Hebræum ſermonem illas quis tranſtulerit, æque hactenus incognitum manſit, etſi diverſis

verſis vicibus Hebraice una cum aliis tractatibus junctim prodierint, quas editiones ſupra jam notavimus, cum librum ד״י שׁר׳ משרה recenſuimus. Dum hæc ſcribo, Viri juvenis doctiſſimi cujusdam Lipſienſis Epiſtola ad manus meas venit, in qua inter alia nova, quæ anno (1698.) Oxonii prodierunt, fabularum Æſopi editio plurimis fabulis in Hebræa atque Arabica lingua extantibus hactenus nondum impreſſis, augmentata, cum verſione metrica notatur, quæ tamen ſtatim ac lucem publicam vidit magiſtratus decreto iterum ſupreſſa fuit ob hæc verba, quæ in præfatione leguntur: *Inter eos qui Aeſopo fabulas haſce abjudicant, dicunt eſſe Richardum quendam Bentlejum, virum in volvendis Lexicis ſatis diligentem.* Hæc obiter.

151. חיי עולם *Chaje olam*, *Vita æterna.* Titulus libri Ethici de acquirenda poſſeſſione vitæ æternæ autoris anonymi characteribus Hebræo-Germanicis exarati; Excuſ. Friburgi Brisgojæ. Anno 343. 4to. Vid. Bartoloccium II. 838. & ש״י. Alium hoc titulo MStum Codicem vidi in Bibl. R. C num. 75. Hujus vero autor eſt R. *Abraham Videns*, continetque explicationem nominis Tetragrammati.

152. ס׳החכמה *Sepher hachochma*, *Liber*

Sapientiæ vel ut Buxtorfius habet חכמתא רבתא דשלמה *Chochmetha Rabbetha Deſchelomoh*, *Sapientia magna Salomonis*. Iſte Salomonis, vel ut alii cum Hieronymo volunt, *Philonis* Judæi liber inter libros Apocryphos Chriſtianis ſatis notus ex Græco in *Hebraicam*, vel potius ut R. Moſes bar Nachman in præfat. commentarii ſui in legem citat, *Chaldaicam*, ſ. quemadmodum ex ſtylo Buxtorfius in Bibl. judicat, *Syriacam* linguam verſus, cum hodierno Græco textu ex aſſe convenit, uti ex collatione illorum locorum quæ memoratus Nachmanides ex iſto libro excerpſit, (cujus verba cum Latina verſione etiam leguntur in Joſ. de Voiſin Obſervat. ad Raymundi Pug. fidei fol. 103.) cum vſ. 5, 6, 7, 8, 18, 19, 20, 21. Cap. VII. noſtræ Sapientiæ Gr. Salomonis, eluceſcit. Ut idcirco Johanni *Pico*, Mirandulæ Comiti, minime adhibenda fides videatur, quando in Præfat. in Heptapla ad Laurentium Medicem hæc verba ſcribit: *Extat apud Hebræos Salomonis illius cognomento Sapientiſſimi liber, cui Sapientia titulus, non qui nunc in manibus eſt Philonis Opus, ſed alter Hieroſolymæ, quam vocant, ſecretiore lingua compoſitus, in quo vir, naturæ rerum, ſicuti putatur, interpres omnem ſe illiusmodi diſciplinam fatetur de Moſaica legis penetralibus accepiſſe.* A quonam autore verſio

verſio iſta quam Nachmanides ſe vidiſſe aſſerit, profecta fuerit, definire non poſſumus, etſi non adeo recentioris Scriptoris eſſe ex ſtylo judicare liceat. Neque tamen ejus Antiquitatis illum eſſe ſtatuendum erit, ut ad Salomonis tempora referatur, vel cum R. *Azaria* in libro אמרי בינה c. 57. in gratiam Regis cujusdam ad Orientem habitantis a Salomone ipſo Chaldaice ſcriptam eſſe pronuncietur, cum enim certum non ſit, Salomonem unquam talem librum compoſuiſſe, aut ſi compoſuit, eundem qui hodie circumfertur, Salomonem autorem agnoſcere, ſane nullo argumento probari poterit, librum hunc Hebraice extitiſſe antequam Græce extitit, uti contra *Huetium* contrarium in demonſtrat. Evangel. pag. 359. vel 417. edit. Lipſ. aſſerentem, adſtruit Joh. Alb. *Fabricius*, amicus noſter ſingulariter colendus in prolegomen. in Libr. Sapient. cum potius *Hieronymus* in præfat. Sapientiam apud Hebræos nusquam eſſe, & ipſum ſtylum Græcam eloquentiam redolere aſſerat. Ut adeo memoratam Nachmanidis Chaldaicam ſapientiam recentioris cujusdam traductionem eſſe firmiter concludere queamus. Reperitur Syriace Sapientia in Bibliis Polyglottis Anglic. quæ ab illa cujus fragmenta apud Nachmanidem extare diximus, pauliſper differt.

153.

153. חכמת המזולות *Chochmath hammeſulloth*, *Scientia Planetarum*, item Solſtitiorum, Noviluniorum, omniumque calculationum Aſtronomicarum autoris anonymi cum Latina verſione prodiit Baſil. Ao. 287. 4to teſte autore ש״י.

154 ס׳ חנוך *Sepher Chanoch*, *Liber Enochi* ex quo tanquam teſte Judicii Dei, ut *Irenæus* IV. 30. vocat Judas Apoſtolus in Epiſtola ſua Canonica 14, 15. adverſus impios & ſeductores formidabile de judicio extremo teſtimonium allegat, ob quod, ut teſtatur Hieronymus in Catal. Script. Eccleſ. c. 4. a multis olim extra Canonem hæc epiſtola rejecta fuit. Etſi vero ex Apoſtoli Judæ loco non videatur convinci poſſe, Henochum librum ſcripſiſſe, cum tantum prophetaſſe, id eſt, ut Bonav. Cornel. *Bertramus* de Republ. Judaica c. 2. explicat, anathema illud ſolenne, quod 1 *Cor.* 16: 22. legitur ſuæ ætatis hominibus ab antiqua puritate deſciſcentibus propoſuiſſe, non autem ſcripſiſſe dicatur, conſtans tamen antiquorum Patrum hæc fuit ſententia librum, qui ſub titulo ἀποκάλυψις Ἐνὼχ eorum ætate circumferebatur, licet interpolatum, *Enochum* autorem agnoſcere, cujus meminerunt *Origenes*, *Tertullianus*, *Hieronymus*, *Auguſtinus*, *Cl. Alexandrinus* & alii. Eo etiam uſus eſt

Celſus

Celſus & particulam ex eo produxit quæ habetur apud Origenem contra Celſ. libr. 5. Habuit etiam *Georgius Syncellus* librum Græcum eo nomine, unde nobis partem ſatis magnam dedit *Joſ. Scaliger* in doctiſſimis ad Euſebium notis pag. 244, 245. quod fragmentum deinde Latinitate donatum *Kircherus* in Oedipo Gymnaſ. Hieroglyph. pag. 69. inſeruit. Hunc Enochi librum exiguis primum foliis conſtitiſſe credibile eſt, deinceps autem cum tempore immenſum crevit, dum quisque ea quæ voluit addidit, & interdum interpolavit, notante *Grotio* in Commentar. ad c. l. Judæ, & *Druſio* libro mox cit. c. 18. quanquam jam ſuo tempore Orig. Hom. 28. *de ſtellarum nominibus plurima in libellis, qui appellantur Henoch, ſecreta contineri & arcana, ſcripſerit.* Utrum vero Chaldaice vel Hebraice iſte Henochi liber conſcriptus primum fuerit, nullo quidem certo teſtimonio affirmari poterit, nec verum eſt, quod Joh. Druſius c. 22. libri de Henocho aſſerit, librum Henoch hodieque apud Judæos extare. Nam ex illius verbis Manahemi Ricinenſis (qui eſt R. *Menachem Rakanati* qui comment. in legem ſcripſit) Latine a Druſio allatis nihil aliud concludi poteſt, quam a quibusdam Cabalæ ſcriptoribus interdum Enochi librum allegari, ejusdemque mentionem in

in libro Zohar fieri. Appono hic Hebraica R. Menachem Rakanati verba ex Commentario in legem fol. 30. col. 1. cum Latine apud Druſium c. l. legi poſſit. וראיתי לקצת הכמי הקבלה האחרונים שכתבו כי מצאו כספר הנוך בן ירד כשלקח אותו אלהים כתוב בו סוד זה עם שאר סודות מופלאות וכבר הזכירו רבותינו ז״ל הספר ההוא בספר הזוהר ולפי דברי הספר ההוא דע כי גן עדן של מטה הוא מוכן מיום שנבראו רוחות הצדיקים לגור שם בצורתם.

Quorum verborum notitiam ſi habuiſſet Bartolocc. non neceſſe ei fuiſſet in Biblioth. 11. 844. confiteri, ſe ex Hebræis nullum reperiſſe, qui de libro Henoch mentionem faciat præter Autorem *Juchaſin* qui fol. 134. b. de Henocho ſcribit, eum etiam *Adris* vocari, librumque de Aſtronomia ſcripſiſſe. Recte autem ibi Bartolocc. contra Autorem Juchaſin obſervat, eum hallucinatum eſſe, cum Henochum noſtrum cum Henocho Adris eundem facit, cum hic poſterior Philoſophus Arabs apud Arabes & antiquiores Hebræos notiſſimus, recentioris ævi ſcriptor ſit, cujus liber, quo filius Adris ad pietatem, charitatem & alias virtutes morales erudi-

ruditur, hodienum extat, & diverſis vicibus una cum libro ד״י של משה aliisque tractatibus junctim prodiit, quo de vide ſupra. De Henochi vero libro confer præterea Bangii Cœl. Orient. p. 88. ſq. Wagenſeil de lingua authentica N. T. p. 32. ſqq. & Pfeiffer diſſ. de Henocho.

155. חסד אברהם *Cheſed Abraham*, *Pietas Abrahami*, Liber eſt concionum, excuſus Lublini, inquit Plantavitius. Hæc Bartolocc. I. 850. quod tamen falſiſſimum eſt. Liber enim hoc titulo proſtans, qui conciones ſ. potius ſermones ex abſtruſiſſimis Kabbalæ myſteriis continet, cujus autor eſt R. *Abraham* fil. *Mardochæi Aſulæi*, illo tempore, cum Bartol. & Plantavitius hæc ſcriberent, nunquam adhuc impreſſus erat, quemadmodum etiam in ש״י non niſi MS. citatur, qui demum Ao. 445. i. e. C. 1685. curante autore Kabbalæ denudatæ Sultzbaci in 4to prodiit, quam Editionem recenſent Actorum Eruditor. collectores Lipſ. Ao. 87. p. 88. ſqq. Quod ſi vero alterum hoc titulo extantem librum Cracov. Ao. 362. Ao. 302. & Lublini Ao. 376. fol. excuſum intelligit Bartol., ille non conciones continet, ſed eſt commentarius in articulos fidei Maimonidis, autore R. *Abraham Schaptel*; eſtque ſecunda pars libri ברית אברהם, præſcribentis ratio-

tionem pœnitentiam. ob peccata inſtituendi. De utroque videndus autor ש״י.

155. *a* כפר ו הינוך *Sepher hachinnuch*, Normannus & Edzardus referunt, *catecheſin* eſſe conſcriptam a *Levita Barcelonenſi*, cujus integrum nomen eſt R. *Aaron ex domo Levi Barcelonenſis*, ut indicat Gedalja in Schalſcheleth haccabbala f. 54. a. qui ipſe loco citato librum ab *Abrahamo filio Iſaaci Narbonenſis* compoſitum putat; vel a *Moſe Narbonenſi*. Continet explicationem ſexcentorum & tredecim præceptorum, ſecundum ordinem Sectionum Pentateuchi. Venet. apud Joh. de Gaza. Ao. Chr. 1600. 4to. Plurima ex hoc catechiſmo Joh. Henr. *Hottingerus* in ſuum jus Hebræorum tranſtulit Latinitate donata.

156. חפץ השלם *Chapez haſſchalom*, *Deſiderans pacem*. Ex Arabico Anonymi Autoris in Hebraicam linguam a R. *Meſchulam* fil. *Jona* tranſlatus liber de Medicina agens, MS. aſſervatur in Bibl. Vat. quem codicem Ao. 175. ſcriptum eſſe teſtatur auctor ש״י. Olim etiam hunc librum eleganter ſcriptum vidi in Bibl. R. C. in fol. n. 114. ubi ſqq. verba annotata legi: „ Eſt celebris liber *Kethibon Tazrizon* famoſiſſimi apud Arabes „ Medici. Ex Arab. in Hebr. verſus ſæpe „ citatur ab Ebn Beitar.

157. חיקרה

157. חקירה על הצלחת האדם *Chakirah al hatzlachath haadam*, *Investigatio Proſperitatis Hominis*, Tractatus de Hominis Beatitudine MS. in Biblioth. Vatic. in 4to. ex Bartol. 11. 855.

158. סחרידים *Sepher Charidim*, *Liber Trepidantium*. Explicationem 613. præceptorum Judaicorum, docentem a quonam ex 5. ſenſibus ſingula dependeant, quaque ratione ſint obſervanda & adimplenda; & Venet. in 4to. Ao. 361. impreſſam eſſe ex Buxtorf. notat Bartol. 11. 855. Ejus autor eſt R. *Eliezer Azkari*, & liber multum apud Judæos æſtimatur, docente Autore ש"י.

159. חתן דמים *Chatan damim*, *Sponſus Sanguinum*. Liber Cabaliſticus juxta Buxtorf. vel rectius ritualis, de nuptiis, circumciſione &c. agens juxta Hottinger. & ש"י. Ejus autor R. *Salman Ranckel*. Impr. Pragæ Ao. 366. 4to. non in fol. ut ap. Buxtorf. legitur.

ט.

160. ס'טובי בן טוביאל *Sepher thobhi ben Thobhiel*, *Liber Tobiæ filii Tobielis*. Iſte liber, quem inter Apocryphos Scripturæ libros Græce hodie legimus, non modo Chaldaice olim extitit, ex quo ſpacio unius diei ope

cu-

cujusdam utriusque linguæ periti extempóralem verſionem adornavit *Hieronymus*, uti teſtatur ipſe in præfat. ad Chromat. & Heliodorum, & cujus Latina verſio ex Chaldaica facta hodienum extat; verum etiam ex Chaldaico in Hebraicum ſermónem tranſlatus fuit, diverſisque vicibus in lucem editus. Nam quod *Huetius* in Demonſtratione Evangel. pag 308. vel 362. Edit. Lipſienſ. Origenem ad Africanum ſcripſiſſe affirmat, *accepiſſe ſe ab Hebræis libros Tobiæ & Judith ab eis Ebraice ſcriptos in apocryphos haberi*, illud temere ab Huetio pronunciatum fuiſſe obſervat Joh. Alb. *Fabricius*, in Doctiſſimis Prolegomenis in Tobiam, uti quisque profitebitur, qui accuratius Origenis verba perpendet.

160. *α* טוב יומי *Thov jomi.* Normanno notante ſunt notæ in שיר השירים Friburg. R. *Lipmanni Mulhuſini*, juxta Buxtorf. Bibl. Rabb. p. 413. περὶ Τωβία, inquit Origenes, ἡμᾶς ἐχρῆν ἐγνωκέναι ὅτι Ἑβραῖοι τῷ Τωβίᾳ ὐ χρῶνται, ὐδὲ τῇ Ἰυδὴθ ὐδὲ γὰρ ἔχυσιν αὐτὰ καὶ ἐν Ἀποκρύφοις ἑβραϊςὶ, ὡς ἀπ' αὐτῶν μαθόντες ἐγνώκαμεν. Itaqué Ebraicæ Tobiæ Editiones minime ex authentico originem habent, ſed omnes recentiores ſunt. Quo autem tempore aut quo autore hic liber in *Hebræum* primum traductus ſit, penitus ignoratur.

noratur. Utcunque ſe res habeat, falſum & commentitium eſt, quod R. *Dav. Ganz* in Chronolog. part. 2. fol. 10. (cujus verba ab Hotting pag. 526. Theſauri Philologici, quem neſcio ob quam rationem *Philologi ſacri* nomine ſemper citet Dnus *Placcius* de Pſeudon. p. 267. adducuntur) aſſerit, editionem Munſteri, quam ex Conſtantinopolitani ab *Oswaldo Schreckenfuſſio* ſibi communicatam, non ut Mich. *Neander* in Erotemat. ling. Hebr. teſtatur a Judæis CPlitanis ei ſuppeditatam, Baſil. 1542. 4to. & 1570. in 8vo. cum Annotat. Ebræis & Latinis primum edidit, ab ipſo Munſtero confictam fuiſſe, aut quod Raynoldus Cenſ. Apocryph. T. 1. p. 263. & Cornel. a Lapide prælud. in Epiſtol. ad Hebræos volunt, ex Pauli Fagii, qui eodem ferme anno 1542. Iſnæ Tobiam Hebr. & Latine in 4to recudi curavit a Munſteriano paululum diverſum, ingenio profectum eſſe. Fagii pariter Munſterique editio una cum utriusque verſione in Polyglottis Anglicanis exhibetur, quæ cum Hebraico Tobia aliquoties cum libro ד״י סל משרת junctim excuſo (de quo vid. ſupra) ferme convenit, ex quarum una editione Veneta Ao. 304. Bartoloccius emendatis erroribus iterum Latinitate donavit annotationesque adjecit, quod opus MS. aſſervatur in Bibl.

 Vatic.

Vatic. in fol. teſte ipſo Bartoloccio 11. 856. & Imbonato pag. 147. ſq. præter quas plura MSta Tobiæ Ebraica Exemplaria extare, quæ a ſe invicem & ab editis non parum diſferunt, teſtes ſunt *Sixtus Senenſis*, *Serarius*, *Corn. a Lapide*, *Tirinus*, *Hottingerus*, *Huetius* & alii.

161. טורי זהב *Thure ſahav*, *Ordines aurei.* Titulum libri ignoti inter libros Rituales ab Hottingero repoſiti adducit Bartolocc. 11. 861. Eſt vero Commentarius duplex in *ordinem Orach chaim & Jore Deah* autore R. *Samuel patr. domus judicii*, *Synagogæ Oſtrienſis*, quorum prior prodiit Cracov. alter Lublini Ao. 406. fol. vid. ש״י.

162. טולמיוס אלהות *Tholomeus Elahuth*, *Ptolomæi Theologia*, ex Plantavitio qui librum traductum ſcribit e lingua Agarena in Hebraicam, autore R. *Moſe ben Tybbon* a Bartolocc. l. c. allatus. Idem in Biblioth. Vatic. MS. aſſerit Ptolomæi מאת דברים ſ. *Centiloquium* cum commentario ignoti autoris.

163. טעמי חגים *Thaame chaggim*, *Rationes Feſtivitatum.* Ex Hottingero titulum libri ſine autoris nomine a Plantavitio exhibitum, qui eum de rationibus inſtitutionis uniuscujusque feſtivitatis tractare ſcribit, & magnæ autoritatis apud hodiernos Hebræos eſſe, affert

affert Bartol. l. c. Nihil de hoc nec præced. libri alibi reperio.

164. טעמי שלשה ספרי אמת *Thaame ſchelo ſcha ſiphre emeth*, *Accentus trium librorum Job*, *Proverb. & Pſalmorum* Ex Hotting. de Accentibus grammaticaliter tractare non indicato autoris nomine, ſcribit Bartol. l. c. At conſtat illum librum qui non modo de Accentibus trium memoratorum librorum ſed etiam Pentateuchi agit niſi duos diſtinctos libros cùm Buxtorfio facere malis, autorem agnoſcere R. *Judam ben Bilbam* & Pariſ. apud Robertum Stephanum Ao 326. 4to *Merceri* cura impreſſum fuiſſe. Neſcio an hic idem ſit cum illo libro de *Accentibus* quem Bartolocc. IV. 522. adducit, in quo mentionem cujusdam antiqui libri Grammatici dicti הוריית הקורא *Lex Lectoris* fieri ſcribit. Unde apparet duos diverſos Bartoloccio libros eſſe הוראת קורא & הוריית הקורא aliter quam ſupra exiſtimavimus.

165. יד אבשלום *Jad Abhſchalom*, *Manus Abſalon*. Inter Commentaria in Proverbia ſine nomine Autoris, librum illum reponit Hotting. & Bartol. III. 4. Eſt is R.

Iſaac ben Arama notiſſimus per librum *Akedath Itzchak*, qui non differt ab Autore *Baal Akeda*, ut Buxtorfius ex quodam Catalogo citat, tanquam verum Autoris nomen eſſet *Baal Akeda*, impreſſusque liber Conſtantinopoli, in 4to. teſte Autore ש"י.

166. יד שערים *Jad ſchearim*, *Manubrium Menſurarum ſ. Manus portarum.* Titulum præfixum libro eſſe, qui de Calendario Judæorum & Chriſtianorum tractat, Auctoris Anonymi, ſcribit Bartol. l. c. cujus undecim capita hoc ordine recenſet:

1. *Oſtendit modum cognoſcendi menſes, an ſint perfecti an cavi: an vero ſequantur ſecundum proprium ordinem:*
2. *De numero dierum & Hebdomadum anni currentis inveniendo.*
3. *Ad cognoſcendum diem Novilunii.*
4. *Qua die ingrediuntur feſta mobilia & jejunia.*
5. *Ad ſciendum, qua die menſis legendæ ſint paraſchiæ.*
6. *Ad ſciendum quænam haphtaroth correſpondeant ſuis Paraſchiis, & quibus in locis apud Prophetas inveniantur.*
7. *De Tekuphis perpetuo inveniendis.*
8. *De Noviluniis.*

9. *Quo-*

9. *Quomodo reperiatur initium anni planetarum.*
10. *De Calendis Chriſtianorum.*
11. *De loco Lunæ ad Datum diem inveniendo.*

Excuſus eſt Romæ Ao. 307. apud Samuelem Gallum in 12. Autor ש"י hunc librum plane prætermiſit.

168. ידי משה *Jede Moſcheh*, *Manus Moſis* Commentarium ſuper V. libellos ſecundum Principia Philoſophorum notat Buxtorf. Ejus autor R. *Moſes Almoſnino.* Impreſſ. Venet. Ao. 357. 4to.

167. ס'ידידות *Sepher jedidoth*, *Liber dilectarum* de fabrica Tabernaculi Phyſice & cabaliſtice agens, MS. extat anonymi autoris. teſte Buxtorf. & ש"י.

169. ס'יהודית *Sepher Jehudith*, *Liber Judith* Apocryphus Chriſtianis ſatis notus. *Chaldæo* quidem ſermone eum ſcriptum eſſe *Hieronymus* teſtatur, tametſi primitus ea lingua ſcriptum eſſe non dicit. Ex Chaldæo *Latinum* fecit idem Hieronymus, cujus verſio hodienum ſupereſt, & a Græco valde diſcrepat, ut ſæpe ſibi invicem contradicant. *Hebraicam* etiam libri Judith terſam editionem extare, ſed a recentiori manu Judæi cujusdam, notat Auguſt. *Pfeifferus* fato proh

 dolor!

dolor! Orientalium LL. ereptus in Critic. Sacr. c. 14. ſec. 2. qu. 3. De hac tamen verſione alibi nihil reperire potui. Syriace quidem in Bibl Polyglottis Anglic. comparet & a Græco & Latino multum differt, cujus diverſitatis exemplum vid. ap. Heidegger. in Enchirid. Bibl. l. 2. c. 7. §. 6.

170. יונת אלם *Jonath illem*, *Columba muta* Librum Cabaliſticum MS. eſſe autore anonymo ex Buxtorff. ſcribit Bartolocc. III. 788. & IV. 332. Addimus ad modum Cabalæ R. *Is. Luria* diſpoſitum & in 100. Capita diſtributum, Partem quartam conſtituere libri עשרה אמרות *ſ. decem ſermonum* & ſeparatim excuſum eſſe Amſtelod. A. 408. 4to. vid. ש״י p. 60.

171. יוסיפון *Joſippon* ſ. *Joſephi filii Gorionis liber*, Hiſtoriam Antiquitatum & Belli Judaici pertractans, quem etſi plerique Judæorum ut R. *Abraham Conat* Medicus Conſtantinopol. ap. Munſterum Præfat. ad Joſippum, R. *Tam* in animadverſione CPlitanæ Joſippi editioni præmiſſa ap. Morinum exercit. Bibl. l. 2. ex 1. c. 3. R. *Dav. Ganz* in Zemach Dav. ad Ao. 4829. f. 27. col. 1. R. *Azaria* in more enaim f. 87. aliique pro vero Fl. *Joſephi* Sacerdotis Hieroſolymit. cujus antiquitatum & hiſtoriarum libri Græce proſtant, fœtu venditent, & Seb. *Munſterus*

etiam,

etiam, qui ex Cpolitanó Ao. 250. vel 270. exemplari breviſſimum compendium addita verſione & quibusd. annotat. Wormatiæ primum ap. Petr. Scheefer junctis R. Moſis 13. Articulis fidei Judæorum Ao. 1529. 8vo. poſtea Ao. 1541. fol & 1559. Baſil. ap. Henric. Petrum una cum R. Aben Ezræ expoſitione Decalogi & Seb. Lepuſculi collectaneis aliquot; auctius Pſeudo Joſephi opus publicavit, cjus veritatem multis argumentis corroborare anniſus ſit, dudum tamen eruditi obſervarunt, nec Flav. Joſephum Matathiæ non Gorionis fil. cum Joſippo Gorionis filio eundem eſſe, utpote cum ſe ipſum in hiſtor. Bell. Judaic. lib. 2. cap. 42. lat. 25. ab illo ſecernat, nec tam veterem autorem eſſe qui hoc nomine fertur, ſed a recentiori quodam librum confictum & Antiquo Joſepho ex parte ſuffuratum eſſe, id quod non modo Joh. *Bodinus* in Hiſtoriarum Indice quem methodo Hiſtoricæ ſubjunxit, Gilb. *Genebrardus* in Chronogr. l. 2. ad A. C. 69. & eum ſecutus Ant. *Poſſevinus* in Appar. ſed & Fr. *Ribera* comm. in Abdiam Prophetam c. 1. §. 111. 112. *Scaliger*, *Caſaubonus*, *Morinus* aliique pluribus demonſtrant, & res manifeſta eſt. Nam (1) Hieronymus qui alterius Joſephi meminit, & inter Eccleſiæ ſcriptores numerat, iſtum Gorionis filium ne nominat quidem

dem unquam. Imo nulli veteri notum invenimus ſed recentioribus tantum Rabbinis, inter quos primus eſt R. David *Kimchi*, qui circa A. C. 1380. claruit. Ille enim in Comment. ſuper Hagg. 2. Zachar. 11. &c. eum aliquoties citat, uti etiam facit in ſchoraſchim ad vocem פנג ubi ita ſcribit: יוסף בן גוריון אמר כי פנג הוא בלסמן והיה נמצא ביריחו, Id eſt, *Joſeph filius Gorionis dicit PANNAG balſamum eſſe, invenirique in Jericho.* Habetur autem mentio vocis פנג non in Græca editione Fl. Joſephi, ſed in Hebr. Joſephi *ben Gorion*, nimirum cap. 22. lib. 4. Addit *Munſterus* præfat. ante David Kimchi a ſapiente R. *Abraham Levita* ben David. in ſua Cabbala citari Joſephum fil. Gorionis. Verum in Cabala illa nullibi citatum invenio. Circa finem quidem illius Cabalæ mentio fit ר״י בן a Veſpaſiano honorati, quod רבי יוסף בעל זכרינות *R Joſeph Magiſter Hiſtoriarum* interpretatur Munſterus, cum illa tamen abbreviatio רבן יוחנן זכאי *magiſtrum noſtrum Johannem fil. Zachai* notare poſſit, inprimis cum in ſententia proxime præcedente ejus mentio facta ſit, & præterea nullibi in hoc opere Abrahami, ſcriptum aliquod Joſephi ben Gorion citatum inveniatur.

(2) Totus ille autor fabuloſiſſimus eſt, ut recte

recte de eo pronunciat Johann. Maldonatus comm. in Matth. 16: 14 adeo quidem, ut ipſe Munſterus conſulto omiſerit ea, quæ ab initio huic autori ſunt adjecta, eo quod pleraque eſſent fabuloſa. (3) Non ſolum in Hebraica editione multa integra capita occurrunt, quæ in Græca non habentur, ut v. g. in Actis de LXX. Interpretibus, & vice verſa in Græca editione inveniuntur, quæ in Hebraica non habentur, ut teſtimonium de Chriſto, quod l. 18 Antiquit. c. 4. legitur, quanquam id nuper demum Judaica perfidia ablatum probet Baronius ad A. C. 34. T. I. p. 210. edit. Rom. quo de plura confer in Doctiſſ. Dn. Lic. *Ittigii* prolegom. ad El. Joſephum aliaque, ſed etiam editiones illæ duæ in plerisque locis inter ſe diſſonare depræhenduntur, unde conficitur, non unum earum ſed diverſos fuiſſe autores. (4) Quædam Gentes hic nominantur, quæ longe poſt Joſephi tempora in mundo ſurrexerunt, ut ſunt Franci, Gothi, Lombardi, Bulgari &c. imo & Carthagenæ nomen l. 3. c. 15 obvium, quod novum & Hiſpanicum eſt. Quod autem objicit *Münſterus* autorem librorum, qui Joſephi ben Gorion nomine feruntur, uti ſtylo Hebraico elegantiſſimo & vere biblico, longe diſcrepante a ſtylo modernorum Judæorum, id quod ſolum

(inquit)

(inquit) convincere poſſet lectorem quemque, editionem Hebraicam Joſephi eſſe, facile refelli poteſt. Nam neque vere biblicus eſt ſtylus, cum nonnulla vocabula in eo reperiantur, quæ aut Græca ſunt aut Latina, ut *Hippodromus*, *amphitheatrum* & ſimilia; neque elegantior quam ille, quo Maimonides & alii Rabbini, qui multis ſeculis poſt Joſephi mortem claruerunt, uſi ſunt: neque ulla omnino cauſa reddi poteſt, cur Joſephus qui eo tempore vixit, quo lingua ſancta in vulgari uſu eſſe deſiit, & in dialectum Syram ſeu Hieroſolymitanam degeneravit, biblicum ſtylum magis imitari potuiſſet, quam illi qui eum ſubſecuti ſunt Rabbini. Verum hæc pro hac vice dixiſſe ſufficiant. Alio enim tempore ex profeſſo hæc longius a nobis examinabuntur. Nunc ſaltem hoc addo, in *editione Münſteri* multa commata deſiderari, multa verba omiſſa eſſe, in non paucis etiam ſcripti codicis lectionem Munſterum aſſequi hoc potuiſſe, quemadmodum pluribus oſtendit *Scaliger* in Elencho trihæreſii Nic. Serrarii cap. 14 ubi editionem a Münſtero publicatam mendoſiſſimam & inquinatiſſimam eſſe confirmat. Præter memoratas editiones Hebraicas extant Venet. Ao 304. 4to. Cracov. Ao. 355. (aut 349. juxta שי) 4to. & Francofurt. Ao. 449. 12.

Ger-

Germanice etiam typis Hebraicis ille liber a *Michaele Adamo* Judæo converſo tranſlatus, Conſtantinop. olim, poſtea Tiguri 1546. & demum cum Commentario Amſtelod. Anno 1661. prodiit, ut Anglicam verſionem Petri *Morwini* & Petr. *Morningi* de qua Balæus p. 2. ſcriptor. Britann. p. 113. taceamus. Ab his vero Joſippi fil. Gorionis libris memoratis diverſam Fl. Joſephi Operum verſionem Hebraicam MS. extare, e Latino in Hebraicum ſermonem tranſlatam teſtatur R. Schabtai in ש״י p. 66 n. 5.

172. יוצרות *Liber Hymnorum* nuncupatorum *Jozeroth*, ideo quia in medio illius precationis quæ incipit יוצר אור *creans lucem* inſeruntur, & tempore matutino in quibusdam ſolennioribus feſtis decantantur. Hujusmodi quidem plures inveniuntur juxta ritum cujusque provinciæ facti, de quorum autoribus maximam partem nihil conſtat. Diverſis vicibus junctim impreſſi fuerunt, & in vulgaribus Judæorum precum libris præterea reperiuntur.

173. ייחוס האבות *Jichus haavoth*, *Genealogia Patrum* nec non Prophetarum & juſtorum item Tanaitarum & Amorraitarum, qui ſepulti ſunt in terra & extra terram Iſraelis. Hunc autoris incerti librum ex Hebraico Latinum fecit & ſub nomine *Cippi Hebraici*

Hebraici edidit J. *Hottingerus*, quibus præter notas peculiares diſſertationes de monumentis, menſuris, inſcriptionibus, nummis &c. Orientalium adjecit. Excuſ. Heidelbergæ A. 1659. 12mo. & 1662. in 8vo.

174. יחוס הצדיקים *Jichus hazzadikim*, *Genealogia Juſtorum* itidem incerti autoris, ut vult Bartol. III. 832. qui eſt R. *Gerſon fil. R. Aſcher.* Tractat autem de ſepulchris virorum pietate & doctrina illuſtrium, quæ in Palæſtina inveniuntur, quorum loca aſſignat, prout ipſe olim inviſit & præterea quasdam meditationes pias ad ſingula ſepulchra habendas præſcribit. Excuſ. Mant. Ao. 321. Venet. Ao. 359. & 386. & Veronæ Ao. 406. in 8.

175. ילמדנו *docet nos* vid. infr. תנחומא.

176. ילקוט חדש *Jalkut chadaſch*, *Pera nova*, Liber ignoti aſt recentioris autoris, Locos Communes ex præſtantiſſimis Judæorum libris collectos continet in uſum concionatorum. Impr. Lublin. Ao. 408. Amſtelod. 419. & cum novis adjectionibus Pragæ Ao. 416. & Wilhermsdorff. 433. 4to.

178. יסוד מורא *Jeſud mora*, *fundamentum Timoris.* Duplicem hoc titulo librum affert Bartolocc. Alterum I. 38. quem Grammaticalem R. Aben Ezræ a Buxtorf. filio Hebraice & Lat. Venet. excuſum (in quo errore

errore Bartoloccium ſequitur R. Schabtai in Append. ש״ע vocat.

179. Alterum III. Anonymi autoris, de quo ex Hottingero, qui ex Buxtorf. Appendice iſta ad verbum exſcripſit, annotat, eſſe librum de capitibus fidei & de præceptis, nec non de rebus Philoſophicis, ac probari in eo, Sacram Scripturam prius eſſe tenendam, antequam ad Talmud accedatur. Aſt, præter quod Bartolocc. fallitur, cum priorem librum Latine a Buxtorf. fil. tranſlatum ſcribit non videtur Buxtorf. Biblioth. accuratius inſpexiſſe, alias enim conſtare ipſi potuiſſet, non duos diverſos libros ibi adduci, ſed in Appendice tantum a filio corrigi, quod Pater in Biblioth. ſcripſerat, nempe hunc librum *Grammaticalem* eſſe. Neque enim Grammaticam ſed Moralia & Theologica hoc libro in 12. capita diſtributo tractavit *Aben-Ezra*, nempe de variis ſcientiarum generibus, de Judæorum præceptis, de literis Hebraicis, notante *Daſſovio* præfat. Diatr. de Reſurrect. Mortuor. Excuſus eſt Conſtantinop. A. 290. & Venet. A. 326. 8. & rariſſime invenitur. MS. etiam extat in Bibl. Vat. teſte Bartolocc. 1. 38. & in Biblioth. P. P. oratorii Pariſiis, aſſerente Rich. *Simon* Catalogue des auteurs Juifs qui eſt a la fin de l'hiſtoire Cr. du V. T. p. 534. ex

quo

quo codice quædam citat Morinus Ex. Bibl. p. 433. Habetur etiam inter Codd. MSS. Bibl. R. C. in 4to. n. 208. Commentarius in h. l. R. Mardochæi fil. R. *Eliezer Comting* Cpolitani, quem olim mihi ex benevolentia domini Clementis & domini Boivini duorum Cuſtodum hujus Bibliothecæ videre licuit.

180. יסוד עולם *Jeſud olam, Fundamentum mundi*, quem librum miror cur Bartol. IV. 332. inter anonymos retulerit, de quo etiam III. 835. nihil aliud refert, quam quod teſte Hottingero olim in Academia Heidelberg. extiterit, inter cujus MStos codices Romam advectos illum nihilominus reperire nequiverit. Quod ſi enim Buxtorfium conſuluiſſet, & argumentum & autorem libri cognoviſſet. Eſt is R. *Iſaac fil. Joſephi Iſraelitæ Hiſpani*, qui circa A. 1310. in honorem Præceptoris ſui R. *Aſcher* illum compoſuit, in quo res Hiſtoricas Mathematicas & Aſtronomicas doctiſſime pertractat. Cumque nunquam præſtantiſſimus hic liber hactenus impreſſus ſit, exceptis paucis fragmentis, quæ in libro Juchaſin edit. Cracov. 1580. 4to ſparſim habentur, & unico Cap. 18. quod ad calcem citati libri invenitur, & præterea in omnibus Bibliothecarum libris pauciſſima de eo ſcripta ſint, operæ pretium

me

me factūrum credo, ſi nonnulla capita uti ex Cod. MS. Bibl. R. G. n. 98. fol. nitide ſcripto, multisque figuris mathematicis & tabulis Aſtronomicis elegantiſſimis illuſtrato Lutetiæ olim annotavi, hic recenſeam. Diviſus eſt in V. Tractatus liber I. agit de Aſtrologia & Geometria, quatenus iſtarum cognitio ad faſtos & rationem intercalandi requiritur. II. Siſtit figuram, formam & diſpoſitionem totius mundi, numerum orbium cœleſtium; converſionem quam circa terram cœlum conficit, & quomodo ex hac converſione per varias terrarum regiones tum anni dies & noctes varia ſint magnitudine, tum etiam diverſis incipiant ac deſinant horæ monumentis. III. Eſt de ſphæra ſolis & lunæ; de ſiderum curſu; de quatuor anni cardinibus & noviluniis; de curſu illorum medio & vero; de illorum motu & ſitu ad ſigna Zodiaci; de pluribus quæ utrique ſideri ſolent accidere, ac præſertim cum illorum ſit conjunctio, aut inter ea terra ſit interjecta. IV. Eſt de intercalatione & ejus cauſis, de metiendi temporis genere, quod a priſcis Judæorum patribus traditum eſt, qua occaſione aliquæ Diſputationes Talmudicæ intellectu difficiles explanantur. V. Explicat Tabulas Aſtronomicas hoc opere inſertas, quomodo calculos ſubduci oporteat, & quo-

 modo

modo corrigi poſſint ad obſervandum & metiendum tempus, quomodo Novilunium, characteres & cardines annorum juxta ſententiam R. Addæ & Samuelis, qui variis temporibus Calendarium Judaicum immutarunt, conjunctio etiam vera ſolis & Lunæ ex Tabulis iſtis cognoſci queant. Porro ibi perpetua ſapientum Judæorum qui Traditionem poſteris prodiderunt, ſeries nectitur, incipiens a Moſe usque ad hæc tempora, atque cujusvis Doctoris opera præcipua, ætatem & dignitatem recenſens. Subjiciuntur Tabulæ ex quibus cognoſcere licet, quomodo inter Judæos, Arabes & Chriſtianos deſcriptio ac diviſio temporis differat. Eundem librum etiam MS. reperivi in Bibl. PP. oratorii, ex quo Morinus Exc. Bibl. pag. 250. quædam adduxit, qui tamen elegantia non accedit ei, qui eſt in Bibl. R. C. Quidam mihi dixit Scaligerum olim & Petavium ex hoc opere, tanquam ex uberrimo fonte plurima hauſiſſe.

181. יסוד שירים *Jeſud ſchirim*, *Fundamentum Canticorum*. Eſt Commentarius Myſticus & Cabaliſticus in librum Ruth ignoti autoris, quem ideo fundamentum vel principium Canticorum inſcripſit, quia ex Ruth egreſſus eſt David Princeps Cantorum, notante Buxtorfio, qui alias etiam זוהר על רות

רורת & תפוחי זהב nomen fert. Excuſ. Thiengæ Ao. 320. 4to. Latine etiam in 4to prodiiſſe alicubi legi. Bartol. hujus libri titulum plane omiſit.

182. ס' יסירה *Sepher jeſirah*, *Liber de Correctione.* Hoc barbaro vocabulo a Plantavitio librum ſibi ignotum, quem tamen dicit de correctione fraterna agere, exhiberi, notat Bartol. 111. 835.

183. יפה נוף *Japhe Noph*, *Pulcher tractu.* Hoc libro autor quisquis ſit, methodum epiſtolas compendioſe ſcribendi tradit, exempla nonnullarum Epiſtolarum R. Judæ Zarko ad R. Joſeph Aben Jachia, Joſephum Chamon & R. Chaim Alphual exaratarum præſcribens, ut & formulas ſubſcriptionum, Inſtrumentorum & aliarum ſcripturarum quæ coram teſtibus ſunt & obſignantur, ut ſunt quæ ad matrimonialia, repudia &c. ſpectant. Adjectæ ſunt quædam præcationes cabaliſticæ R. Nachman, R. Moſis aben Alaſcar, R. Iſaaci Germani & aliorum, præterea ritus flagellationum veſpera diei Expiationum ibi taditur. Exc. Venet. apud Johann. de Gara. Buxtorfius illud opus R. *Samueli Japhe* adſcribere videtur, quod tamen a vero alienum eſt.

184. ס' יצירה *Sepher jezirah*, (quem Gesnerus vocat *Zezyrah*) *Liber Creationis*;

Cabaliſticorum præcipuus, *Abrahamo Patriarchæ* communiter tributus, ex quo quotquot de kabala ſ ripſerunt tanquam ex turbido fonte biberunt, & hauſerunt totam illam tam ſublimem & reconditam Theologiam, quam *myſticam* vocant teſte Bartolocc. 1. 15. Etſi vero cum nugacibus Judæis Abrahamo, aut quod aliis plurimis etiam inter Chriſtianos placet R. *Akiva*, qui circa A. C. 135. ſecundum Calviſium floruit, hunc librum adſcribere nolim, antiquiſſimum tamen eſſe & forte Maſoretharum temporibus propinquum, ut Morinus ex Bibl. pag. 374. ſtatuit, ex eo colligo, quod non tantum in Talmude. Tr. Sanhedrin. c. 7. fol. 65. 2. ejus mentio occurrat, ſed etiam variæ antiquorum Chaldæorum ſententiæ in eo contineantur, de quibus vide Rich. Simon Hiſt. Crit. du V. Teſt. pag. 48. edit. Roterod. & præterea hodienum multi MSS. codices reperiantur, qui inter ſe plurimum variant, ut idem teſtatur p. 536. id quod non adeo facile in libris recenter factis, in primis paucorum foliorum, uti hic liber eſt, accidere poteſt. Integer liber 32. Semitis compræhenditur quæ 22. Alphabeti literis & 10. Sephiroth abſolvuntur, & quia abſtruſiſſimus intellectu fuit, commentariis illum illuſtrare duxerunt R. Abraham ben David, R.

Saadia

Saadia Gaon, R. Moſes Botril, R. Moſes bar Nachman & R. Eliezer de Garmira, cum quibus prodiit Mantuæ Ao. 322. 4to. quam libri Jezirah editionem etſi primam vocet Lambecius in prodrom. Hiſt. Liter. 53. tamen ex Gesnero Simleri pag. 263. obſervat Bayle Dict. Hiſt. Crit. Tom, 11. p. 44. & 156. jam ante Pariſiis 1552. in 8vo cum comment. Guil. *Poſtelli* editum fuiſſe. Quando vero R. Schabtai in App. ש״י præter hanc Pariſienſem aliam Poſtelli Amſtelod. editionem Anno 1650. 4to citat, illud errore non vacat. Juxta Mantuanam editionem excuſa fuit Pragenſis in 4to. Præterea Latine a *Reuchlino* credo tranſlatus prodiit in fine ſcriptor. Cabaliſt. Baſil 1587. Noſtro ſeculo denuo Hebraic. & Latine eum edidit & notis illuſtravit Joan. Steph. *Rittangelius* Ling. Orient. in Acad. Regiomont. Prof. Extraord. quæ editio prodiit Amſtelodami apud Janſſonios 1642. & 1660. 4to. & paululum a Mantuana differt, ut notat *Wagenſeilius* ad lib. Sota pag. 985. Johannem *Crojum* quoque in ſpecimine conjecturarum & obſervationum in quædam Patr. loca pag. 130. pollicitum eſſe, ſe prope diem Latine librum creationis cum quinque Commentariis editurum teſtis eſt Colomeſ. in Gall. Orient. p. 184. Conf. præter citatos Autores de hoc libro

bro *Heidegger*. Hiſtor. Patriarch. part. 2. *Lomeyer* de Biblioth. cap. 2. pag. 16. Hiſtoire des Hiſtoires du Sieur de la *Popeliniere* liv. 8. pag. 446.

185. ס' היראה *Sepher hajirah*, *Liber Timoris* quem MS. in Bibl. Vatic. extare & quomodo homo erga Deum & proximum ſe gerere debeat, tractare, ſcribit Bartol. IV. 304. Exiſtimarem iſtum librum cum eo qui in libro יראים *Timentium*, cujus autor eſt R. *Eliezer Methenſis*, pro quo male Buxtorf. R. *Benjamin* habet, notante Bartol. I. 190. primus in ordine de *Timore* conſcribitur, eundem eſſe, de quo poſteriori libro conf. Bartolocc. l. c. & pag. 743. quamvis etiam hoc titulo librum reperiam ad calcem libri שערי תשובה *Portæ Pœnitentiæ*, cujus autor R. *Jona Gerundenſis* excuſi Venet. Anno 304. & Cracov. Ao. 341. 4to.

186. ישועות ונחמות *Jeſchuoth venachamoth*, *Salutes & Conſolationes*, Titulus libri Hebræo-Teutonici ex libro אבקת רוכל & aliis Tractatibus concinnati Exc. Amitel. Ao. 409. 4to. vid. ש״י.

187. ישע יה *Adjuva Domine*. Commentarius vocum libri Zohar. Ex eodem.

188. ס' הישר *Sepher hajaſchar*, *Liber recti*. Præter illum cujus autor eſt R. *Jacob Tam*, obſervante Normanno ex *halicboth olam*

olam cap. 11. fin. p. 21. tribuitur R. *Moſche Maimonidæ*, alius hoc nomine autoris ignoti liber extat, qui Hiſtorias in Pentateucho & libro Joſuæ extantes mire explicat, & ad Judæorum Exilia & perſecutiones applicans, multa fabuloſa intermiſcet, quale eſt, quod in principio de Lombardorum apud Italiam bello affert, unde concludere licet, recentem librum, & mendacium eſſe, quod in ejus Præfatione ſcribitur, illum nempe tempore everſionis urbis Hieroſolymitanæ apud quendam ſenem una cum aliis libris inventum fuiſſe. Primum hunc librum publici juris fecit R. *Joſeph fil. R. Samuelis parvi* Venet. Anno 385. qui poſtea Pragæ Anno 428. 4to. iterum impreſſus fuit. Germanice etiam a R. *Jacob* fil. R. *Jeremiæ Mattathiæ Levitæ* tranſlatus, cum quibusdam additionibus, ſub titulo תם וישר prodiit Francof. ad Mœn. Anno 434. 8vo. vid. Bartolocc. III. 935. & ש״י. Dominus *Edzardi* his plane gemina notat, quamvis autorem verum detegendi ſpem prorſus deſperatam faciat, editoremque ſaltem aſſignet R. *Joſephum* fil. R. *Samuelis Hakkaton*.

כ.

189. כבוד השם *Kevod haſchem.* Præter illos de quorum autoribus conſtat, alius hoc nomine Cabaliſticus liber reperitur, cujus autor ignoratur, de quo mentio fit in Zemach Dav. fol. 49. Ex. י״ש.

190. כוזרי *Cozri*, multiplicis doctrinæ ac famæ liber quo Rex nomine Cuzar & Judæus de religione diſputantes introducuntur, quem ex Hebraico Joh. *Buxtorfius* fil. eleganter in Latinam linguam vertit & notis illuſtravit excuſ. Baſil. 1660. in 4to. Quo autem autore primum liber iſte confectus ſit, mire inter ſe diſſentiunt rerum Judaicarum ſcriptores. Quidam enim ab ipſo Rege *Cuzar* eum ſcriptum exiſtimant. Alii, quæ communis ſententia eſt quam etiam Buxtorf. & Bartol. III. 61. ſeqq. amplectuntur R. *Judam hallevi fil. R. Samuel hallevi* Hiſpanum, qui circa Aben Ezræ tempora vixit, autorem conſtituunt, uti etiam in Edit. Veneta Ao. 307. ſub tituli frontiſpicium legitur. At in recentiori editione Veneta Ao. 354. cum Commentario R. Jehudæ Muſcato, ejus autor R. *Iſaac Sangari* nominatur. Porro in Schalſch. hakkab. pag. 40. b. dicitur R. *Judas Almangori*, & in Meor Enaim c. 42. pag.

pag. 135. b. *Iſaac Chanagri*, de qua nominis varietate videndus Bartoloc. l. c. Nec vero minus inter autores convenit, qua lingua primum exaratus ſit, etſi plerique aſſerant, ex lingua Cuzorica, quæ in regno ejus nominis ad latus orientale ſito mari Caſpio contermino, uti in prælog. Geograph. Nubienſis pag. 5. & part. 6. clim. 5. pag. 242. hoc regnum ponitur, viguit, adeoque Perſica antiqua vel Meda, in Arabicam a R. Juda hallevi tranſlatam fuiſſe, ex qua 27. annis poſt R. *Judas Aben Tybbon* in Hebraicam linguam vertit, cum alia verſio prior iſta a quodam R. *Juda ben Kardaniel* jam ante evulgata fuiſſet, quæ tamen non fuit ab omnibus approbata. Ante memoratas Venetas editiones primum Conſtantinop. Anno 266. Hebraica editio lucem aſpexerat.

191. ס' הכונות *Sepher haccavvonoth*, *Liber intentionum*, quem Theologiam Cabaliſticam tradere recte ex Hottingero obſervat Bartol. 4. 309. Autorem ex ש"י novimus eſſe R. *Iſaacum* fil. R. *Salomonis Luria* Cabaliſtarum Principem, cujus libri editio Veneta Anno 384. 4to. ibi adducitur, quam mihi videre non licuit. Vidi tantum de Ao. 380. 4to inter impreſſos libros Biblioth. R. C. num. 1007. & vereor ne ſphalma inſit libro ש"י.

192. כל בו *Kol bo*, *Omnia in eo*, liber juridicus, in quo omnia legis præcepta ritus & conſuetudines quæ ad Politiam Judaicam ſpectant, continentur, de cujus tamen autore prorſus nihil ſcitur, etſi R. Schabtai a quibusdam diſcipulis R. *Perez* Sacerdotis, vel ut alii volunt a *Bar Scheſcheth* compoſitum fuiſſe, nonnullos aſſerere ſcribit. Impr. Venet. Ao. 332. 4to. Armini & Venet. Anno 307. & 327. fol. Hunc librum cum aliquando, cum Maimonidis libris ritualibus conferrem, adeo ad verba etiam inter ſe convenire animadverti, ut unum ex altero exſcriptum eſſe concluderem. Bartol. hujus libri ne meminit quidem.

193. כלי הרועים *Keli haroim*, *Vas paſcentium*. Commentarius in Jalkuth, adductus in ש״י.

194. ס׳ הכלימה *Sepher hakkelimah*, *Liber Pudoris*. Diſputationes de fide Chriſtianorum in capita diviſæ, a R. *Joſeph Aben Schem Tow* in Commentar. ad epiſtolam R. *Preipoth Ephodai* adducuntur, teſte autore ש״י.

195. כללי הרפואה *Kille harephuah*, *Regula de Sanitate* Librum prægrandem MS. extare aſſerit idem.

196. כנף רננים *Cenaph renanim*, *Ala Pavonum*, ordo precum & orationum per totum

tum annum diebus Sabbathi & feſtis recitandarum ad ritum Judæorum Italorum compoſitus. Cum pulchro Commentario R. Joſeph *Jedidiah* fil. R. *Benjamin Kar* prodiit Venet. Ao. 387. 4to eodem teſte.

197. כף נחת *Caph nachath*, *Vola quietis*. Hunc Buxtorfius minus recte dicit eſſe librum Misnajoth cum brevi commentario. Nam ipſe commentarius hunc titulum fert, cujus autor R. *Iſaac Aben Gabai* Exc. Venet. 369. 8vo.

198. כפתור ופרח *Caphthor vapherach*, *Pomum & Flos* liber continens Hiſtorias Talmudicas, Agadoth, medraſchot & ſimiles Sermones allegoricos, a Buxtorf. ſine autoris nomine affertur, qui eſt R. *Jacob* fil. R. *Iſaac Lurati*. Intelligentiſſimus & diligentiſſimus Rabbinicorum Lector Dominus *Edzardus* oſtendit, hoc nomen auctorem in titulo verbis ישריש יעקב (*radicare faciet Jacob*) ex Eſ. 28: 6. petitis, inſinuare quam diſerte exprimere maluiſſe; quamvis in calce libri apertius aliquanto ponat. Excuſ. Baſil. Ao. 341. 4to dicitur alias etiam כוונת האגדות.

199 ס׳ כריתות *Sepher kerithuth*, *Liber Exciſionis*, Logicam Talmudicam eſſe ex Hottingero ſcribit Bartolocc. IV. 309. Ejus autor R. *Simſon* fil. R. *Iſaac* מקינין. Excuſ. Con-

Conſtantinop. Anno 276. & Cremonæ Anno 318. 4to.

200. כתובות שטרות *Kethuvoth ſchetaroth*, *formularium inſtrumentorum.* Hunc anonymi librum ad res judiciales pertinere & MS. in Bibl. Vatic. extare, ſcribit Bartoloc. IV. 321.

201. כתר שם טוב *Kether ſchem tov*, *Corona boni nominis.* Librum Cabaliſticum in quo nomen quadriliterum Jehovah vi Cabaliſtica exponitur, Bibl. Vatic. MS. affert Bartol. IV. 312. Puto hujus libri autorem eſſe R. *Abraham Kelonia*, uti conſtat ex ש״י ubi MS. citatur & Latine etiam extare dicitur. MStum etiam olim vidi in Biblioth. R. C. num. 125. Ao. 120. לפ״ק exaratum, qui conſtat 9. foliis, & iterum in 4to. n. 194. ſex foliis conſtantem.

202. Alium hoc titulo Bibl. Vatic. MS. codicem affert Bartol. IV. 522. quem expoſitionem eſſe dicit ſuper X Sephiroth Cabaliſtarum.

ל.

203. לב טוב *Lev thov*, *Cor bonum*, liber Germanico idiomate characteribus Hebraicis ſcriptus, inter anonymos a Bartol. refertur. IV. 313. cujus tamen autorem indicat R. Schabtai

Schabtai in ש"י quod ſit R. *Iſaac* fil. R. *Elikon*, *Poſnanienſis*. In illo inſtruitur homo, quomodo ab incunabulis bonum facere & a malo declinare poſſit. Diviſus eſt in decem capita. Excuſ. Pragæ Ao. 380. Amſtelodam. Ao. 430. & Vilnæ in fol. it. Cracoviæ Ao. 401. 4to.

204. לבנת הספיר *Libbnath haſſaphir*; *Later Saphiri*, præter Grammaticum, quem ex *Buxtorfio* Normannus affert, & cum eo adſcribit R. Jehudæ Leoni, alium affert anonymi librum autor ש"י, & Buxtorfius fil. in append. Bibl. Rabb. quem Commentarium Cabaliſticum eſſe ex MS. extare ſcribit.

205. לוחות שנים *Luchoth ſchanim*, *Tabulæ annorum*, quæ vel ad libitum factæ, vel cyclum 19. annorum continent & machzor nomen ferunt. Harum quamplurium autores ignorare aſſerit Bartolocc. IV. 333.

206. לחם אבירים *Lechem abbirim*, *Panis robuſtorum*. Liber Talmudicus Juridicus. Hæc Buxtorf. Ejus autor excellens R. *Abraham Aben Oraz* cognomine *Aben Burgal*, continetque additiones novas in quosdam Tractatus Talmud. Excuſſ. Venet. 365. fol. Normannus ex ש"י idem confirmat, iterumque editum Londini a Roberto Martini Bibliopola, ex catalogo librorum ejus memorat,

rat, 1633. 4to. Cavius vero tribuit R. *Abraham ben Gaziz.*

207. לחם יהודה *Lechem Jehudah*, *Panis Jehudæ.* Commentar. in Pirke, Savionettæ Anno 314. 4to excuſus audit Buxtorfio. Ejus autor R. *Jehuda* fil. R. *Samuel Lirma* Hiſpanus.

208. לחם משנה *Lechem Miſchneh*, *Panis Miſnæ.* Commentar. in כסף משנה ap. Buxtorf. & notante Normanno ex catalogo librorum Roberti Martini Bibliopolæ Londinenſis, auctore R. *Abraham de Boton.* Quod idem ex Platavicio confirmat celeberrimus *Cavius.* Aſt hoc falſum, nullus enim Commentarius extat in כסף משנה.

Eſt igitur Commentarius vel in Maimonidem R. Abrahami de *Boten*, vel in Miſnajoth R. Moſis fil. R. *Noach Iſaac Leipſchûtz*, de quibus vide ש״י.

209. לחם רב *Lechem raf*, *Panis multus* itidem absque autoris nomine adductus apud Buxtorf. quem res & modos loquendi Talmudicos continere ſcribit. Autor ejus libri eſt *Abraham* de Boten. Excuſ. Armiræ Ao. 420. 4to.

210. לחם שלמה *Lechem ſchelomoh*, *Panis Salomonis.* Liber Concionum apud Buxtorf. Ejus autor R. Salomon fil. R. *Iſaac de domo Levi.* Sunt autem conciones vel

potius

potius Commentarii in acute dicta Rabbinorum juxta ordinem Gemaræ excuſ. Venet. Ao. 357. 4to. Idem confirmat Cavius.

211. לכל חפץ *Lechol chephez*, *Omnis rei deſiderium*, qui Buxtorfio liber audit formularis Contractuum, Inſtrumentorum, libellorum, Juris Matrimonii, repudii Emtionis, Venditionis, Locati, Conducti, Commercii, mutui, depoſiti &c. excuſ. Venet. anno 312. in 4to. Autor ejus libri eſt R. *Jehuda bar Schmuel* Abarbenel. Quod confirmans Dominus *Edzardus* remittit Lectorem ad præfat. in qua nomen auctoris exprimitur. *Cavius* vero aſſignat R. *Eliezer* Mimmeli.

212. Alium hoc titulo librum oſtendentem perniciem luſus, qualis eſt liber סור מרע ibidem adducit. At iſte poſterior liber & liber סור מרע de quo infra, unus idemque eſt.

213. למודי אצילות *Lemude aziloth*, *Doctrina rerum ſeparatarum*. Librum Cabaliſticum MS. affert Buxtorf. Hujus autor R. *Iſaac* Luria.

214. לקח טוב *Lekach tof*, *Doctrina Bona*. Duplicem anonymum librum recenſet Buxtorf. quorum prior eſt Lexicon Hebræo-Germanicum ſuper tota Biblia, additis ſparſim gloſſis Hebraicis, exc. Pragæ in 4to.

(A. 364.)

(Ao. 364.) Hic factus eſt per R. Moſen *fil. Iſaſchar Levitam.*

215. Alterum Catechismum puerorum Hebræorum eſſe dicit, per quæſtiones & reſponſiones inſtitutum, excuſ. Venet. in 8vo (Ao. 302. & Amſtelod. A 318. 8vo.) Hujus autor R. *Abraham Jaghel fil. R. Chanania de Monzelizi.* (Quod utrumque Normannus ex ש״י confirmatius aſſerit.) quem ejurata religione Judaica grandævum tandem ad Chriſtianos tranſiiſſe Bartol. aſſerit 1. 26. cujus liber etiam Germanice literis Rabbinicis prodiit Amſtelod. Anno 435. 4to. & præterea a magn. D. Joh. Bened. *Carpzovio* Theologo Lipſienſ. in Latinam linguam translatus una cum Hebræo inſertus legitur in Introductione in Theolog. Judaicam, quam Lipſ. editioni Ao. 1687. Martini Raymundi Pugionis fidei præmiſit. p. 45. ſqq.

216. לקוטי זוהר, *Likkute ſohar, Collectanea ex Sohar* Buxtorf.

217. לקוטי הפרדס *Likkute happardes, Collectanea ex Pardes Rimmonim.* Idem; ſed male. Non enim collectanea ſunt ex Pardes Rimmonim, ſex ex libro R. *Salomonis Iſaaci.* Autor dicitur R. Salomon. Excuſ. Venet. Ao. 289. 4to.

218. לקט שכחה ופאה *Leket ſchecchah upheah.* Hujus tituli librum Ferraræ in 4to

(Ao. 316.)

(A. 316.) excuſum & in Caphtor fol. 78. citari, ait Buxtorf. Eſt autem Commentarius Cabal. in quasdam Talmudis ſententias R. *Abrahami Aben Alimelech*, cui junctus Commentarius in 10. ſephiroth R. *Joſeph Aben Chaim.* vid. ש"י.

219. לשון זהב *Leſchon ſahav*, *Lingua aurea.* Quem hoc titulo Buxtorf. librum affert & Venetiis (Ao. 359.) in 4to. prodiiſſe ſcribit, eſt Commentarius in aliquos Davidis Pſalmos R. *Jedajah Happenini*, & R. *Joſeph* Teutonici, vel ut in Appendice Buxtorf. legitur, Tractatus de nominibus menſurarum, quæ in ſcriptura extant, autore R. *Iſaac* Alchadef, id eſt, *gibboſi*;

220. Præter quem alium anonymum adducit autor ש"י, qui modum epiſtolas ſcribendi pueris tradit. Excuſ. Cracov. A. 421. 8vo.

221. לשון חמורים *Leſchon chamorim*, *Lingua Aſinorum.* Librum impreſſum ſuper Gemaram allegat autor ש"י.

מ.

222. מאה דפין *Meah dappin*, *Centum folia.* Medicum librum eſſe ex Talmudicis libris collectum, dicitur in Append. Buxt. & in ש"י.

223. מאה שערים *Meah ſchearim*, *Centum portæ.* Præter duos ejus nominis libros MS. de quorum autoribus conſtat, anonymum affert autor ש״י & 100. conciones ſuper Moſaica præcepta Conſtantinop. impreſſas continere ſcribit.

224. מאור עניים *Meor anijim*, *Lumen pauperum* apud Buxtorf.

225. מאוני צדק *Mosne zedek*, *Bilances juſtæ*, Scrutinium Computationis anni embolismici MS. ſine nomine autoris in ש״י allatus liber diverſus eſt, ab alio Arabice ſcripto & Hebraice verſo.

226. מאוני העיונים *Mosne haijunim*, *Statera Contemplationum*, liber apud Maſium in Joſuam citatus, teſte Buxtorf.

227. מאמר האחדות *Maamar hanchaduth*, *Sermo de unitate Dei.* Liber Cabaliſticus Ferrare in 4to Buxtorf. (Ao. 314. & Lublini Ao. 357.) autor R. *Joſeph Javez.* Adjunctus eſt liber יסוד האמונה & alius אור החיים Stylus vero philoſophicus potius eſt, quam Cabaliſticus. Adducitur in medio libri, ejusdem Autoris Comm. in פרקי אבות.

228. מאמר השכל *Maamar haſſechel*, *Sermo de Intellectu.* Iterum Cabaliſticum appellat Buxtorf. Sed & Philoſophicus eſt, explicans 613. præcepta ad formam libri

חובת

חוברת הלבבות compoſitus autore R. *Samuel bar Jehuda*, exc. Cremonæ Ao. 317. 4to. Quod nomen obſervante Edzardo auctor in fine libri fol. 53. b. m. detegit.

229. מאיר איוב *Meir Job*, *Illuminans Jobum*. Explicationem elegantem philoſophicam libri Job eſſe, ſcribit Buxtorf. Ejus autor R *Meir fil. Arama*, & impr. Venet. Ao. 327. dicitur ש״י. Ego aliam etiam editionem vidi Riviæ Ao. 322. impr. In confirmationem horum Normannus adducit Catal. Erpen. p. 14. & Aboabi Nomol 301.

230. מאיר תהלות *Meir Thehilloth*, *Illuminans Pſalmos*, ſimilis expoſitio Pſalmorum, apud Buxtorf. Ejus itidem autor R. *Meir fil. Arama*, & impr. Venet. Ao. 350. in 4to.

231. מאיר נתיב *Meir nathif*, *Illuminans viam*. Liber Concordantiarum in Script. S. excuſ. in fol. Venet. Ao. 284. vel 282. ut eſt in ש״י vel 283. ut in Præfat. Concordantiarum Buxtorf. & Baſil. Ao. 1581. per Frobenium, quem eundem eſſe ſcribit Buxtorf. qui alia methodo Parentis ſtudio diſpoſitus, emendatus & auctus editus fuit Baſ. Anno 1631. cujus tamen auctorem non nominat. Iſtæ concordantiæ primum Latine prodierant ſtudio cujusdam *Arlotti* natione Etruſci, ordinis Minorum miniſtri generalis, qui floruit ſub Adolpho Imper. 1290. cujus memi-

nere *Trithemius*, *Geſnerus* & *Sixtus Senenſis*, uti etiam teſtantur R. *Gedalia* in ſchalſch. hakkab. fol. 56. b. & R. *Schabtai* in ש"ש, deinde in Hebraicam linguam tranſlatæ ſunt per R. *Iſaac Nathan*, vel ut in Zemach David f. 60. eſt, R. *Mardochai Nathan*. Hæ prodierunt etiam Venet. Ao. 324. Plura vid. ap Buxtorf. in Præfat. Concordant. Hebraic. & Morinum, ex Biblioth. p. 487.

232. מאירת עינים *Meirath enajim*, *Illuminans oculos*. Sub hoc titulo tres anonymos libros affert Buxtorf. Primum ſcribit eſſe ſummariam omnium 613. præceptorum expoſitionem exc. Pragæ in 8vo. Hujus autor eſt R. *Joſeph bar Alchanan Heilbronnenſis*. Cavius aſſignat R. *Joſeph Habeſpheron* ex Plantavitio.

233. Alterum ritualem & Juridicum vocat editum Cracov. (Ao. 430. fol. & antea Pragæ Ao. 366. & 388. tandem Wilmersdorff. Ao. 430.) Ejus autor R. *Joſua Pelek* fil. R. *Alexandri*, ſacerdos juſtitiæ, eſtque commentarius in חושן המשפט.

234. שלחן ערוך *Schulchan Aruch*. Tertius audit Expoſitio arcanorum Cabaliſticorum, quæ occurrunt in R. *Moſis Nachmanidis* Commentariis in legem. Hujus autor eſt R. *Iſaac* רמן עכו nec liber impreſſus extat,

extat, ſed tantum adducitur in libro נובלות חכמה vid. ש״י.

235. מבוא אל אותיות *Mavoa al othijoth*, *Introductio ad literas Hebraicas* cujus autor ignoratur. Affert Bartolocc. IV. 336. & excuſum ſcribit Piſauri apud Hieronymum Soncinum Ao. 1510. in 8vo.

236. מבחר הפנינים *Miſchar happeninim*, *ſelectus margaritarum* vel *Electio gemmarum* (pro quo male Buxt. *Selecta margarita*) liber vel inde notiſſimus, quod eum fere integrum Joh. *Druſius* in libro ſuo *Apophtegmatum Hebraeorum & Arabum* recenſuit, quem nihilominus ſine autoris nomine affert Bartol. IV. 317. & MS. extare ſcribit in Bibloth. Vatic. qui complectitur collectanea Proverbiorum, caſtigationum, eruditionum, ænigmatum & Præceptorum priſcorum Philoſophorum gentilium. Atqui etiam Buxtorf. in Bibliotheca ſua (quam alias Bartol. interdum conſulere aſſuetus eſt, hic autem non inſpexit) eum a R. *Salomone ben Gavirol* Arabica lingua collectum & inde in Hebraicam tranſlatum a R. *Jehuda Aben Tybbon* Cremonæ in 4to. Ao. 318. antea jam apud Soncinum Ao. 244. prodierat) impreſſum fuiſſe notaverat. Etſi vero Buxtorf R. *Salomoni ben Gavirol* hunc librum tribuat, autor tamen ש״י eum R. *Jedajah* adſcribit.

 Quod

Quod & *Edzardus* utrumque aſſervavit. Verſibus metricis etiam ſub tit. שקל הקדש extare, autore R. *Joſepho fil. R. Iſaac Kimchi*, patre *R. David Kimchi*, ſibique MS. Conſtantinopoli domo miſſum fuiſſe, a R. *Jacobo Romano*, teſtis eſt Buxtorf. p. 418. quanquam Morinus Ex. Bibl. p. 540. illam *David Aben Jechajæ* tribuat, a quo Buxtorfium pleraque exſcripſiſſe dicit. Idem aſſerit annexum eſſe ejusdem *Aben Jechajæ* libro Grammatico לשון למודים qui CPLi primum Ao. 1506. deinde per Gilb. Genebrardum Latinitate donatus cum introductione ad Rabbinorum lectionem Pariſiis Ao. 1587. editus fuit.

236. *a* מגדל דוד *Migdal David, Turris David*, Cavio eſt Commentarius de repudiis, autore R. *David ben Jacob*, excuſ. in 4to. Theſſalon. ſub imperio Sultani Amurati, rarus admodum & cariſſimo pretio emendus, ex Plantavitio.

237. מגלת אנטיוכוס *Megillath Antiochus, Volumen Antiochi.* Compendium ex Maccabæorum libris, quo hiſtoria impii Regis Antiochi Epiphanis, qui populo Judaico multa mala intulit, continetur, quamvis ab illis multum diſcrepans, ut notat Bartolocc. I. 383. & IV. 330. excuſ. Mantuæ A. 317. 8vo. quod etiam in libro machzor Judæorum

dæorum Hiſpanorum legitur, ex quo integrum Latine tranſlatum & notis correctum, primæ magnæ Bibliothecæ Rabbin. partip. 383. ſqq. inſeruit Bartolocc. qui p. 403. ex Talmude cod. שבת c. 1. compilatum fuiſſe putat. Reperitur etiam Germanice Hebraicis literis Pragæ excuſum.

238. מגלת ספר *Megillath ſepher*, *Volumen libri.* Liber Epiſtolicus 113. epiſtolas continens, quem fere totum Latine reddidit & notis illuſtravit *Buxtorf.* in peculiari libro cui titulus. *Inſtitutio Epiſtolaris Hebraica cum centuria Epiſtolarum* Impreſſus fuit Hebraice Mantuæ & Cremonæ Anno 326. 8vo.

239. מגלת תענית *Megillath thaanith*, *Volumen Afflictionis.* Hunc libri tanquam a Talmud. vel quaſi Talm. Tractatu, qui hoc nomine Talmudi adjici ſolet, diverſi titulum in Tr. de Synedr. 111. 13. p. 137. affert Jo. Seldenus, cujus nec Buxtorfium nec Legerum, Genebrardum, Geſnerum, aut Plantavitium meminiſſe ait, etſi Buxtorf. in Lex. Talm. p. 1046 quædam verba ex illo adduxiſſe ſcribat. Obſervat autem Jo. Morino primum iſtum librum innotuiſſe, cui l. 1. ex. Bibl. c. 3. §. 1. Judæorum judicio *admodum antiquus* dicitur. Cumque codicem nimis rarum & a tot viris prætermiſſum,

præterea multa hiſtorica alibi non reperta, quæ ad feſtivitates Ebraicas pertinent, eo contineri animadverteret, viſum ipſi fuit ex ſuo Codice MS. quem cum Seder Olam, Sota, Cabala R. Abrahæ & Chronico templi ſecundi in 4to (utinam etiam editionem adjeciſſet) ſe poſſidere ait; ſingulos dies feſtos illic narratos nec in Calendariis obviis lectos ibi exhibere, quod etiam plurimis foliis perſequitur & deinde p. 145. ſq. poſtquam in hoc libro ipſum librum מגלת תענית ſæpe citari adeoque non eundem eſſe poſſe cum מ״ת deprehendit, concludit, opuſculum ipſum confectum fuiſſe ex libro alio ſic dicto, vel eſſe מדרש ſ. Commentarium libri מגלת תענית. At enim vero fruſtra operam impendiſſe cenſendus eſt *Seldenus*, cum pro alio libro quam eſt iſte Tr. Talmudicus hoc nomine inſignitus iſtum venditare allaboravit, ſiquidem nullus alius extet, ille vero de quo longum ſermonem Seldenus inſtituit, nihil aliud ſit quam Commentarius in מגלת תענית, quem ex utroque Talmude Raſchi & Toſephoth conſarcinavit, ab altera vero parte novas obſervationes & additiones ex aliis libris depromptas appoſuit R. *Abraham Hallevi fil. R. Joſeph.* Quod vero neuter horum autorum, quos adduxit Seldenus iſtius libri mentionem injecerit, cauſa fuit vel quod

quod ipſis non innotuerit, vel quod tardius demum iſte Commentarius nempe Ao. 419. 40. Amſtelodami lucem aſpexerit. Illa vero verba, quæ Buxtorfium in Lex. Talmud. p. 1046. ex מגלת תענית adducere ſcribit Seldenus, extant in illo Tractatu de quo nobis ſermo eſt c. 2. f. 7. col. edit. Amſtelod. ut in epiſtola ad Caſparum *Sagittarium* teſtatur Jo. *Saubertus*, quæ in iſtius Analectis de Januis veterum ad Almeloven. Jen. 1694. 8. editis p. 44. legi poteſt.

240. מגן אבות *Magen avoth*, *Scutum Patrum*, Diſputationem contra Muhamedanos, Karaitas & Chriſtianos, notantem errata Alkorani &c. ex Legero affert Buxtorf. & autor ש"י ſine nomine autoris.

241. מדבר יהודה *Midbar Jehudah*, *Deſertum Judeæ.* Librum Concion. Venet. in 4to. A. 362. impreſſum eſſe, ſcribit Buxtorf. Autor R. *Jehuda Leo Mutinenſis*, notante Cavio, *Plantavitii Præceptor.*

242. מדרש *Midraſch* vel *Medraſch* quo nomine commentationes allegoricæ & hiſtoricæ veniunt. Tales autem libri in diverſos libros Biblicos plurimi extant, de quorum autoribus nihil aut parum conſtat. Ita Buxtorf. allegat. ſeqq. comment. Medr.

243. מדרש התורה *Midraſch hattorah*, *Commentarium Homologeticum in legem*, Saloneci

neci in fol. excuſ. (Ao. 355.) Hujus autor in ſchalſch. haccab. fol. 59. dicitur *R. Iſaac Hannaſi*, in quem commentarii extant R. *Jehuda Gedalia* & R. *Iſaſchar Baar*.

244. מדרש חמש מגלות *Midraſch chameſch megilloth*, *Comment. allegor. in V. libellos* ibid. Iſti commentarii ſæpe etiam impreſſi ſunt Venet. ut Ao. 305. & Ao. 310. 368. citante Bartolocc. IV. 317. ſq.

245. מדרש שיר השירים ואיכה מזוהר *Midraſch ſchir haſchirim veecha miſſohar*, *Comment. alleg. in Canticum Cantic. & Threnos ex Zohar* Cracov. in 4to. cujus itidem autor ignoratur. Annexus libro זוהר חדש & MS. etiam in Bibl. Vatic. teſte Bartoloc. l. c.

246. מדרש תהלים *Midraſch thehillim*, *Commentar. allegor. in Pſalmos*, Venet. apud Bomberg. Anno 306. fol. Hi conjunctim cum

247. מדרש משלי ſ. *Comment. alleg. in Proverbia Salomonis*, quem poſt affert Buxt. prodiere. De autore nihil.

248. מדרש שמואל *Midraſch Schemuel*, *Comment. allegor. in Samuelem* ibid. Hoc nomine venit expoſitio antiqua, quorundam Rabbinorum in Samuelem de qua Bartolocc. II. 765. & IV. 319.

249. Alius hoc titulo apud Buxtorf. liber, quo

quo conjunctim habentur omnes commentatores in פרקי אבות cujus autor R. *Samuel de Oſida*, excuſ. Venet. Ao. 365. & Cracov. Ao. 354. 410.

250. מדרש דבי אליהו *Midraſch debe Eliahu*, *Midraſch domus Eliæ*, quem dicit continere narrationes Hiſtoricas ſ. fabulas ex Talmud. de quo etiam Bartol. IV. 320.

Extant præterea anonymi hujus farinæ libelli.

251. מדרש כהנים *Midraſch cohanim*, *Expoſitio allegorica Sacerdotum*, quæ eſt in librum Leviticum, ככילתא appellata cujus autor communiter eſſe fertur R. *Akiva*, de quo infra.

252. מדרש כונן *Midraſch conen*, *Expoſitio allegorica*, ſuper illa Proverb. 3: vſ. 19. כונן שמים בונה *ſtabiliens cælos in intelligentia*, tractans de cœlis Terris & menſuris totius orbis terrarum &c. de qua Bartoloccium IV. 318. Reperitur in libro ארזי לבנון *Cedri Libani* quo de ſupra num. 65. egimus.

253. מדרש הנעלם *Midraſch hannaalam*, *Midraſch abſconditum*, qui eſt Comment. allegor. in Ruth, cujus autor communiter eſſe fertur R. *Simeon ben Jochai*, & junctim prodiit cum Zohar chadaſch, de quo ſupra num. 132.

254.

254. מדרש שוחר טוב *Midraſch ſchochar thov*, *Midraſch ſurgentis diluculo ad bonum* (pro quo Buxtorf. pag. 412. & Dasſov. in præfat. libr. de Reſurrectione mortuorum legunt שוחד טוב *munus bonum*) eſt comment. alleg. ſuper Pſalmos, Samuelem (non Canticum Canticor. ut habet Bartolocc. IV. 319.) & Proverbia, autoris ignoti, qui Tanaitarum tempore vixiſſe communiter creditur. excuſ. Conſtantinop. Ao. 282. Venet. 306. fol. & tandem cum additionibus R. *Iſaaci fil.* R. *Simſonis* Pragæ Ao. 373 fol. ut alios hujus farinæ libros nunc taceamus: vid. tamen infra tit. רבות

255. מהלך הכוכבים *Mahalach haccochavim*, *Iter ſtellarum*, Librum Aſtronomicum vocat Buxtorf. Hujus autor in Præfat. libri מנוח הלבבות fertur eſſe R. *Ephraim* orientalis. Idem jam obſervarat Cavius.

256. מהות הנפש *Mehavath hannepheſch*, *De Eſſentia animæ*. Librum Arabice ſcriptum cujus autor ignoratur, & Hebraice a R. *Zarachia Levita* tranſlatum extare MS. in Vaticano aſſerit Bartolocc. IV. 305.

257. Ibidem alium anonymum MS. librum in tres partes diviſum affert, qui agit *de præſtantiori ſtatu animæ intellectusve ſupra cætera animantia brutorum.* De utroque alibi nihil invenio.

258. מהלך שבילי הדעת *Mahalach ſchevile haddaath*, *Profectio per itinera ſcientiæ*, liber celebris Grammaticus a R. *Moſe Kimchio* Anno 1190. claro compoſitus, & eleganti commentario a R. *Elia Levita Germano* illuſtratus, quem nihilominus R. *Benjamin fil. R. Juda Romanus* cum Piſauri Ao. 268. 4to. hunc librum ederet, pro ſuo venditavit, ſuumque nomen in principio præfationis adſcripſit, unde etiam in errorem lapſus fuit Joh. Maria *Vincentius*, qui in prima *parte del Meſſia venuto* pag. 447. huic R. Benjamino illum commentarium attribuit. De hac famuli ſui fraude valde conqueritur R. Elias Levita Germanus in fine Commentariorum ſuorum in hanc Grammaticam Venet. Ao. 384. 8vo. impreſſ. cujus verba ap. Bartol. 1. 674. videſis. Nos idcirco merito in pſeudonymorum numerum eum retulimus. Cœterum de reliquis libri hujus editionibus & tranſlationibus plura in nova noſtra Bibliotheca Rabbinica dicemus.

259. מהררי נמרים *Meharre nemarim*, *De montibus pardorum*. Expoſitionem quarundam proprietatum loquendi & diſputandi in Talmud. Venet. in 4to (Anno 359.) impr. vocat Buxtorf. Autor R. *Abraham fil. don Salomo Akara*. Cavius autorem dicit R. *David Benzemaram*.

260. מוסרי הפילוסופים *Muſare happiloſophim*, *Correctiones Philoſophorum*. Librum Proverbiorum Philoſophorum ad mores ſpectantium, in Vaticano MS. extantem citat Bartol. IV. 304. Idem dixerat Buxtorfius: Normannus obſervat ex ש״י, eſſe præcepta moralia & Epiſtolas ejusdem argumenti, item nomina Veterum Philoſophorum, de ortu & educatione Ariſtotelis relationem & id genus alia, Arabice primum conſignata a R. *Chanania*, *Izaaki* filio, Ebraice deinde verſa a R. *Jehudah*, *Salomonis Chariſii* fil. - -. - 1562. 4to.

261. מזמור לתודה *Mismor letodah*, *Pſalmus Euchariſticus* expoſitio Pſalmi CXIX. (nec non 15. canticorum graduum) Venet. in 4to. (Ao. 336. & Pragæ 370.) exc. affertur a Buxtorf. Ejus autor R. *Samuel fil. R. Iſaaci Aripol.* Normannus ex ש״י confirmat.

262. מחזור *Machſor*, *Cyclus*. Liber precum rythmice ſermone difficili, qui a paucis intelligitur partim ab antiquis, partim recentioribus maximam partem ignotis autoribus exaratarum, quas Judæi in maximis feſtis recitare ſolent. Præcipui autores ſunt R. *Eliezer Hakkalir*, R. *Iſaac* fil. *R. Jehudah Aben Giuth*, R. *Ammon*, R. *Jekutiel* fil. *Moſis*, R. *Benjamin* fil. *R. Samuelis*, R.

Simeon

Simeon fil. R. *Iſaac Magnus* &c. Variat iſte liber pro diverſitate Judæorum, neque enim (quemadmodum nec in ritibus Judæis idem mos eſt,) easdem preces continet liber machzor, qui in uſum Synagogarum Germanicarum & Polonicarum editus eſt, quas in machzor Judæorum Orientalium & Hiſpanorum reperire licet, & pro hac varietate diverſim ſæpiſſime excuſus liber proſtat, cujus editiones omnes recenſere præſentis inſtituti non eſt. Prolixe illas recenſuit Bartolocc. IV. 307. 322. quibus alias nonnullas in noſtra Bibl. Rabbinica adjiciemus. Inter præſtantiſſimas merito refertur Bononienſis, quæ in uſum Synagogæ Romanæ cum multis commentariis Anno 307. duobus voluminibus prodiit, & Veneta Anno 426. in 8vo in 3 voll.

263. מחזור הפסח *Machſor happeſach*, *Cyclus Paſchalis*. Liber Aſtronomicus apud Buxtorf Hujus autor R. *Simcha* de urbe Vitri diſcip. *R. Salomonis*. Norman. ex *Münſter*. Calend. Hebr. auctorem dicit R. *Nahaſchonem*.

264. מחזיק אמונה *Machaſik emunah*: *Fortificans fidem*. Diſputatio inter Judæum & Chriſtianum, qua Judæus captioſis argumentationibus Chriſtianam fidem evellere conatur, in XIII. capita juxta articulos fidei

dei Judaicæ diſtributus, MS. in Bibl. Vatic. teſte Bartolocc. IV. 307. Ejus autor R. *Mardochai* fil. R. *Joſaphat*.

265. מחקר הסודות *Mechkar haſſodoth*, *Scrutatio ſecretorum*. A Galatino citari lib. I. cap. 3. aſſerit Buxtorf.

266. מטה משה *Matte Moſche*, *Baculus Moſis*. Liber Juridicus Buxtorfio audit cum potius ſit ritualis præſtantiſſimus, agens de benedictionibus, precibus, Sabbato, feſtis &c. impr. Cracov. Ao. 351. 4to: autore *Patre domus judicii Premislienſis* fil. R. *Abraham* ut vocatur in ש״י.

267. מי המרים *Me hammarim*, *Aqua amara:* Solum titulum attulit Buxtorf.

268. מכילתא *Mechilta* Comment. allegor. in Exodum, Liber pro antiquiſſimo habitus, ſiquidem ut vult autor Schalſch. hakkab. f. 32. a R. *Azai* in nomine R. *Akiva* fil. *Joſephi* inceptus & a R. *Iſmaele* abſolutus eſſe fertur, etſi *Aben Deor* in Kabbala a R. *Hoſchajah Rabba*, autor vero libri ערה לדרך a *Raw* ſcriptum aſſerit, quod negat Morinus Exerc. Bibl. pag. 348. recentiori cuidam illum librum adſcribit excuſ. Conſtantinop. Ao. 272. vel 280. juxta Bartoloc. II. 781. una cum libris ספרי & ספרא de quibus ſuo loco.

269. Quando autem Buxtorf. in Bibl. adhue

huc alium librum Mechilta R. Iſmaelis extare ſcribit, Conſtantinop. Ao. 1520. & Venet. in folio excuſum, non levem errorem committit, ſiquidem unus liber nec a memorato diverſus ſit, quem inchoavit R. *Azai* & abſolvit R. *Iſmael* juxta Rabbinorum opinionem, id quod facile animadvertere potuiſſet, ſi ipſum librum inſpexiſſet.

219. *a* מלחמת החכמה והעושר *Milchamath hachochma vehaoſcher*, *Bellum Sapientiæ & divitiarum.* *Liber* impreſſus Cracoviæ, 8vo. Normanno notante alias vocatus מלך רב Melech Raf, Rex magnus, auctorem habens R. *Jehudam Schabbethai* Levitæ fil. uti ex ש״י idem hunc affert.

270. מלחמות ה׳ *Milchamoth Adonai*, *Bella Domini.* Præter plures alios hujus nominis libros, de quorum autoribus conſtat, hoc ſeculo Venetiis anonymus impreſſus fuit, quo remedia præſcribuntur, qua ratione confluentiæ aquarum in Italia nuper exortæ i. e. tumultus a quibusdam Sapientibus excitati ſedari poſſint. Adducitur in כנסת הגדולה ut aſſeritur in ש״י Reſponſi loco iterum editus liber fuit ſub titulo משבית מלחמות de quo infra ſuo loco.

271. מלות הגנון *Milloth hinnajon. Explicatio vocum ſ. terminorum Logicorum* Cremonæ in 4to (A. 326.) exc. adduct. ap. Bux-

torſium Autor eſt Rambam, ſ. Moſes fil. Maimonidis. Normannus ex Hottingeri promt. Orient. pag. 47. & Martini Catal. p. 63. aſſentitur.

272. ס׳ המליצה *Sepher hammeliza*, *Liber facundiæ*. Ex Hottingero titulum affert Bartol. IV. 309.

273. מלכאל *Malkiel*. Librum parvum vocat Buxtorf. qui agit philoſophice de anima & ejus facultatibus exc. Thiengæ in 4to (Ao. 320.) At hoc nequaquam libri argumentum eſt ſed potius agit de præmiis & pœnis poſt hanc vitam, item de arbore ſcientiæ & nonnullis hiſtoriis Talmudicis. Autor R. *Chizkia fil. Abrahami.*

274. Alium librum מלאכיאל *Malachiel* affert Plantavitius, qui de anima ejusque potentiis phyſice & moraliter agit & quem Cracov. in 4to. Ao. 340. exc. ſcribit. Hunc a præcedenti quem ex Buxtorf. adduximus diverſum eſſe putat Bartol. IV. 28. ſq. ſed leviſſimò nixus argumento.

275. מנהג בתי אבות *Minhag botte avoth*, *Ritus familiarum paternarum.* Venetiis excuſ. dicitur in Append. Buxtorf.

276. ס׳ המנהיג *Sepher hammanhig*. Librum quo explicantur ritus Judæorum Hiſpanorum vocat Buxtorf. qui paulo poſt plures libros מנהגים ſ. rituales affert, de quorum ali-

aliquot autoribus nomina ignorantur. In ש״י ſolum adducuntur ritualia R. *Abraham Clausner* & R. *Iſaac Tirna.*

276. *a* מנהגי מהריל *Minhage maharil, Liber ritualis maharil.* Cremonæ 4to editus, cujus auctor Buxtorfio pag. 366. ignoratus a Cavio detegitur eſſe R. *Jacob Vajil.*

277. מנהיג עולם *Manhig olam, Gubernans mundum.* Liber ritualis, cujus autor R. *Elijakim* qui vixit Toleti Anno 1236 ap. Buxtorf. cum quo conſentit autor Schalſch. Hakkab. At alii ut R. Schabtai in ש״י obſervat, ejus autorem conſtituunt R. *Abrahamum* fil. R. *Nathan.* Complectitur ritus & precum ordinem Judæorum Hiſpanorum, Gallorum, exc. Conſtant. Ao. 279. 8vo.

278. מנהגי קראים *Minhage karraim, Ritus Caraitarum*, de quorum libris autoribusque pauca noſtris innotuerunt. Fragmenta illorum rituum deprehendere licet in libr. Adereth Elijahu, Cozri, meor Enajim &c. Quod vero Buxtorf. in App. Venetiis talem librum excuſum fuiſſe notet, id vereor, ne ſine teſte aſſeratur.

279. מנוח לבבות *Menoach levavoth, Requies Cordium.* Lublini in 4to (Ao. 386.) apud Buxtorf. Autor R. *Manoah Candel.* Eſtque Comment. in librum חובת הלבבות

 ubi

ubi in præfatione multi libri Aſtronomici ignotorum Autorum afferuntur.

280. מנות הלוי *Manoth hallevi*, *Portiones Levitæ.* Expoſitionem ſuper libellum Eſther vocat Buxtorf. Additæ ſunt multæ conciones. Autor R. *Salomo Levi alcabaz.* Exc. Venet. Anno 348. 4to. Normannus ex ש״י paulo aliter effert cognomen Auctoris, appellando R. *Salomonem Levitam Elkalim.* Cavius vero ſuperioribus gemina affert.

281. מנחה חדשה *Mincha chadaſchah*, *Oblatio nova.* Titulus libri ap. Buxtorf. Eſt comment. in Legem R. *Meir Calvo* MSt. Vel Comment. in פרקי אבות. R. *Jechiel* exc. Lubl. 336. 4to, duplex enim hujus nominis liber in ש״י.

282. מסורה *Maſſora.* Ita vocatur obſervationum Criticarum in Scripturam S. liber vulgo ſatis notus & vix 20 foliorum ſi conjunctim ſumas. Illum a *Viris Synagogæ magnæ* tempore *Esdræ* exiſtentis compoſitum fuiſſe communis Judæorum traditio eſt, etſi alii cum R. Elia Levita a *Sapientibus Tiberienſibus* proveniſſe ſtatuunt, de quo hic multa dicere nihil attinet, cum ab aliis ex profeſſo in utramque partem ſatis dictum fuerit. Primus luci publicæ expoſuit R. *Joſeph* fil. *Samuelis Aben Chajim* in Bibliis Bamberg.

283.

283. מסורת התלמוד *Maſora Thalmudis*: Index omnium rerum quæ in Talmud Babylonico tractantur, ad illum modum uti ſuper Talmud Hieroſolym. indicem fecit R. *Jebuda* fil. R. *Moſis* de domo *Gedaliæ*. Exc. Conſtantinop. Ao. 283. fol. teſte ש״י. Comperi hunc eundem librum eſſe cum alio qui inſcribitur מפתח הגמרא *Clavis gemaræ*, cujus autor R. *Salomo fil. R. Elijakim Panzi Rhodiginas* exc. Venet. Ao. 383. fol. & cum verſione Latina per Chriſt. Henr. *Ritmeierum* facta Helmſt. 1697. 4to.

284. מסכת פורים *Maſſechet Purim*. Vide ſupra ס׳ בקבוק *Sepher bikbuk* num. 85. Neſcio an hic idem ſit quem Wagenſeilius præfat. ad lib. Sota librum Pſeudo Thalmudicum de feſto Sortium vocat, & quem poſtquam Venet. ante centum & amplius annos excuſus eſt, Judæos magno ſtudio ſuppreſſiſſe ſcribit, ſeque ex Vaticano & MS. proprio probe emendatum iterum editurum (quod tamen nondum fecit) promittit.

285. מעין גנים *Majan gannim*, *Fons hortorum*. Liber Epiſtolicus 50 Epiſtolas Hebraicas ſtylo eleganti & brevi exaratas complectens, quem ſine autoris nomine affert Buxtorf. & Venet. Aot 313. 8vo. excuſ. ſcribit. Eſt is R. *Samuel* fil. R. *Elchanan Jacob Arkevolti*. Cavius conſentit.

286. מעין החכמה *Majan hachochma*, *Fons ſapientiæ.* Expoſitio Cabaliſtica nominis Tetragrammati, a nonnullis Judæis *Moſi* tanquam autori tributa, quod tamen fabula eſt. Exc. cum libro ארזי לבנון de quo ſupra num. 6.

287. ס' מעלות *Sepher Maaloth*, *Liber graduum.* Duplicem hoc titulo anonymum librum MS. in Vatic. extantem affert Bartol. IV.306. quorum primum ſcribit continere tres gradus ſ. Capitula, quibus ſ. ſcripturæ ſententiæ concordantur cum Philoſophorum placitis. Hunc vel R. *Davidi* adſcriberem, de quo autor ש"י affirmat, quod conciones in legem ſcripſerit, vel R. *Salomoni* fil. *Abrahami Abigdor*, quem ex Philoſophorum libris collegiſſe & de unius rei præſtantia ſupra aliam agere, idem aſſerit.

288. Alter apud Bartolocc. agit de gradibus primarum qualitatum omnium herbarum, plantarum & ſtirpium a cedro Libani usque ad Hyſſopum. Hujus autor R. *Bezalael Elias* fil. R. *Zedekiæ.*

289. מעלות המדות *Maaloth hammidoth*, *Præſtantia Virtutum.* Liber Ethicus apud Buxtorf. qui autorem agnoſcit R. *Jachielem* fil. R. *Jekutiel* & excuſus eſt Cremonæ Ao. 316 4to.

290. ס' מעמדות *Sepher Maadoth*, *Liber*

ber ſtationum , id eſt , triplicis lectionis ſingulis diebus ſeptimanæ ex ſcriptura ſ. misnah & Gemara in recordationem Sacrificiorum non amplius vigentium in templo inſtituendæ. Reperitur iſte liber in omnibus precum libellis & ſeorſim etiam cum Comment. R. *Abraham* fil. excell. R. *Lew Sarval*. prodiit Venet. Ao 377. & Amſtelod. Ao. 412. 8vo.

291. מענה לשון *Reſponſum Linguæ*. Liber parvus tradens regulas Grammaticas, autore Anonymo exc. Amſtelodam. Ao. 417. 8vo.

292. Alius ejusdem nominis de precibus & Orationibus ſuper Sepulchra defunctorum, impr. diverſis vicibus etiam lingua Germanica literis Rabbinicis.

293. Imo & tertius ejusdem nominis, in cujus frontiſpicio autoris nomen non exprimitur, quanquam in cap. 46. afferatur nempe R. *Eliezer Lieberman* ſcriba fil. R. Excell. R. *Lew Medici*. Tractat ſimiles preces pro defunctis Exc. Pragæ 8vo. & Amſtelod. Ao. 438. 8vo. vid. ש״י.

294. מענה רך *Maane rach*, *Reſponſum molle*. Preces pro ſingulis diebus, ſtylo per brevi. Excuſ. Pragæ 8vo.

294 α מערכת האלהות *Maarchet hae-lachuth*, *Diſpoſitio divinitatis*, Normanno no-

 tante,

tante, Liber eſt Cabaliſticus celebris, circa quem poſtea R. *Jehudah Chajit* fecit commentarium, autor vero habetur R. *Perez Haccohen*, qui abbreviate dicitur ה״רף *haraph.* Vixit circa annum 1240. Impreſſ. Mantuæ 4to. Ao. 318. C. 1558.

295. ס׳ המעשה *Sepher hammaaſe*, *Liber Hiſtoriarum*, continens plus quam 300. hiſtorias ex Gemara, libro Chaſidim aliisque libris collectus. Scriptus eſt lingua Germanica & Hebraicis literis exc. Baſil. Pragæ, Wilmersdorf. 4to.

296. מעשה הבית דוד בימי פרס *Maaſe habbeth David bime paras*, *Res geſta domus Davidis temporibus Perſarum.* Liber Hebræo-Germanicus agens de fluvio Sabation, exc. Baſil. 4to anonymi ap. Buxtorf. Autor R. *Iſaac* fil. *Abrahami Akriſch.*

297. מעשה אשמדאי Maaſe *Asmodai*, *Hiſtoria Asmodai* Dæmonum Principis. De captura Dæmonis Asmodæi per Regem Salomonem factæ, hiſtoriam Talmudicam fabuloſam eſſe & in Vatic. MS. aſſervari, aſſerit Bartol. 1490.

298. מעשה בראשית Maaſe *Bereſchith*, *Opus in principio* ſ. Creationis. De operibus ſex dierum tractatum allegoricum eſſe 15. Capitibus conſtantem cujus autor ignoratur & MS. in Vatic. Bibl. extare teſtis eſt Bartol.

tol.

tol. IV. 522. qui ſingulorum capitum ſyllabum ibi ſimul exhibet.

299. מעשה מרכבה *Maaſe mercevah*, *Opus quadrigæ.* Explicatio viſionum Propheticarum Iſaiæ, Zachariæ & Orationis Abacuc *Domine audivi* &c. MS. in Bibl. Vatic. teſte eod. Bartol. l. c.

300 מעשה התלמוד *Maaſe Hattalmud*, *Hiſtoria Talmudica* excerptæ per anonymum, exc. una cum *Ben Sira* Venet. Ao. 304. in 8vo. ibid.

301. מעשה של ירושלמי *Maaſe ſchel Jeruſchalmi*, *Hiſtoria Hieroſolymorum* Autoris Anonymi. Ex Plantavitio affert Bartolocc. l. c. Hic liber ex Arabico in Hebr. tranſlatus fuit per R. *Abraham* fil. *Moſis Maimon.* & cum hiſtoria *Boſtanai* impr. Veronæ Anno 407. Amſtelod. in 8vo. & cum libro ד״י של משה de quo ſupra n. 107 Hebraice & Latine extat inter Diſſertationes ſex varii argumenti Joh. Chriſt. *Wagenſeilii*, qui elegantem Apologum vocat, quo docetur, ſervandam ſedulo eſſe jusjurandi religionem.

302. מפרש חטאים *Mephareſch chattaim*, *Exponens peccata.* Confeſſio magna ex libro ברית אברהם extracta prodiit Pragæ 8vo.

303. ס׳ מפתח *Sepher miphthach*, *Liber*

Aperitionis Introductio in 10. ſephiroth, MS. affertur in ש׳י.

304. מפתח שלמה *Miphthach Schelomoh*, *Apertio Salomonis* adducitur in Schalſch. hakkab. f. 89. diciturque continere conjurationem Dæmonum Regis Salomonis itemque explicationem naturæ arborum, plantarum, animalium &c. Quicquid vero de libris iſtis Salomonis Judæi fabulantur, conſtat omnes recentioris ævi eſſe, nec unquam Salomonis tempore extitiſſe.

305. מצות הנשים *Mizvoth Hannaſchim*, *Præcepta mulierum* liber Rabbino-Germanicus Frauen-Büchlein dictus, in quo de præceptis mulieribus Judæis ſolum obſervandis agitur. Adducit Buxtorf. in Grammat. & ex eo Bartol. IV. 313. Hujus autor R. *Benjamin* de *Ardono* Germanus. Italice etiam tranſlatus prodiit Venet. Ao. 417.

306. מציאות השם *Mazuth Haſchem*, *De Eſſentia Dei*, Liber a quodam anonymo Hiſpano Arabice ſcriptus, & deinde per eundem Arabice tranſlatus. MS. in Bibl. Vatic. ibid.

307. מציל נפשות *Matzil naphſchot*, *Liberans animas* Liber Medicus Germanicus Excuſ. Literis Hebraicis Pragæ & Amſtelod. Ao. 411. 4to.

308. מקדש מעט *Mikdaſch maath*, *ſanctuarium*

ctuarium parvum. Expoſitionem quarundam Ceremoniarum Talmudicarum MS. extare aſſerit Buxt. & autor ש״י.

309. מקור חיים *Mekor chaijim*, *Fons Vitæ*. Liber quidam Cabaliſticus Anonymi, qui adducitur in Præfatione Libri Zohar edit. Mantuan. 40.

310. מקור השכל *Mekor haſchekel*, *Fons Intellectus*. Explicatio 10. Sephiroth. MS. מקנה עברים *Mikneh ivrim*, *poſſeſſio Ebræorum*, Grammatica Hebræa, cujus verſionem Normanno notante Bombergii præfatio Rab. *Abrah. Balmeſio*, nec tamen integram, vindicat, quia auctor operi immortuus, continuationem vero R. *Calonymo* adſcribit cap. VII. pag. 455. Unde miratur ſane merito Normannus lapſum Bartolocc. qui Biblioth. Rabb. 34. *Bombergio* tribuit.

311. ס׳ מראה *Sepher mareh*, *Liber Viſionis*. vid. ſupra.

312. מראה כהן *Mareh cohen*, *Viſio Sacerdotis*. Indicem præcipuorum capitum libri Sohar Cracov. in 4to. (ao. 349. & Amſtelod. 433.) exc. vocat Buxt. Ejus Auctor R. *Iſaſchar Baar* fil. *Naphtali*, Sacerd. Juſtitiæ. Idem ex ש״י confirmat Normannus. Cavius vero notat, Librum explicare Locos communes ex S. Scriptura tantum petitos, cœte-

cœteroquin, Locum impreſſionis & nomen autoris nil quicquam mutans.

313. מראה מוסר *Mareh muſar*, *Viſio Correctionis.* Liber Germanicus, Zucht-Spiegel dictus, autoris anonymi, quo omnes parabolæ & proverbia, quæ in Gemara extant, continentur. Impreſſus cura R. *Abigdor* fil. R. *Eliezer Lipman Hildesheimenſis*, Pragæ Ao. 370. & 438. Lublini Ao. 400. 4to.

314. מראות אלהים *Maroth Elohim*, *Viſiones Dei.* Commentarius anonymi in Rabboth, adductus in libro כפתור ופרח.

315. מרכבת המשנה *Marcebhet Hammiſchne*, *Currus Secundanus.* Titulus a Buxtorf. allatus. Concordantiæ in Scripturam S. Hebr. & Lat. autore R. *Anſchel* factæ exc. Cracov. Ao. 312. & 344. 4to.

316. Eodem nomine etiam vocatur Abarbanelis Commentar. in Deuteronomium, exc. primum ſeorſim Sabionet. Ao. 311. fol. deinde cum reliquis commentariis in Pentateuchum Venet. Ao. 339. fol. Confirmat poſterius Cavius, & Normannus ex Catal. Martini.

316. *α* מרפא לשון *Marpe laſch-n*, *Medela Linguæ* (Prov. xv: 4.) Normanno ex Buxtorfio notante, eſt libellus grammaticalis, in cujus ſecunda parte genera metrorum explicantur, Venet. ap. Dan. Bomberg. excuſus, 8vo.

8vo. autor vero eſt R. *Moſes ben Chavif.* Idem ex Hottingero Inſcript. Orient. pag. 2. tribui etiam R. *Moſi Schem Tobh*, obſervat, quamvis & Hottingerum fluctuantem deprehendat, dum in promt. Or. pag. 43. plene annuit Buxtorffio.

316. ℭ מרפא לנפש, *Marpe lennephesch*, h. e. *Medicina animæ*, Liber (Normanno obſervante ex Bibl. Rabb. Buxtorf.) Moralis citatus ſæpe in libro Capthor, Venet. in 4to. excuſus. Auctor illius habetur R. *Raphael* פנוריני Buxtorfius affert præter hunc alium ejus tituli librum, autore R. *Barſellonio*, ex Arabico in Hebræam linguam tranſlatum, ejusdem argumenti.

317. משבית מלחמות *Maſchvith milchamoth*, *Ceſſare faciens bella.* Ritualis R. *Iſraelis* dicitur in Buxtorf. App. quod utrumque falſum eſt. Neque enim ritualis eſt, ſed eriſticus, controverſias componens inter Judæos quosdam, maxime vero in libro מלחמות ה' (de quo ſupra num. 270.) excitatas. Deinde non agnoſcit autorem R. Iſrael, ſed nomine omnium Judæorum in Italia viventium Venet. Anno 366. 4to. prodiit.

318. משלי חכמים *Miſchle chachamim*, *Proverbia Sapientum.* Quinquaginta ænigmata propoſita quibusdam Philoſophis cum illorum

illorum explicatione exc. Venet. Anno 279. fol. ap. Bartol. IV. 305.

319. Alius hoc nomine liber, quo 70 ſapientum dicta continentur, exc. Amſtelod. Ao. 417 8vo. in ש"י.

320. משלי סנדבאר *Miſchle Sandabar*, *Parabolæ Sandabar.* Liber agens de Aſtutiis fœminarum, & quomodo ſua ſapientia atque prudentia filius Regis Indorum a morte liberatur, attributus cuidam *Sandabar* Principi ſapientum Indiæ. Exc. cum libro ד"י של משה *Divre Jamim ſchel Moſcheh* de quo ſupra. Hujus libri verſionem olim paravit Gilb. *Gaulmin* & doctiſſimas animadverſiones adjecit, quas aliquando cum aliis Judæorum ſcriptis pſeudepigraphis ex MS. publici juris faciam.

321. משלי של שלמה המלך *Miſchle ſchel Schelomoh hammelech*, *Parabolæ Salomonis Regis.* Hoc libro hiſtoriæ, quæ Salomonis tempore finguntur accidiſſe, referuntur. Excuſus itidem eſt cum libro ד"י של משה de quo ſupra n. 107.

322. משמרת החדש *Miſchmeret hachodeſch*, *Obſervatio Menſis.* Liber precum & rituum pro veſpera novilunii juxta conſuetudinem Judæorum Hiſpanorum, exc. Venet. Ao. 420. 8vo.

323. משניות vel משנה *Miſchna* vel *Miſch-*

Miſchnajoth, δευτερώσεις, ut ab Epiphanio & Hieronymo, aut *ſecundaria Traditio*, uti a Juſtiniano in Nov. Conſtit. 146. tit. de Hebræis appellatur. Liber traditionum vel legis ſecundæ oraliter traditæ, ſecundariæ poſt divinum Canonem autoritatis, cujus pleraque a Moſe usque a Sapientibus oraliter traditæ, primus circa A. M. 3978. in ordinem redegiſſe fertur R. *Jehuda Sanctus*, quæ communis eſt Judæorum ſententia, etſi nonnulli ex Chriſtianis, ut Capellus, Morinus, Owenus, aliique id inficientur, & pro recentiori libro quinti circumcirca ſeculi, haberi velint, quod negat Wagenſeilius Philologus celeberrimus, cujus verba ex Tr. de Infundibulo, pag. 128. huc adſcribere non pigebit. „ De Miſchna vero Talmudis Tex„ tu iterum, hoc dico, iterumque, nullam „ ei ineſſe blaſphemiam, nullas valde ridi„ culas nugas, imo quæ mea hæreſis eſt, „ poſt Sacras literas præfero eam, modo a„ liquo, quotquot in orbe extant, libris o„ mnibus, nempe, quia nec alius ad V. & „ N. Fœderis tabulas, quatenus Ritualia & „ ea, quæ ad Judaicam Antiquitatem atti„ nent, iis inſunt, illuſtrandas, magis „ confert. Abſoluto corpore Misnico ſtatim illud cœptum eſt explicari partim ab ipſo R. *Jehuda Sancto*, partim ab ejus ſociis, quorum

quorum 14. numerat R. Abr. ben *David* quos etiam affert Bartol. III. 346. Horum explicationes dicebantur ברייתות *Baraithoth*, quaſi Traditiones extravagantes, & communiter *Hoſchaja Rabba bar Chama bar Bisna* tribuuntur, quibus poſtmodum eadem ferme autoritas tributa fuit ac libro Misnæ, & quæ partim cum illo junctim etiam conſervatæ & editæ fuerunt. Cæterum de Miſchnæ autoritate, editionibus, verſionibus &c. nunc nihil dicere attinet, cum ex profeſſo de illo in Bibliotheca noſtra Rabbinica tractationem inſtituemus.

324. משפט צדק *Miſchpath Zedek*, *Judicium Juſtitiæ*. De hoc libro Buxtorf. Bartol. aliique nihil. R. Schabtai autem in ש״י præter titulum illud ſaltem obſervat; quod duas partes conſtituat. Vidi ego hunc librum Theſſalon. Anno 386. fol. excuſ. qui continet varias interrogationes & reſponſiones de omni Jure Civili & Pontificio, cujus Autor R. *Meir*, fil. R. *Schem Tow*.

325. משרת משה *Meſchareth Moſcheh*, *Miniſter Moſis*, Titulus libri anonymi a Bartol. IV. 332. adducitur, quem dicta aliquorum Capitulorum libri מורה נוכים R. *Moſis Ægyptii* explicare ſcribit. Autor ejus eſt R. *Kalonymos*, & extat MS.

326. מתוק לנפש *Mathok Lannepheſch*, *Dulcedo*

Dulcedo Animæ. Librum myſteriorum de anima, paradiſo, inferno, &c. Venet. Ao. 367. 8vo. excuſ. vocat Buxtorf. Autor R. Abraham fil. Samuelis Zacuth, qui fecit librum יוחסין Normannus ex ש״י, conſentire videtur, autorem dicens R. *Abrah.* non quidem cum addito fil. ſed abſolute, *Samuelem.*

327. מתנות קהונה *Matthenoth kehunnah*, *Dona Sacerdotii.* Commentarius in Rabboth, allatus a Buxt. ſine nomine Autoris, qui eſt R. *Iſaſchar Baar* fil. Naphtali Sacerd. Juſtitiæ. Reperitur cum libro רבות excuſus.

נ.

328. נחלת יעקב *Nachalath Jaakobh*, *Hæreditas Jacobi*, liber de Interpretationibus impreſſus, adducitur in ש״י.

329. ס׳ הנפש *Sepher hannepheſch*, *Liber Animæ* Medicus liber Autoris ignoti, in Arabicam linguam tranſlatus per R. *Abraham* fil. *Chasdai*, & inde in Hebraicam per R. *Jehudam* fil. *Salomon Charizi.* Exc. Venet. Ao. 279. Latine etiam extat. Bartol. I. 27. illum ipſi R. *Abrahamo bar Chasdai* tanquam Autori adſcribit.

330. נפש החכמה *Nephesch Hachochmah*

mah, *Anima Sapiens*, de anima ejusque facultatibus & ſtatu poſt hanc vitam Baſil. in 4to. (Ao. 368.) apud Buxtorf. Autor Excell R. Moſes bar Schem Tovv. Normannus ex ש״י confirmat.

331. ס' הנצוח *Sepher Hannizzuach*, *Liber Topicorum*, quo nomine Autoris R. *Levi* librum adduxit Jo Jul. *Struvius* in Rudiment. Logicæ Hebræor. Jenæ 1697. excuſis, nixus autoritate Buxtorf. Lexic. Rabbin. ſub nom. נצח pag 927. (pro 1380.) Etſi nunquam inter Judæos hoc titulo liber comparuerit, nec ap. Buxtorf. l. c. tale quid legatur, utpote qui Topicorum libros ס'הנצוח appellari, teſtimonio R. Levi (i. e. Levi ben-Gerſon) in Prov. 1: 4. & 24 7. probat, nequaquam vero, peculiarem ſub hoc titulo librum extare, cujus autor ſit R. Levi, ſcribit, quemadmodum inepte hujus ſcripti conſarcinator ſibi imaginatus eſt.

332. ס' הנקוד *Sepher Hannikkud*, *Liber Punctationis*, de punctandi arte per vocales ex Hottingero affert Bartol. IV. 309. Idem liber eſt cum illo, qui inſcribitur ס'נוח *liber Quietis*, cujus autor R. *Jehuda Chijug*.

333. נר מצוה *Ner mizvah*, *Lumen præceptum*. Librum Concionum Venet. exc. (Anno 3584.) ſine Autoris nomine affert Bux-

Buxtorf. Eſt is R. *Samuel* fil. R. *Joſeph* Sacerdos.

334. Alius hoc titulo anonymi liber adducitur in ש״י, qui eſt Index omnium locorum Scripturæ, quæ in Gemara adducuntur, excuſ. Conſtantin. in 4to.

335. נשמת אדם *Niſchmat Adam*, *anima hominis*. Tractatus de Anima & ejus facultatibus. Hanov. in 4to. (Ao. 377.) ap. Buxt. Autor. R. Aaron Samuel fil. R. Moſis *Schalom*. Normannus ex ש״י confirmat.

ס.

335. *a* סאה סלת *Sea ſoleth*, h. e. *Satum ſimila*. Normannus ex Buxtorf. dicit Ethici argumenti eſſe librum, autore R. *Raphael Menolzai*, ex Martinii vero Catal. Clavell. p. 63. quod illi autor vocetur *Menarezzi ben Gabriel.*

336. סדר אליהו רבא וזוטא *Seder Eliahu Rabba Veſota*, *Ordo Eliæ magnus & parvus*. Hunc librum in Gemara Tr Ketuvoth fol. 106. citari & in Schalſch. hakkab. p. 34. b. itemque apud Abraham ben Deor pag. 66. R. *Anan* qui circa A. M. 4050. illum ſcripſerit, attribui, aſſerit Bartol. IV. 287. 309.

337. In append. vero Buxtorf. ש״י R. adduci-

ducitur alius hoc nomine liber MS & libro *Eliæ Capſali*, hiſtorias ſui temporis continens. Conf. & Bartol. I. 167.

338. סדר הגדה של פסח *Seder baggadath ſchel Peſach*, vide, omiſſa voce סדר in lit. ה ſupra.

339. סדר הברכה *Seder habberachah*, *Ordo Benedictionum* ſecundum ritum Italiæ ſæpe exc. ſeorſim & cum libris precum, adducitur a Bartol. IV. 306. inter anonymos. Sunt vero benedictiones illæ ex Scriptura S. excerptæ.

340. סדר היום *Seder hajom*, *Ordo diei*. Ritus Judæorum Turcicorum in Synagogis ſuis complecti, ſcribit Buxtorf. quod tamen falſum. Nam eſt quadruplex commentarius in librum precum, & annexa eſt explicatio libri Coheleth, autore R. *Moſe Aben Makir* exc. Venet. Anno 359. 4to. Conſentit Cavius.

341. סדר עולם רבא *Seder Olam Rabba*, *Ordo Mundi Major*. Liber Chronologico-hiſtoricus inter Judæos & Chriſtianos notiſſimus, & apud Hebræos tantæ Autoritatis, ut prope ad Canonicos libros accedat, & ab ipſo Esdra magna ex parte conſcriptus putetur, quæ verba ſunt Nic. Abrahami in Sac. Quæſt. I. 4. Illius autor communiter ſtatuitur R. *Joſe* (male in Buxtorf. legitur *Moſe*)

Moſe) *ben Chilpeta*, qui circa A. C. 130. vel ut eſt in Zemach David, 121. vixit, quibus Normannus & Cavius accedunt, Edzardus vero tantum abeſt ut retrahat aſſenſum, ut confirmatiſſimum potius eundem reddat, adducendo ex Gedaljæ Schalſcheleth haccabbala f. 33. a. teſtimonium, quod etſi cognomen omittat, monere tamen R. Ganz in Zemach David, P. 1. fol. 42. b. quod R. Joſe abſolute poſitum nomen ſemper denotet filium Chilpetha; adſtipulante quoque Zachuth in Juchaſin. f. 36. 6. & f. 43. a. id quod tamen inficiantur Gild. Genebrardus, in Epiſt. dedicatoria hujus libri verſioni Pariſ. 1527. 8vo. a ſe editæ præmiſſa, & Ant. Poſſevinus in Appar. Sac. qui circa A. D. milleſimum illud Chronicon ſcriptum volunt, cujus Autorem ignorare ſe fatentur. Add. Morini ex Bibl. p. 227. ſeqq. Etſi v. de Autoritate hujus R. Joſe nihil definire velim, nec certo affirmare poſſim, iſtud Chronicon eundem Autorem agnoſcere, quod tamen cum pluribus Judæis faciunt Buxtorf. in Bibl. Rabb. Joſ. Scaliger de Emendat. Temp. lib. 5. pag. 445. & Joh. Seldenus de J. N. & 6. l. 3. c. 9. p. 328. non tamen idcirco cum Genebrardo pro tam recenti libro habeo, quin potius quinto circumcirca ſeculo factum cenſeo, utpote cu-

jus mentio in Gemara ad Tr. *Schabbat* c. 9. f. 88. a. Prodiit iſte liber primum Mantuæ Ao. 274. 8vo. dein cum Latina verſione Sebaſtiani *Münſteri* Baſil. 1524. in 4to. poſtea Hebraice eum aliis Tractatibus exc. Venet. Ao. 305. 4to. Secuta Genebrardi verſio utriusque Seder Olam memorata, quæ etiam reperitur in fine ſuæ Chronograph. edit. Pariſ. Ao. 1600. in fol. pag 38. *Hebraice* tandem Baſil. Ao. 340. ap. Froben. Hujus libri Latinam verſionem etiam promiſit Joh. *Meyerus* diatriba de Feſtis Judæorum in præfat. & p. 365.

342. סדר עולם זוטא *Seder Olam Suta*, *Ordo Mundi Minor*, cujus libri ætas, etſi itidem ad antiquiſſima tempora a Judæis referatur, dubium tamen exoritur, quod in principio hujus libelli ſcriptum reperiatur, a vaſtatione Templi usque nunc effluxiſſe annos 1053. unde colligi poſſet, Autorem circa A. C. 1124. vixiſſe. Obſervavit autem Buxtorf. huic aſſertioni, quæ in principio legitur, repugnare finem libri, ſiquidem Autor in hiſtoria Mar Sutræ deſinit, qui vixit circa A. C. 522. non autem probabile eſſe, ut ſexcentos autor annos prætermiſiſſet, ſi illo Anno in principio libri memorato opus ad finem perduxiſſet. Ideoque iſta verba *in principio libri* ab aliquo iſtius temporis

ad

ad marginem adſcripta fuiſſe cenſet, quæ poſtea per imprudentem hiſtoricum in textum relata ſunt. Ante Buxtorf. iſtud jam obſervaverat R. Dav. *Ganz* in Zemach David ad Ann. 5881. fol. 38. a. ubi præterea in Juchaſin pag. 164. R. *Joſepho Tow Alam* hunc librum tribui notat, quod ipſe refutat, & cuidam ex *Geonim* adſcribit. R. Gedalja, Edzardo obſervante, idem ſcriptionis tempus, eundemque cum præcedenti auctorem aſſignans Schalſchel. Kaccab. fol. 38. a manifeſte ſibi contradicit fol. 33. a. Juchaſin vero a Ganzio confutatur, cui Buxtorf. calculum ſuum adjicit. Reperitur hic liber Hebraice annexus præcedenti libro, & ad calcem libri Juchaſin edit. Cracov. Latine illum fecit Genebrardus, ut ante notavimus, cujus verſio etiam una cum Hebraico textu libro Adventus Meſſiæ vindicati Car. Joſ. *Imbonati*, qui ad calcem Bibliothecæ ejus Latino-Hebraicæ reperitur, inſerta legitur.

343. סדר תפלות *Seder Thephilloth, Ordo Precum.* vide תפלות lit. ת.

344. סוד יהוה *Sod Adonai, Secretum Domini.* Librum Cabbaliſticum de expoſitione nominis Dei ineffabilis, inter Anonymos retulit Bartol. IV. 308. Autor R. *Bechai* ap. Buxtorf. & in ש"י appellatur.

345. סוד ישרים *Sod Jeſcharim, Secre-*

tum Rectorum. Liber Medicus anonymi exc. Veronæ Ao. 412. & Amſtelod. Ao. 409. 12mo ex ש"י.

346. סוד המרכבה *Sod Hammarcebbah*, *Secretum Quadrigæ.* Liber Cabbaliſticus, in quo currus Ezechielis cabbaliſtice explicatur. MS. apud Dan. *Schwenterum* Profeſſ. Altorf. extitiſſe teſtis eſt Buxtorf.

347. סוד שם המיוחד *Sod ſchem hammiuchad*, *Secretum Nominis Dei proprii.* MS. citat Buxtorf. & de Theologia Didactica agere ex Hottingero notat Bartol. IV. 308. cum potius ſit explicatio nominum Dei cabbaliſtica, autore R. *Nechonia ben Hakkane.* Normannus ex ש"י confirmat.

348. סור מרע *Sur Mera*, *Recede a malo.* Dialogus de ludo, quo unus nomine *Eldad* ludum reprehendit, alter nomine *Medad* defendit. excuſ. Pragæ, Venet. Ao. 375. & 355. Lugd. Anno 416. & cum verſione German. Frider. Alb. *Chriſtiani*, Judæi Converſi, Præceptoris olim mei fideliſſimi Lipſ. Ao. 1683. 8vo. Auctor ab excellentiſſimo Cavio aſſignatur R. *Juda Mutinas.*

349. סליחות *Selichoth*, *Condonationes.* Ita vocatur quarundam precum liber, quibus in Feſtis Principalibus Judæi utuntur ad obtinendam miſericordiam & remiſſionem peccatorum. Iſtæ preces diverſorum Autorum maximam

maximam partem ignotorum, partim ex libris Machazor, partim aliis collecta, diverſis vicibus & variis formis, etiam cum aliis Precum libris ſæpe excuſæ fuerunt, ut Pragæ, Lublini, Venetiis, Francof. &c. item cum Commentariis & lingua Germanica, quo de plura in noſtra Biblioth. Rabb.

350. סם המות *Sam Hammaveth*, de Venenis interficientibus vel tactu, vel odoratu vel cum animalibus, herbis, vel mineralibus, metallis vel lapidibus, Tractatum Anonymi MS. Biblioth. Vatic. affert Bartolocc. IV. 296.

351. סמדר *Semadar* hoc eſt *Uva minutula* Liber Grammaticus, allegatus in Libro ערונת הבושם f. 90. & in lib. מסורת המסורת Normannus ex R. Elia Levita præf. 3. Maſoreth autorem nominat R. *Levi fil. Joſephi*, addens verba Eliæ Levitæ: בעל ספר הסמדר ושמו לוי ב״ר יוסף hoc eſt, *Auctor libri ſemadar & nomen ejus* Levi filius R. Joſephi.

352. סמיכת זקנים *Fulcimentum Senum.* Diſceptationem duorum Rabbinorum eſſe de quibusdam præceptis Ritualibus, ex Hottingero ſcribit Bartolocc. IV. 3. c. 8. Excuſ. Venet. in Append. Buxtorf. & ש״י dicitur.

353. ספורי התורה *Sippure Hattorah*,

Narrationes Legis. Tractatus de Ingreſſu ad notitiam doctrinæ Talmudicæ, & de utilitatibus percipiendis ex ſingulis lectionibus Pentateuchi, MS. Bibl. Vatic. ap. Bartoloc. IV. 297.

354. ספרא *Siphra*, Liber Antiquiſſimus, cujus ut & poſterioris ספרי de quo mox, mentio fit in Talmud. Tr. Kidduſchin c. 2. fol. 49. 2. etſi quo autore compoſitus ſit, inter ſe multum litigent Judæi. Quidam ut *Maimon.* præfat. in Jad chaz. *Abarbanel* præfat. in נחלת אבות, R. *Menachem* in præfat. libri צדה לדרך, & autor libri שבילי אמונה autorem faciunt *Raf.* qui fuit diſcipulus *R. Chaja* & *R. Judæ Sancti*. Alii vero, ut *R. Abraham Zacut* in Juchaſ. pag. 60. R. Dav. G[illegible] in צ"ד f. 44. & R. *Aaron Aben Chaim*, [illegible]i ſub titulo קרבן אהרן elegantem in h. l. Commentarium ſcripſit, eum attribuunt *R. Jehudæ bar Elai*, qui tempore Adriani Imperatoris in Tiberiade claruit, cujus nomen præ ſe fert titulus. Quas duas ſententias conciliandi rationem ex Ganzii Zemach. David P. 1. fol. 44. b. D. Edzardus, Collega honoratiſſimus, ut & Celeberrimus Normannus, Athenarum Uplandicarum ſidus fulgentiſſimum ex Buxtorf. ſubminiſtrant hanc: quod ſcilicet R. *Raf*, ad mentem R. Jehudæ librum conſcripſerit: vel etiam

etiam R. *Akivæ* ben Joſeph. Alii R. *Iſmaeli* ſacerdot. Magno, ut autor הליכות עלם &c. quam litem nunc noſtram non facimus. Confer. Buxtorf. Bibl. & Bartol. I. 90. IV. 298 ſeqq. Eſt vero Siphra Commentar. in Leviticum, qui alias etiam vocatur תורת כהנים, exoticis conſtitutionibus poſt obſignatam Miſchnam conditis, quas *Baraitoth* vocant, repletiſſimus, Exc. Venet. Anno 305. fol.

355. ספרי *Siphri*, qui ejusdem antiquitatis eſſe fertur, & cum priori junctim excuſus reperitur, Commentarius eſt in Librum Numerorum & Deuteron. quem plerique attribuunt R. *Simeoni* ben *Jochai*, cujus nomen notante Edzardo & Normanno præfixum quoque gerit liber. Quibus & Zachuth in Juchaſin accedit. Gedalja vero & hunc librum R. *Raf* adſcribit, in Schalſchel. Hakkab. fol. 32. 1. Excuſus fol. Venetiis Ao. Chr. 1546.

ע

356. עבודת הלוי *Avodath Hallevi*, *Miniſterium Levi.* Explicatio 613. præceptorum Moſaicorum, quam R. *Moſi Nachmanidi* tribuit Buxtorf. & ex eo Bartolocc. IV. 224. At vereor, ne deceptus ſit Buxtorf. Qui

Qui enim hoc nomine liber extat, & præcepta Moſaica explicat, autorem agnoſcit R. *Salomonem* fil. R. *Eliezer* Levitam, cujus liber excuſ. eſt Conſtantinop. & Venet. Anno 315. 4to. de quo vid. ש״י & Bartolocc. IV. 369.

357. ס׳ עברונות *Sepher Euronoth, Intercalationum Liber.* Agens de ſolſtitiis, æquinoctiis, Lunæ motu, menſibus, & totius Calendarii ratione. Impr. Rivæ Anno 321. 4to. adductus ſine nomine autoris apud Buxtorf. qui eſt R. *Jacob.* Excuſus etiam Francof. ad Oderam, Ao. 451. & cum additionibus R. *David fil. Jacobi de Lamaz*, Lublini Ao. 400. 4to. *Munſterus* Latine edidit Baſil. 1627. 4to. Normannus jubet inſpici de hoc libro Hotting. Prompt. Or. p. 54. & ex Buxtorfii Lex. Talmud. pag. 1573. auctorem vocat R. *David Makarſa*, ex R. Schabtai autem R. *Jaakob* Makaria, qui cum ſupra dicto forſan idem eſt.

357. *a* שיבור שנים *Schibbur ſchanim: Intercalatio annorum*, Cavio notante, eſt liber Venet. in 8vo excuſus, magnæ autoritatis apud Ebræorum Aſtronomos, & habetur ex Arabico tranſlatus. Auctor R. *Iſſaſchar ben Mardochai Mamonis*.

358. עגלות רעיונות *Gnegloth Raajonoth, Vitulæ vireſcentes.* Librum ſeptem quæſtio-

nes

nes & reſponſiones Philoſophicas continentem Arabice, & Hebraice extare ſcribit Buxtorf. & Autor ש״י.

359. עולת יצחק *Olath Jizchak*, *Holocauſtum Iſaaci.* Librum novum Deciſionum Juridicarum exc. Pragæ. Ao. 368. in 4to ſine autoris nomine affert Buxtorfius, qui eſt R. *Iſaacus fil. R. Jehoſua.*

360. עין יעקב *En Jaakob Fons*, (non oculus, ut ap. Buxtorf. recte animadvertente Wagenſeilio Tr. de Infundibulo pag. 87.) *Jacobi* vel *Iſraelis.* Liber celebris, ideo, quod omnes hiſtorias Talmudicas jucundiores cum duplici commentario complectatur, cujus tamen autorem non nominat Buxtorf. Eſt is R. *fil. R. Salomonis Aben Chaviv.* Conſentiunt Cavius & Normannus, poſteriore ex ש״י & Aboabi Nomol. pag. 301. robur adducente 361. Excuſus aliquoties, & demum Amſtelodami Ao. 446. fol. quæ nitidiſſima editio eſt.

361. עין משפט *En Miſchpath*, *Fons Judicii.* Compendium omnium Rituum, qui in ordine חושן המשפט tractantur, rythmice per Anonymum factum, excuſ. Pragæ Ao. 380. 8vo. vid. ש״י.

362. עין הקורא *En Hakkore*, *Oculus Lectoris.* Librum Grammaticum ſine Autoris nomine affert Buxtorf. & Autor ש״י, quem

ab

ab Elia in fine libri Maſoreth citari & MS. extare ſcribunt. At in libro de Abbreviaturis p. 95. eum cuidam Jekuthieli ſacerdoti, filio Jehudæ tribuerat, addens in carmine quodam ejus nomen poni זלמון הנקדן, *Salomon Punctator.*

363. עמק ברכה *Emek Berachah*, *Vallis Benedictionis.* Cracoviæ in 4to. Hæc Buxtorf. Novas Conſtitutiones Rituum benedictionis & precum continet, autore R. *Abraham* fil. R. *Schabtai Schaptel.* excuſ. Cracov. Ao. 357. 4to.

364. עמק החרוץ *Emek Hecharuz*, *Vallis exciſa.* Grammatica MS. ap. Buxtorf.

365. עמק רפאים *Emek Rephaim*, *Vallis Gigantum.* De Adventu Meſſiæ agens. Buxtorf. tribuit R. *Cain Gallipapa.* Legendum R. *Chaim Gala Papa.*

366. עמוקי הלכה *Amuke Halachah* (pro quo in ש"ר legitur (עומק הלכה) *Profunditates Halachæ.* Explicatio halacharum difficiliorum in Talmud, ap. Buxtorf. Autor R. *Jacob Kappel* fil. *Samuelis.* Exc. Cracov. Ao. 358. 4to.

366. *a* עקדת יצחק, *Akedath Jitzchack*, Ligatio Iſaaci. *Commentarius in Pentateuchum & quinque volumina, allegoricus, Theologicus & Philoſophicus, conſcriptus (uti ex præf. liquet) a R. Iſaaco Arama, fil. R. Moſe, nepote*

pote R. Meir, publicatus Venet. Anno Chriſti 1573 *per Johann. de Gara. Hac Edzardus.*

367. ערוך הקצור *Aruch Hakkazur, Aruch breve.* Lexici Talmudici *R. Nathanis* Compendium multæ apud Judæos exiſtimationis. Autoris nomen non appoſitum, etſi Buxtorf. ſcribat apparere, *Germanum* fuiſſe. Exc. Cracov. Ao. 352. 4to.

368. ערימת חטים *Aremath Chittim, Acervus triticurum.* Anonymi librum MS. Biblioth. Vaticanæ quo verſibus rythmicis omnes Alphabeti literæ laudantur, affert Bartol. IV. 296.

369. עשר ספירות *Eſer Sephiroth, Decem Numerationes* Cabbaliſticæ, quæ hoc libro explicantur. Buxtorf. ſcribit hujus libri autorem a *Reuchlino* vocari R. *Tedaeum Levi*; aſt is nequaquam autor, ſed commentator tantum eſt.

370. עשרה גליות *Aſarah Galioth, de decem Captivitatibus Judaeorum.* Libellum incerti autoris affert Bartolocc. IV. 320.

371. עשרה מאמרות *Aſarah Maamaroth, Decem ſermones*, quorum autor R. *Menachem Azaria Mippano*, h. e. de *Fano*, apud Buxtorf. Append. & in ש״י ſtatuitur, quod improbat Bartol. IV. qui R. *Menachem Azariæ Immanuel* hunc librum tribui debere

debere affirmat, ab altero multum diverſo. Vereor autem, ne ipſe Bartol. erret, & hac in parte, cum librum ipſum non viderim, majorem fidem Autori libri ש"י quam Bartolocc. habeo.

372. עשרת דברות *Aſereth Devaroth, Decem verba ſ. Præcepta.* Tres hoc nomine libros affert Buxtorf. quorum primi ſaltem libri Autorem nominat. Secundi autor R. *Joſeph fil. R. Jacob.*

373. Tertius eſt Commentarius R. Aben Ezræ in 10. præcepta.

374. Quartus etiam invenitur, autore R. *Saul Levita Mortira.*

פ

375. פאה *Peah, Liber Anguli.* Hujus autorem facit Buxtorf. R. *Moſen Aben Tybbon*, quod tamen falſum eſt. Is enim tantum ex Arabico in Hebr. tranſtulit. Autor vero incertus eſt. De gematria & Arithmetica eo agitur.

376. פטירת אהרן *Petbirath Ahron, Exceſſus Aharonis.* Titulum affert Buxt. & librum excuſum ſcribit Venet. apud Bomberg. in 8vo. Tractat de morte Aharonis, referendus eſt inter illos libros, quibus ipſi Judæi parum tribuunt. Ego nunquam hunc librum

librum impreſſum vidi, quod ſi ergo verum & Buxtorfii aſſertum, in aliqua forte editione libri ר"י של משה de quo ſupra n. 107. reperiri debet. MStum ſervat Wagenſeil.

377. פטירת משה *Petirath Moſcheh, Exceſſus Moſis.* Similis farinæ liber. Exc. cum iisdem opuſculis. vid. ſup. n. 107. & Bartoloc. IV. 217. ſq.

378. ס' הפליאה *Sepher Happeliah, Liber mirabilis.* Cabbaliſticus celebris, quem ſine nomine autoris affert Bartoloc. IV. 299. Buxtorf. autem *Kannæ* Cabbaliſtæ celebri illum tribui obſervat. In Libro עשרה מאמרות adſcribitur R. *Avigdor Pragenſi.* Extat MS.

379. פנים במשפט *Panim Bemiſchpath, Facies in Judicio.* Liber aſtronomicus anonymi autoris, ex Arab. in Hebr. tranſlatus per R. *Salomon fil. Abraham Abigdor.* ex ש"י.

380. פסיקתא *Peſikta.* In recenſione hujus libri tanquam anonymi ceſpitat Buxtorfius, quando dicit, Peſikta, i. e. פסיקתא רבתא eſſe commentarium antiquum in Legem, aut Leviticum tantum, cum illud de פסיקתא זוטרתא ſ. Peſikta *minori*, cujus autor R. *Tobia* fil. R. *Eliezer* dicere debuiſſet, cujus tamen non extat Commentarius in Legem aut Leviticum & reliquos duos Pen-

tateuchi libros ex Siphra, Siphri & mechilta collectus. Exc. Venet. Ao. 306. fol.

381. Altera vero Peſikta *Major*, priori antiquior & R. *Cohana* attributa, continet ſermones præſtantes ex ore Tanaitarum & Amorrhaitarum collectos, excuſ. Pragæ 4to.

382. פענח רזא *Paneach Raſe*, *Relatio Secreti*. Anonymi librum, qui eſt medraſchicus & Cabbaliſticus comm. in Legem & V. Megilloth, MS. Bibl. Vatic. affert Bartolocc. IV. 321. ſq. Hujus autor R. *Iſaac bar Jehuda Levita*, excuſ. Pragæ 367. 4to.

383. פרדס אמונים *Pardas Emunim*, *Paradiſus Fidei*. De articulis fidei Hebræorum Sabionettæ excuſ. ex Plantavitio affert Bartolocc. IV. 311. Alibi talis libri titulus non comparet.

384. פרח הרפואה *Perach Harrephuah*, *Flos Medicinæ*. De Medicina Tractatus anonymi. Id. IV. 317.

385. פרי היגון *Peri Haijagon*, *Fructus Laboris*. Titulus libri anonymi ap. Genebrard. in Tab. libr. Rabbin. & Iſagog. de modo legendi ſine punctis pag. 145. Id. IV. 315.

386. פרקי אבות *Pirke Avoth*, *Capitula Patrum*. Liber apophtegmata Moralia & alia pie dicta Patrum Eccleſiæ Judaicæ continens Talmudi etiam inſertus. Hæc a R. *Nathane*

Nathane Babylonio collecta fuiſſe communiter perhibetur, quamvis Julius Conradus Otto Judæo-Chriſtianus, in opere inſcripto, *occultorum Detectio*, R. *Simeoni* fil. *Gamalielis* tribuat, cum quo conſentit Colomeſ. in Gall. Orient. pag. 255. Cæterum de variis editionibus & Tranſlationibus hujus libri confr. noſtram Biblioth. Rabbin.

387. פרקי אליעזר *Pirke Eliezer*, *Capitula R. Eliezaris*, quem librum hiſtoriam mundi usque ad tempora Gamalielis ſecundi complecti ſcribit Buxt. quod tamen libri argumentum ſolum non eſt, ut recte obſervat Morin. Exerc. Bibl. p. 382. cum de aliis potiſſimum rebus ad Creationem & Theologiam Judæorum pertinentibus tractet. Communiter a Judæis R. *Eliezari Magno Hyrcani filio*, qui paulo poſt templum ſecundum vixit, adſcribitur; ſunt tamen, qui aliter ſentiant, inter quos etiam *Hottingerus* in Elencho Scriptorum Suppoſitorum, ex auctore Juchaſ. 52. oſtendens, *Elieſerem* hunc autorem eſſe minime; & aliqui R. *Simeonem ben Jochai* ejus autorem conſtituant. Exc. Conſtantin. Ao. 297. Sabionettæ. Ao. 327. Venet. Ao. 368. (Bartolocc. I. 186. citat edit. Venet. Ao. 304. & 344.) Lublini etiam & Pragæ in 4to. Latine vertit *Pelicanus* cujus verſio MS. aſſervatur in Bibl. Ti-

 gurina,

gurina, & Guil. Henr. *Vorſtius* exc. Lugd. Bat. 1644. 4to. Hunc librum omnium Judaicorum, qui extant, antiquiſſimum eſſe contendit Joh. *Petitus* Miſcellan. l. 2. c. 4. p. 113.

388. פרקי הכילות *Pirke Hechaloth*, *Capitula de Templis.* Liber Cabbaliſticus, maximæ auctoritatis MS. adductus in Buxtorf. Append. Ejus Autor R. *Iſchmael* fil. *Eliſcha* Sacerdos magnus. Quædam tantum impreſſa reperiuntur in libro ארזי לבנון, de quo ſupra n. 65.

389. פרקי שירה *Pirke Schirah*, *Capitula Cantici:* Cantiones, quas aves, jumenta, omnesque res creatæ ſingulis diebus in honorem Creatoris ſui recitare finguntur, Autoris anonymi, qui a Davide & Salomone primum illas derivat. Liber elegantiſſimus, cujus uſum oſtendit R. Joſ. *Albo* in עקרים lib. 3. c. 1. Excuſ. diverſis vicibus, & cum Commentariis Mantuæ Ao. 421. 4to. & Venet. Ao. 424. Plinius lib. 17. cap. 25. C. Epidii Commentarios citat, in quibus arbores locutæ quoque perhibentur. Utinam extarent iſti libri, quos ad hujus Judaici libri formam concinnatos fuiſſe exiſtimarem; quanquam ex hiſtoriis, ſi modo veræ ſint, conſtet, canes etiam, boves, ſerpentes, aſinos, equos, revera interdum ſermonem

monem protuliſſe, quo de conf. Juiii Cæſar. *Vanini* Dial. pag. 383. & *Bocharti* Hierozoic. p. 198.

390. פרקי התשובה *Pirke Hatteſchuvah, Capita Pœnitentiæ.* De Præſtantia & utilitate Pœnitentiæ, anonymi librum ex Buxtorf. affert. Bartol. IV. 311.

391. פירוש *Peruſch, Commentarius.* Multi libri hoc nomen in fronte gerunt, quorum nec tituli nec Autores in frontiſpicio manuſcriptorum Codicum comparent; id quod ſæpe lectorem inducit, ut huic vel illi Autori illum attribuat. Sic cum Pariſiis eſſem, inter Codices MStos Bibl. Sorbon. reperi hoc titulo librum, חדושים בפרושי התורה; quem neſcio quis alieno autori adſcripſerat. Inter legendum tamen quædam obſervabam, quæ olim in Nachmanidis Commentario in Legem me legiſſe recordabar. Sumſi ad manus impreſſum Nachmanidis Commentarium, & conjecturam meam veram eſſe deprehendi. Hæc etiam ratio, quod tam multi commentarii MSti Autorum Anonymorum a Bartoloccio recenſeantur ut IV. 302. ſq. 311. ſq. 320. ſq. & alibi, quos genuinis Autoribus reſtitutos partim exhibebimus in Bibl. noſtr. Rabbin.

392. Iſte vero Commentarius brevis ſuper Targum Jonathanis & Hieroſolymitanum

num in v. libros Moſis, Targum item ſecundum libelli Eſther, impreſſus Pragæ Ao. 369. 4to. quem Buxtorf. ſine autoris nomine affert, compoſitus fuit per R. *Davidem* fil. R. *Jacobi de Schaberſchen.*

393. פתח דברי *Petach Debharai, Initium verborum meorum.* Grammaticam optimam ex Hiſpania allatam & notis illuſtratam cura Eliæ Levitæ exc. Venet. Ao. 306. 8vo. ſine autoris nomine afferunt Buxtorf. & Bartolocc. IV. 313. Eſt is R. *Moſes Kimchi.* vide ſupra n. 258.

צ

394 צאנה וראינה *Zeena Ureena*, (vulgo Zennorenna) *exite & ſpectate.* Commentarius Hebræo-Germanicus in Legem, ex multis antiquis Autoribus collectus, ſine autoris nomine ap. Buxtorf. Hotting. & Bartolocc. IV. 318. allatus. Eſt is R. *Jacob fil. R. Iſaaci.* Exc. Lublini, Baſil. Anno 382. Pragæ & Amſtelod. 429. fol. Cracovienſem vero editionem in fol. quam Buxtorfius notat, nec in ש״י, nec alibi reperio.

395. צוכט שפיגל Zucht-Spiegel / *diſciplinæ ſpeculum.* vid. lib. מראה מוסר ſupr. num. 313.

396. צוף דבש ואמרי נועם *Favus mellis &*

& eloquia ſuavia, de arte Rhetorica & Vanitate Mundi, anonymi librum MS. Bibl. Vatic. affert Bartol. IV. 297.

397. צורת אדם, *Zurath Adam*, *Figura hominis.* Liber Cabbaliſticus, explicans membra, nervos, & reliquas hominis partes, quæ ad Deum referuntur, itemque nomen Dei quadriliterum, MS. Bibl. Vatic. ib.

398. צורת הארץ *Zurath Haarez*, *Figura Terræ.* Anonymi MS. liber Bibliothecæ Ducis Parmæ ap. Bartolocc. IV. 328. Puto non diſcrepare ab illo R. *Abraham Chaja*, quem adducit Buxt. in Append.

399. צורת בית המקדש *Zurath beth hammikdaſch*, *Figura domus Sanctuarii*, i. e. Templi tertii quod deſcribitur a Propheta Ezechiele. Pragæ in 4to. (A. 311.) ap. Buxt. Autor *Lipman Levi Halir.*

400. צורת המנורה *Zurath hammenorah*, *Figura candalabri.* Expoſitio Cabbaliſtica candelabri, autoris anonymi ap. Bartolocc. IV. 328.

401. צח שפתים *Zach Schephatajim*, *Nectar Labiorum*, ab Elia in præfatione tertia libri Maſſoreth citari, ſcribit Buxtorf. & autor ש״י. Marius *Calaſius* in Canon. gener. linguæ ſanctæ pag. 10. hunc librum tribuit ipſi Eliæ Levitæ, quod tamen falſum eſſe,

 oſten-

oſtendit Bartolocc. 1. 166. ſq.

402. צפוני ציוני *Zephune Zioni*, *Recondita Zionis*. Liber Cabbaliſticus MS. anonymi in ש״י. Neſcio an idem ſit cum illo, quem Buxtorfius affert צפוני ראקאנטי, quem etiam Cabbaliſticum MS. vocat.

403. צפחת המים *Zaphchath Hammaim*, *Ampulla aquæ*, adducitur in Libro כנסת הגדולה.

404. צרי היגון *Zeri Hajagon*, *opobalſamum laſſitudinis*. Liber conſolatorius contra moleſtias, ærumnas & calamitates temporis. Cremon. in 4to. (A. 317.) ap. Buxtorf. Autor R. *Schem Tow fil. Joſephi Falkira*. Prodiit etiam cum additionibus R. *Jacob* fil. R. *Gerſom* Pragæ 372. 4to. In ש״י quædam corrigi debent. Ex utroque & Buxtorfio & ש״י Normannus calculum ſuum adjicit, quamvis correctionem non impingat poſtremo.

405. צרור החיים *Zeror hachajim*, *Faſciculus vitæ*. ap. Buxtorf. Commentarius in fundamentum quadrigæ cabbaliſticus & gematricus autoris R. *Chaim bar Schmuel Davide Todela MS*,

406. ס׳ צרורות *Sepher Zeroroth*, *Liber Faſciculorum* allegatus in libro בית יוסף. vid. ש״י.

407.

ק

407 קב ונקי *Kabh Venaki.* Nomen *autoris* eſſe, qui ſuccincta Commentaria ſcripſit in Proverbia & Pſalmos, affirmat Buxt. quem ſequitur Bartol. IV. 311. id quod tamen verum non eſt, cum hoc nomen libri ſit, non vero autoris, qui vocatur R. *Schalom* fil. R. *Abraham.* Excuſ. Mant. Ao. 340. Cracov. 358. 4to. & cum alio libro בן דערת R. *Acſilrad* Hanov. 376. 4to.

408. ס' קבוצים *Sepher Kibbuzim*, *Liber Collectaneorum*, vel collectionum dictorum ſcil. Sapientum. A Galatino lib. 3. cap. 5. ex eo teſtimonium de Meſſia adduci, teſtis eſt Buxtorf. in Append. Hunc librum a Judæis coram Chriſtianis occultari, extare tamen adhuc hodie inter eos teſtimonio Chriſtophor. *Helvici* in fine Tr. de Paraphraſ. Chaldaicis, aſſerit Buxt. & Bartol. l. c.

Adſcribo Helvici verba: Librum *Kibbuzim comperio adhuc extare Venetiis Manuſcriptum. Ibidem enim illum & vidit & contrectavit Matthias* Heunius *Holſatus, S. S. Theol. ſtudioſiſſimus, & Hebrææ linguæ fidelis cultor, apud vetulum quendam Rabbinum, qui diu tergiverſatus vix ægre tandem oſtenderat.*

409. קבלה האמתית *Kabbalah Haamithit*, *Traditio fidelis*. Comment. in lib. More Anonymi autoris MS. Bibl. Vatic. allegat Bartol. IV. 315.

410. ס׳ הקדמוניות *Sepher hakkademonioth*, *Liber Antiquitatum*, fragmenta quædam ex Joſephi Latina verſione in Hebr. per anonymum tranſlata, a *Joſephi Gorionis* libro diverſa, MS. extare teſtatur Autor ש״י.

411. קדש ישראל *Kodeſch Iſchrael*, *Sanctitas Iſraelis*. Liber ignoti autoris & argumenti MS. in Buxtorf. App. Eſt vero ſecunda pars libri קהלת יעקב qui eſt commentarius duplex in Lib. Coheleth, autore R. *Baruch*, *aben Jedaja* Exc. Venet. Anno 359. fol.

412. קול מבשר *Kol Mevaſſer*, *Vox Prædicantis*. Titulus libri ap. Buxtorf. Tractat. de Pœnitentia, Pœnis & præmiis, fineque hominis. Autor R. *Abraham. Saſon* Exc. Venet. Ao. 385. 8vo. Conſentit Cavius, & inſuper notat, quod jungatur huic *vox gaudii* per R. *Jechoniam Ben Abrahæ Saſon*. Normannus ex ש״י ſuperius etiam roborat.

413. קול הנגידים *Kol hannegidim*, *Vox Anteceſſorum*. Hunc titulum in quodam libro citatum ſe vidiſſe ſcribit R. Schabtai in ש״י.

414

414. קול שמחה *Kol Schimchah*, *Vox Lætitiæ.* Cantus prolixus de Sabbatho, quo ſimul omnes Sabbathi ritus explicantur. Excuſ. Proſtizzi in Moravia Anno 363. 4to ex ש"י.

415. ס' הקומה *Sepher hakkomah*, *Liber Staturæ.* Liber Cabbaliſticus MS. ap. Buxt. Bart. IV. 309. & in ש"י.

416. קינות *Kinoth. Threni, ſ. Lamentationes*, quæ Judæis in feſto *Tiſcha beau*, i.e. 9. menſis *Au* pro commemoratione everſionis Templi, exilii aliarumque calamitatum recitantur. Reperiuntur excuſæ in omnibus precum libris, & ſeorſim etiam cum Comment. R. *Chaim Chazan* fil. *Iſaaci Leibſchûtz*, Lubl. Anno 377. 4to. itemque cum Comment. R. *Aſcher* fil. R. *Joſeph.* Cracov. Ao. 345. 4to. Quis vero autor illarum ſit, non adeo certum eſt, cum diverſis compoſitæ, & poſtmodum in unum collectæ fuerint, etſi in libro מהר"יל harum XXI. adſcribantur R. *Eliezari Hakkalir.*

417. קינ"ג ארטום הוב vide ſupra.

418. קן צפור *Ken Zippor*, *Nidus Avis.* Compendium libri כנפי יונה, quo multa Cabbaliſtica continentur. MS. Anonymi in ש"י.

419. ס' קנטיר *Sepher Kenthir*, *Liber incantationum*, cujus ſæpe meminit Rambam in

in more hannevuchim, anonymus apud Bartol. IV. 299.

420. קיצור זוהר *Kizzur Sohar*, *Compendium libri Sohar.* Titulus libri ap. Buxtorf. & Bartol. IV. 315.

421. קיצור ערוך *Kizzur Aruch*, *Compendium libri* ערוך vid. ſup. n. 367.

422. קרית ספר *Kiriath Sepher*, *Civitas Libraria.* Tres ὁμώνυμοι libri ap. Buxtorf. quorum duorum nomina indicavit. Tertium dicit Commentarium maſorethicum eſſe MS. autoris ignoti. Autor forte R. *Eliezer fil.* R. *Joſe Galilæi.* Bartolocc. magnam Bibliothec. ſuam Rabbinicam eodem nomine inſcripſit.

423. קרנים *Karnajim*, *Duo Cornua.* Titulum libri alicubi ſe reperiſſe dicit R. Schabtai in ש״י.

424. קשת נחושת *Keſcheth nachuſchath*, *Arcus æneus.* Titulus libri apud Plantavit. & Bartolocc. IV. 315. ſine notitia argumenti vel autoris.

ר

425. ראשית חכמה *Reſchith chochmah*, *Initium Sapientiæ.* Liber Aſtrologicus, quem Buxtorf. & Autor ש״י Aben Ezræ tribuunt. Bartolocc. vero IV. 296. ab anonymo Arabice

ce compoſitum & ab *Aben-Ezra* tranſlatum fuiſſe putat. Extat MS. & Latine tantum per *Petrum Apponenſem* tranſlatus prodiit Venet. 1484. & Colon. 1537.

426. רבות *Rabboth* liber ita dictus, quod plurimæ explicationes allegoricæ & myſticæ in Pentateuchum & v. Libellos eo contineantur, de cujus tamen libri, quem pro antiquiſſimo Judæi venditant, autore non inter omnes convenit. Quidam enim, ut in Præfat. libri רוקח notatur, eum tribuunt R. *Hoſchia Rabba*, diſcipulo R. *Jehudæ ſancti*, ab aliis vero ut in Zemach David fol. 44. & Buxtorfio, cui Normannus accedit, & Edzardus robur addit ex *Jiſſachar Beer* fil. *Naphthali*, præf. notarum in eundem librum, ſub titulo *Mattenoth Kehunna* editarum, adſcribitur *Rabba bar Nachmoni*, quanquam exiſtimem, a diverſis primum autoribus compoſitum, & deinde in unum corpus collectum fuiſſe, quod ex diverſitate ſtyli etiam, qui alias admodum confuſus & intellectu difficilis eſt, colligi facile poteſt. Excuſus fuit diverſis vicibus, & ampliſſimi Commentarii inſuper in eum impreſſi extant, de quibus alibi ex profeſſo nobis agendum erit. In libro ארזי לבנון de quo ſup. n. 65. reperiuntur כללי מדרש רבה ſeu gloſſæ in Rab-

both

both valde neceſſariæ ad intelligendum ſtylum hujus libri.

427. רוח חן *Ruach chen*, *Spiritus gratiæ*, liber Phyſicus, ex libro *More* potiſſimum factus quem Buxtorff. attribuit R. *Aben Tybbon*, qui tamen tantum ex Arabico ignoti Autoris illum tranſtulit. Exc. Cremonæ Ao. 326. & cum Comment. Pragæ 380. 4to. qui a præcedenti non eſt diverſus, uti dubitavit Buxtorf.

428. Eodem nomine liber extat, cujus autor R. *Amoli*, de quo alio loco.

429. רזיאל *Liber Raziel* magicus & cabbaliſticus, cujus argumentum ap. Buxtorf. ab Angelo hujus nominis *Adamo* in calamum dictatum fuiſſe, Judæi fingunt, quod ut refutetur, non eſt operæ pretium. Bartolocc. IV. 300. ſcribit ſe aliquando hunc librum MS. vidiſſe charactere perpulchro exaratum, quia vero multa maleficia ab illo edoceri poſſe veritus ſit, ab ejus lectione abſtinuiſſe. Quaſi vero!

430. Ibidem alium hujus nominis librum MS. citat, qui nihil magici contineat, ſed tantum Cabbaliſtica quædam.

431. רעיא מהימנא *Raja Mehemeni*, *Paſtor fidelis.* Ita vocari dicit Buxt. in Abbrev. p. 185. autorem, qui ſcripſit Additamenta in Zohar, quod tamen falſum eſt.

Non

Non enim autoris, ſed libri nomen. Hujus vero argumentum, ut explicet 613. præcepta diciturque compoſitus per ſplendorem Moſis Prophetæ. Pauca hujus libri excuſa reperiuntur in libro *Zohar*.

432. ס' רפואה *Sepher Rephuah*, *Liber de Medicina*. Plures Anonymos affert Bartol. IV. 297. 300. quorum autores divinare non licet. In libro enim ש"י quindecim hujus nominis libri afferuntur, quorum quilibet ſuo auctori adſcribitur. Hos ſingulos in Bibl. noſtra Rabbin. recenſebimus.

ש

433. שאלות ותשובות הגאונים *Scheeloth utheſchubboth haggeonim*, *Quæſtiones & Reſponſiones Rabbinorum*, *qui titulum Gaon ferunt*. Hæ numero 400. à diverſis Geonim, quorum pleraque nomina ignorantur, redditæ, & in unum corpus collectæ excuſ. Conſtantin. & Pragæ Ao. 335. itemque Mantuæ Ao. 357. 4to, Collectoris *Menachemi Aegoſi* obſervante Dno Edzardo, ex calce libri, ibique repertis his verbis: אני האיש להבל דמה מנחם אגוזי, i. e. *Ego vir vanitati ſimilis*, Menachem Aegoſi ſc. ſum autor hujus libri, vi præcedentis contextus.

434. שארית נפש *Scheerith Nepheſch*, *Reliquiæ*

Reliquiæ animæ MS. in 4to ſine argumento & autoris nomine affert Buxt. Continet vero Demonſtrationem æternitatis animæ, rationibus validis ex Scriptura S. & ratione depromptis adſtructam, cujus autor R. *Saul Mortara.*

435. שבילי אמונה *Schevile Emunah*, *Semita Fidei.* Librum Phyſicum & Aſtronomicum Rivæ (Ao. 319. & Amſtel. Ao 327. 4to) impreſſum ex Zemach David affert Buxtorf Autor R. *Meir Elrabbi Hiſpanus.* Complectitur 10. ſermones præſtantes.

436. שבילי הלקט *Schevile halleket*, *Semita Collectionis.* Librum Ritualem & Juridicum de licitis & vetitis Venet. (Ao. 306. fol.) excuſum, idem adducit Buxt. Autor R. *Zidkia*, *fil. R. Abraham*, *Medicus.*

437. שוחר טוב *Aurora bona.* vid. ſup. n. 254.

438. שום שכל *Sum ſechel*, *Pone intellectum.* Anonymi Tractatum de Punctis, Accentibus & literis Begadchephat, MS. Bibl. Vatic. adducit Bartolocc. IV. 298.

439. שומרים לבקור *Schomerim Levoker*, *Cuſtodiam habentes usque ad mane.* Liber Precum nonnullarum, quas ſingulis diebus recitant Judæi, ſæpiſſime excuſus in 8vo & cum Commentario Lublini in 8vo.

440. שושנת עמקים *Schoſchannath amakim*

bim, *Lilium Convallium.* Commentarium ſuper Canticum Canticorum ſine autoris nomine affert Buxtorf. Autor R. *Moſes Alſchech*, excuſusque una cum Commentariis in reliquos quatuor libros, Venet. Ao. 361. 4to, & Pragæ 370. fol.

441. שחיטות ובדיקות *Schechitoth Ubbedikoth*, *Tractationes & Inquiſitiones.* Hos duos parvos libellos, in quibus *ars mactandi* deſcribitur; Venet. in 8vo excuſ. ſine nomine Autoris recenſet Buxtorf. Eſt is R. *Jacob Weiel.* Multoties liber excuſus eſt cum plurimorum Commentariis, quos alibi afferimus.

442. שיר היחוד *Schir hajichud*, *Carmen de Unitate Dei*, quod filii Moſis finguntur compoſuiſſe, cum tranſiit fluvium Sabbation. Singulis diebus illud recitare Judæi obligantur, reperiturque in omnibus precum libellis.

443. ס׳ שירים *Sepher ſchirim*, *Liber Hymnorum*, pro ſingulis diebus hebdomadæ, nunquam impreſſus, nec ad uſum quotidianum ab Hebræis adhibitus, compoſitus ab incerto autore, MS. Biblioth. Vatic. apud Bartolocc. IV. 316. Plurimi hujus farinæ libri impreſſi extant, quos adſcriptis ſimul autorum nominibus, exhibet R. *Schabtai* in ש״י.

l 444.

444. שכל טוב *Sechel Tof*, *Intellectus bonus*. Anonymi magnus Commentarius in Legem, MS. adductus in ש"י.

445. שכל מעשי ועיוני *Sechel maaſe bhejune*, *De Intellectu agente & poſſibili* MS. Biblioth. Vatic. anonymi affert Bartolocc. IV. 298.

446 שלשה ספרים *Schelоſcha ſepharim*, *Tres Libri*. Titulus libri ſine autoris nomine, Cracoviæ Ao. 369. 8vo excuſi in ש"י adductus. Eo continentur Liber היראה de *Timore* אגרת המוסר *Epiſtola de Correctione*, & דת הנשים *Conſtitutiones mulierum*.

447. שם המפורש *Schem hamphoraſch*, *Nomen Dei Tetragrammaton expoſitum*, nempe a Cabbaliſtis per alia nomina. Hujus libri meminiſſe *Munſterum* in præfat. ſua in ſphæram Hebraicam, & *Maſium* in Joſuam, notat Buxt. At non unus tantum liber hoc titulo reperitur, ſed innumeri extant quibus Nomen Dei cabbaliſtice explicatur. Conf. Bartol. I. 654.

448. שם עולם *Schem Olam*, *Nomen Mundi*. Anonymi liber agens de morte Moſis rythmis Germanicis ineptiſſimis. Excuſ. Hebraicis literis Francof. ad Oder. Anno 438.

449. ס' השמד טבלה *Sepher haſchmad thebhelah*,

thebbelah, Liber Corruptionis Tabulæ rotundæ Regis Artus, &c. ex Hiſpanico in Hebraicum tranſlatus, dicitur continere hiſtoriam de filia Regis Hiſpaniæ, quæ in cauſa fuit, ut omnes viri civitatis occiderentur. MS. Biblioth. Vatic. ap. Bartolocc. IV. 298. Vide ſupra num. 67.

450. ס' שמואל *Sepher Schemuel, Liber Samuelis*, rythmis Germanicis compoſitus, exc. literis Rabb. Baſil. Ao. 372. 4to.

451. שמוש תהלים *Schimmuſch Thehillim, Uſus Pſalmorum.* Superſtitioſi hujus & ne dicam diabolici libri argumentum prolixe perſequitur Buxtorf. Ad eundem modum compoſitus liber

452. MS. extat שמוש התורה *Schimmuſch Hathora, Uſus Pentateuchi*, de quorum tamen Autoribus nihil conſtat.

453. שמים חדשים *Schamaim chadaſchim, Cœli novi.* Liber de Renovatione Mundi, cui junctus Commentarius in cap. 19. lib. 2. *more hannev.* ap. Buxtorf. Autor *Don Iſaac Abarbanel.*

454. שמן המור *Schemen Hammor, Oleum myrrhæ*, liber Maſorethicus MS. in Append. Buxt.

455. שער האגדה *Schaar Haagadah, Porta Agadæ*, ſ. allegorica, liber, quo omnes Antiquorum Rabbinorum Hiſtoriæ, quæ

humanæ rationi adverſari videntur; allegorice declarantur, autore Anonymo MS. Bibl. Vatic. ap. Bartol. IV. 309.

456. שער היחוד *Schaar Hajichud*, *Porta Unitatis.* Tractat de Exiſtentia Dei & potentiis animæ rationalis; item contra Ariſtotelem diſputat, quod mundus non potuerit eſſe ab æterno. Reperitur MS. in Bibl. Vatic. teſte eodem.

457. שער הכוונה *Schaar Haccevunah*, *Porta Intentionalis*, de intentione Cabbaliſtarum circa materiam Cabbalæ. MS. ibid. p. 310.

457. *a* שער המתג *Schaar Hammetheg*. Normanno obſervante Dikduk innominati ſ. Grammatica. Quidam R. *David Kimchio* abſcribunt, inquit Munſterus pr. inſtit. Hebr. qui librum poſſedit.

458. שער הסודות *Schaar Haſſodoth*, *Porta Secretorum.* De neceſſitate Legis Oralis & traditione doctrina Bartolocc. IV. pag. 310.

459. שער השם *Schaar Haſſchem*, *Porta Nominis divini.* Conciones excuſ. Conſtantinop. vid. ש״י. & Bartolocc. IV. 310. ex Plantavit.

460. שער שם החדש *Porta Nominis novi.* Liber Cabbaliſticus in Append. Buxt. ubi falſo legitur *Sancti.* Eſt hic unus Tractatus

ctatus libri שומר אמונים cujus autor R. *Samuel Medicus.* Excuſ. Conſtantinop. Ao. 293. 4to.

461. שער תמורה *Schaar-Themurah*, *Porta Permutationis.* De certa ſpecie Cabbalæ, de qua Bartol. l. c. auctoris anonymi ex Plantavit.

462. שער התקונים *Schaar Hatthikkunim*, *Porta Ordinationum.* Conſtitutiones in nocte feſti ſeptimanarum & Hoſchanna Rabba obſervandæ. Excuſ. Venet. in 8vo. ex ש״י.

463. שערי הגמול *Schaare Haggemul*, *Porta Retributionis.* Hujus libri meminit Gilbertus *Genebrardus* in Tab. lib. Rabbin. & de modo legendi ſine punctis. vid. Bartolocc. l. c. Eſt autem unus Tractatus libri תורת האדם cujus autor *Ramban.* Excuſ. Ferrar. Ao. 316. 4to.

464. שערי דעת *Schaare Daath*, *Porta Scientiæ.* Liber Cabbaliſticus nunquam excuſus, ex Plantavitio, Bartol. l. c.

465. שערי יצירה *Schaare Jezirah*, *Porta formationis.* Dilucidatio libri יצירה ibidem.

466. שערי צדק *Schaare Zedek*, *Porta Juſtitiæ.* Præter impreſſum, de quo Buxtorf. alius anonymi extat Commentarius in

Sephiroth, allegatus in libro נובלות חכמה, fol. 195.

467. שערי תורה *Schaare Thorah*, *Portæ Legis*. Liber Cabbaliſticus tractans de 10. Sephiroth, ex Plantavit. allatus a Bartolocc. IV. 311.

468. שפתי דעת *Siphthe Daath*, *Labra Scientiæ*. Librum ignoti autoris & argumenti vocat Buxtorf. in App. & ex eo Bartolocc. IV. 310. Sed conſtat illum compoſitum fuiſſe ab Excell. R. *Ephraim de Landſchutz*, & conciones in Legem continere, excuſ. Pragæ Anno 370. fol.

469. שפתי כהן *Siphthe Cohen*, *Labia Sacerdotis*. Medraſchim in Legem continere ſcribit Buxtorf. Autor R. *Mardochai Sacerdos*. Excuſ. Venet. Ao. 365. fol. Conſentit Cavius.

470. שר שלום *Sar Schalom*, *Princeps Pacis*. Liber Homiliarum apud Bartol. IV. 311. Sunt Conciones in Canticum Canticorum, (non Eccleſiaſtem, ut in Append. Buxtorf.) R. *Samuelis* fil. *Iſaaci Arepol.* excuſ. Venet. 8vo.

471. שרש ישי *Schoreſch Jiſchai*, *Radix Iſai*. Elegantem expoſitionem libelli Ruth eſſe, Conſtantinop. in 4to. (A. 326. & Lublini Ao. 357. 4to) excuſ. ſcribit Buxtorf. Autor R. *Salomo Levita*, fil. *Elkabez*.

27*a*.

472. שרשים מספרי קבלה *Schoraſchim Miſſiphre Kabbalah*, *Fundamenta Librorum Cabbaliſticorum*, a Maſio in Joſuam citari notat Buxtorf.

473. ס' השתן *Sepher Haſſchatan*, *Liber de Urina*, ad infirmitates coguoſcendas ex inſpectione urinæ, anonymi MS. Vatic. citat Bartol. IV. 298.

ת

474. תהלה לדוד *Thehiliah Ledavid*, *Laus Davidis*. Duplicem hoc titulo affert Buxtorf. librum, unum anonymum, excuſ. Conſtant. 4to. qui eſt R. *Davidis Carpi* explicatio literalis in Pſalmos, de quo Morin. Exc. Biblioth. p. 245. Conſentit Cavius.

475. Alterum in Append. *de Articulis Fidei*, attribuit *miſſer Davidi Mantuane*, cujus integrum nomen R. *David ben Don Schlomo aben Jechja*.

476. תוכחות מוסר *Thokechoth Muſar*, *Redargutiones doctrinæ*. Eſt quartus Tractatus libri מנחת כהן cujus autor R. *Samuel* Sacerdos fil. *Joſephi*.

477. תולדות ישו *Tholedoth Jeſchu*, *Generationes Jeſu*. Liber blaſphemus & maledccus contra veritatem hiſtoriæ Chriſti a quodam verpa ſcriptus, cujus tamen nomen

hactenus delituit. Latine primum hunc damnatum librum in lucem produxit Raymundus *Martini* part. 2. cap. 8. Pugionis fidei unde paulo poſt *Porchetus Salvaticus* in ſuam adverſus Judæos Commentationem transſcripſit, ex quo *Lutherus* noſter Germanicum fecit, in cujus Tomo VIII. Jenenſi comparet. *Wagenſeilius* tandem Hebraice edidit, & novam verſionem ad latus adjecit, juncta refutatione, in cujus telis igneis Satanæ ad calcem reperitur.

478. תולעת יעקב *Tholaath Jaakob, Vermiculus Jacobi* Explicationem Cabbaliſticam eſſe libri Precum Cracov. in 4to (Anno 341 & antea Conſtantinop. Ao. 320.) excuſ. ſcribit Buxtorf. Autor R. *Meir aben Gabai.*

479. תוספות *Thoſephoth, Additiones* ſcil. Talmudicæ. Hæ variis autoribus debentur, quorum nonnullorum nomina afferuntur in Schalſch. Hakkab. fol. 12. ut R. *Jacobi Morlines*, R. *Iſaaci bar Meir*, R. *Iſaaci aben Geoth*, R. *Iſaaci bar Samuelis*, R. *Iſaaci Senioris*, R. *Simeonis Schancenſis fil. R. Abraham*, R. *Simſonis Kenonis*, R. *Iſaaci bar Abraham*, R. *Perez Sacerdotis fil. R. Iſaaci.* Gemina hiſce ex eodem affert Edzardus, ut & ex Ganzii Zemach Dav.

479. *a* תוספתא, *Thoſaptha*, additio. De hac ita Edzardus. Eſt additamentum ad Miſch-

Miſchnam, & differt ab additionibus ſupra dictis. Invenitur in Alpes tractatibus ſubjecta. R. *Chajam* eam conſcripſiſſe auctor eſt Ganzius in Zemach David fol 44. a. provocans ad Maimonidem præfatione in Miſchnam & Abarbanelem præfat. in Nachalath avoth. Vixiſſe dicitur Anno 3979. Abrah. Zachuth in Juchaſ. fol 84. & 91. R. Chijam & Oſchajam operas in ejus compoſitione junxiſſe tradit R. *Jeſchua Hallevi* in Halichoth Olam edit. l'Empereur pag. 26. Toſaphtam abſolute nominatam R. *Nehemiæ* tribuit, eamque a Miſchna R. *Chijæ* prorſus differre ſtatuit, pag. 223. monente hoc ipſum ex quorundam ſententia etiam Ganzio. in Zemach Dav fol. 44. a R. *Abraham ben Deor Toſaphtam* hanc filio Kapparæ vendicat ibid. Sunt etiam, qui in genere diſcipulum quendam R. *Jehudæ Sancti*, ejus autorem conſtituant. vid. Halichoth olam pag. 13. *Edzardo* conſentit Symbola alia ſequens.

480. תוספתות *Toſipthoth*, *Additiones* ſcil. Talmudicæ. Ita antiquiores illæ vocantur, quæ partim in editionibus Talmudis, partim in editionibus majoribus libri Alpheſi junctim reperiuntur, quarum autorem nonnulli R. *Chaja* cum R. *Uſchia Rabba*, alii R. *Nehemiam*, *bar Capara* conſtituunt.

481. תוצאות חיים *Thozeoth Chajim*,

l 5 *Egreſſus*

Egreſſus vitæ. Compendium breviſſimum libri ראשית חכמה Cracoviæ (& Pragæ) in 8vo excuſ. affert Buxt. Illud ab ipſo autore libri ר"ח qui eſt *Elias de Vidas*, concinnatum fuit, ut notatur in ש"י Confirmat Cavius.

482. תורת אדם *Thorath Adam*, *Lex Adami.* Liber Cabbaliſticus allegatus in libro נובלות החכמה, fol 195. vid. ש"י.

483. תורת חסד *Thorath Chesed*, *Lex Miſericordiæ.* Expoſitio elegans ſuper Hagiographa & V. Megilloth. Conſtantinopol. exc. adducitur a Buxtorfio. Autor R. *Iſaac bar R. Salomo Jabez.* Singulorum librorum contenta recenſet R. Schabtai in ש"י.

484. תורת כהנים *Thorath Cohanim*, *Lex Sacerdotum.* Idem cum libro ספרא de quo ſupr. egimus num. 354.

485. תחלת דברי שמואל *Thechillath dibbre Schemuel*, *Principium verborum Samuelis.* Expoſitio ſuper Targum Eſther, Pragæ in 4to (Ao. 361.) exc. ap. Buxtorf. Autor R. *Samuel fil.* R. *Pinehas.* Sacerdotis Juſtitiæ, eſtque non tantum Comm. in Targum, ſed etiam in ipſum librum Eſther.

486. תלמוד דבני מערבא *Thalmud dibene Mearbe*, *Talmud Occidentalium*, id eſt, *Hieroſolymitanum*, quo præter Miſchnam, quam tunc ferme in ordinem redegerat R. *Juda*

Juda Sanctus, uti ſupra dictum, Gemara ſ. Commentarius ſuper Miſchnam, (quamvis non ſuper omnes Tractatus Miſchnicos) ex diverſis Rabbinorum ſententiis compilatus continetur, quod ideo Hieroſolymitanum appellatum eſt, quod dialecto Hieroſolymitana obſcura ſcriptum fuit. Hujus Talmudici corporis, quod alterum, Babylonicum nempe, præceſſit, collectorem communiter faciunt R. Jochanan, qui circa Annum C. 230. juxta Ganzium in Zemach David fol. 44. illud abſolviſſe fertur, quamvis *Jacobus Capellus* Opp. poſthum. pag 581. exiſtimet, eo anno tantum inchoari cœptum, ſed poſt Diocletiani demum tempora abſolutum fuiſſe, quod *Lud. Capellus* in Crit. S. pag. 372. cum Scaligero A. C. 469. vel anno 47. poſt mortem Hieronymi factum ſcribit; Johannes autem *Morinus* Exerc. Biblioth. p. 299. poſt annum C. 600. demum compoſitum fuiſſe probet. Sane vel ex eo *Ganz* refutari poſſet, quod in hoc Talmude frequens Diocletiani mentio occurrat, de quo vid. Lightfoot. Tom. II. Opp. fol. 146. Ipſi vero etiam Judæi in ætate huic libro adſtruenda inter ſe variant, de quo conf. Bartol. III. 684. Hujus Talmudis longam deſcriptionem olim paraverat *Lightfootus*, ut in ejus vita aſſeritur, quæ tamen nunquam lucem

lucem adſpexit. Nos alibi prolixius de hoc & ſequenti libro differemus.

487. תלמוד בבלי *Thalmud Baveli*, *Talmud Babylonicum*, vero, & illius alteram imprimis partem *Gemaram* nempe ſ. Commentarios in quosdam Tractatus Misnicos, quod attinet, etſi prius memorata Gemara poſterior ſit, utpote Ao. C. 500. demum abſoluta, quod Morinus l. c. pag. 301. ſeqq. & 307. Anno C. 707. demum factum putat, majoris tamen ſemper exiſtimationis inter Judæos extitit, quæ idcirco etiam κατ' ἐξοχὴν Gemara & Talmud allegari ſolet. Hujus Corporis primum Collectorem fuiſſe Raf Aſche, qui Ao. C. 367. incepit, & per 60. annos in eo laboravit, cui poſtea Ao. 427. ſucceſſit Maremar, & tandem a R. *Avina* A. C. 500. abſolutum fuit, communis Judæorum ſententia eſt, quamvis in æra aſſignanda nonnihil varient, quo de conf. Ludov. *Capell.* in Arcanis Punctat. revelat. lib. 2. 16. An vero hac in parte Judæis fides haberi debeat, quos nullibi magis, quam in rebus hiſtoricis & Chronologicis ceſpitare, & apud quos nullum hiſtoricum, qui Ao. Chriſti milleſimo poſterior non ſit, reperiri, conſtat, altioris eſt indaginis.

488. ס׳ תניא *Sepher Thanja*, *Liber Ritualis*. Compendium Deciſionum Talmudicarum,

dicarum, & rituum Judaicorum excuſ. Cremonæ Ao. 325. 4to. cujus autorem R. Dav. Ganz. in צ"ד fol. 58. & Buxtorf. faciunt R. *Jehudam fil. Benjamin*, etſi in Præfatione ipſius libri ſcribatur, quod R. *Jechiel fil.* R. *Jacob*, libri *Arba Turim* Autor illum compoſuerit.

489. תנחומא *Thanchuma*, *Conſolatio.* Celebris Commentarius allegoricus in V. libros Moſis, & pro antiquiſſimo a Judæis habitus. Dicitur etiam alias ילמדנו *docebit nos*, ideo, quod omnes lectiones ſuas Autor incipiat cum verbis ילמדנו רבינו. Ejus autorem communiter faciunt R. *Tanchuma bar Aba*, autor vero Schalſch. Hakkab. fol. 52. cuidam R. *Nachman* illum tribuit. Excuſ. Conſtantinop. Ao. 288. Venet. Ao. 305. Veronæ Ao. 355. & Pragæ Ao. 373. fol. *Daſſovius* in præf. Diatrib. de reſurrect. mortuorum, etiam *Mantuanam* editionem A. 1536. fol. citat, quam nunquam vidi, nec alibi illam citari comperi. Conſentit Edzardus & inſuper notat Mantuanam editionem eſſe correctiorem, & Veneta manca pleniorem.

490. תענוג הנשמה *Thaanug Hanneſchammah*, *Oblectatio animæ.* Conciones manuſcriptæ in Buxtorf Append.

491. תפארת ישראל *Thiphereth Jiſchrael*

rael, *Decor Iſraelis.* Librum Concionum Venet. in 4to exc. affert Buxt. Autor R. *Salomo*, fil. R. *Zemach Duran.*

492. ס' התפוח *Sepher Hattappuach*, *Pomum*, Dialogus inter Ariſtotelem & diſcipulos ejus de felicitate animæ, poſt mortem & morte non metuenda. Hunc a ſapientibus Græcorum compoſitum, & deinde ex Arabico in Hebraicum tranſlatum fuiſſe, in præfat. quam fecit R. *Abraham bar Chasdai hallevi* ſcribit. Exc. Venet. Ao. 279. & cum quibusdam Epiſtolis Tridenti ad ripas Atheſis in 4to.

493. תפוחי זהב *Tappuche Zahaf*, *Poma aurea.* Idem cum libro יסוד שירים de quo ſupra num. 181. In Bibl. R. C num. 152. optimum Codicem MS. hoc titulo reperi, qui eſt Comment. in Cantic. Cantic. cujus autor R. *Moſes* fil. *Iſaaci*, unde forte & prioris Commentarii in lib. Ruth autor dici poterit. Admodum reverendus *Cavius* hujus tituli librum affert de regno Davidis, ejusque origine, præſtantia & duratione, ſtylo admodum obſcuro agentem, auctore R. *Eliezer ben Nephtali.*

494. תפלות מכל השנה *Thephilloth Miccol Haſchanah*, *Liber precum totius anni*, cujus argumentum & varias editiones recenſet Buxtorf. cui add. ש"י. Preces vero illæ ad-

adſcribuntur viris Synagogæ magnæ, quæ deinde per quendam, cujus nomen ignoratur, in unum librum collectæ fuerunt.

495. תפלה למשה *Thephilla Lemoſche*, *Oratio Moſis*. Librum Concionum in Legem ſine autoris nomine affert Buxtorf. Eſt is R. *Moſes Elmosnino*. Excuſ. Saloneci Ao. 322. & Cracoviæ Ao. 306. 4to. Conſentit *Cavius*.

496. תיקון סופרים *Thikkun Sopherim*, *Ordinatio Scribarum*. Anonymi quidam libellus Grammaticus Criticus Excuſ. Pragæ in 4to. vid. ש״י.

497. תקוני הזוהר *Thikkune Haſſohar*, *Correctiones libri Zohar*. Excuſ. Mantuæ Ao. 318. 4to. & Cracov. app. Buxtorf. Hujus libri Autor Tanaita R. *Simeon ben Jochai*, ut communiter creditur, continetque 70. Correctiones & explicationes Cabbaliſticas ſuper ſolam vocem בראשית quibus junctæ additiones R. *Emanuel ben Jekuthiel Beneventani*, aliæque undecim Correctiones. Confer omnino ש״י.

498. תקנות מק״ק פראג *Thikkunoth* &c. *Ordinationes Synagogæ Pragenſis*. Hæ a nonnullis Judæis Pragenſibus ad bonum & incrementum hujus Synagogæ factæ, ſine autoris nomine prod. Pragæ 4to.

499. תקוני התשובה *Thikkune Hattheſchubbah*,

ſchubhah, *Ordinationes pœnitentiæ.* Cuidam *Armaa*, quod nomen fictitium, tribuit Bartol. I. 469. & reperiri in fine Epitomes libri ראשית חכמה notat.

500. Alius lingua Germanica Hebraicis literis Cracov. Ao 396. & Amſtelod. in 4to impr. Anonymi adducitur in ש״י, in quo methodus pœnitentiæ pro ſingulis peccatis ex omnibus hujus argumenti libris excerpta præſcribitur.

501. תרגומים *Thargumim*, *Paraphraſes*, Chaldaicæ ſcilicet Scripturæ S. quales ſqq. quidem hodie extant. Paraphraſis *Onkeloſi* in Legem. Paraphraſis Jonathanis ſuper Legem & Prophetas. Paraphraſis Hieroſolymitana in Legem. Paraphraſis in Hagiographa *Joſephi Luſci.* Paraphraſis ſecunda in lib. Eſther, & Paraphraſis in libros Paralipomenωn, quarum ætatem & autores certo definire res eſt difficilis momenti. Nam quod primo *paraphraſin Onkeloſi* reliquis meliorem & utiliorem attinet, quamvis conſtans inter Judæos traditio ſit, illam a Viro hujus nominis ex gentili proſelyto, tempore nativitati Chriſti proximo, ex alia antiqua R. *Eliezeris* & R. Joſuæ factam, vel potius tantum emendatam & correctam fuiſſe, quorum teſtimonia adduxit Bartol. I. 405. ſqq. de illo tamen fortiſſimæ dubitandi rationes afferri poſſunt, nempe

nempe quod ipſi Judæi in ætate huic Onke-
loſo aſſignanda inter ſe non conveniant, tum
quod plurima, quæ de illius vita & conver-
ſione narrant, Judaicam ſapiant fabulam, &
denique, quod nec tempore *Chriſti* vel *Apo-
ſtolorum*, nec tempore *Fl. Joſephi*, imo nec
Origenis & Hieronymi ullam harum para-
phraſium extitiſſe probabile ſit, cum nulli
horum ullam earundem injecerint mentio-
nem.

502. Atque idem etiam de reliquis Para-
phraſibus urgeri poteſt, quarum illa in *Le-
gem & Prophetas*, quam *Jonathani* tribuunt,
& *Onkeloſi* verſionem, de qua diximus, præ-
extitiſſe volunt, minime hanc ætatem ſapit,
qualis fuit Jonathanis *fil. Uzielis*, qui diu
ante Chriſti nativitatem vixit. Aſſertum
noſtrum de Paraphraſi in Legem tam clarum
& certum eſt, ut nonniſi in luce palpitaret,
qui contrarium aſſerere vellet. Stylus bar-
barus, vocabula nova, fabulæ hinc inde ad-
ſperſæ aliaque indicia plurima illud ſufficien-
ter comprobant, adeo, ut inter ipſos Ju-
dæos nonnulli illud olfecerint, nec ejuſdem
qui in Prophetas paraphraſin ſcripſit, autoris
eſſe poſſe confeſſi fuerint, cum unus ſtylus
multis modis ab alio differat.

503. Aſt nec altera *Paraphraſis in priores
& poſteriores Prophetas*, quamvis prius me-

morata multis Seculis antiquior, Jonathanem Autorem agnoſcit, tum ob ſupra dictas rationes, (conf. partim Bartol. III. 788.) tum ob plurimas fabulas, quæ ibi animadvertuntur, tum etiam potiſſimum ob ſtyli diverſitatem, ab antiquo Chaldaico ſtylo, qui in Danielis & Esdræ libris reperitur, toto cœlo diſcrepantem. Quod ſi divinare licet, exiſtimarem Onkeloſi & Jonathanis in Prophetas (nam de illa in Legem dixi, novitium commentum eſſe) paraphraſes ex antiquis Chaldaicis tranſlationibus, quas una cum Hebraico Scripturæ textu in ſynagogis legere Judæis olim in uſu fuit, & quarum fragmenta teſte *Reuchlino* l. 3. de Verbo Mirifico c. 13. adhuc dum reperire licet, prolixe ante abſolutum Talmud confectas ad formam *Aquilæ* & *Theodotionis* verſionum nomen accepiſſe, ut tanto major autoritas illis conciliaretur. Neque vero propterea hos duos Paraphraſtas cum Aquila & Theodotione pro iisdem habeo, quod aliis nonnullis ſtatuere viſum fuit. Reliquæ autem paraphraſes, quibus autoribus debeantur, apud ipſos etiam Judæos indeciſum manſit.

504 Fuere quidem, qui *Hieroſolymitanam Paraphraſin in Legem R. Joſepho Luſco* adſcripſerunt, hoc tamen ſolide refutat *El. Levita* in præf. Lexici Chaldaici, qui 300 fere

fere poſt deſolationem urbis annis illam a diverſis interpretibus factam fuiſſe, & Pſeudo-Jonathanis illa antiquiorem eſſe putat, cui adſtipulantur *Joſippon* & R. *Nathan* in Aruch. Unde verum non eſt, quod Joh. *Druſ.* Quæſit. per epiſt. & ad diffic. loc. Num. c. 132. pag. 496. aſſerit, hanc Interpretationem eandem eſſe, & eundem autorem agnoſcere cum Interpretatione Pſeudo Jonathanis, quod præter *Mayerum*, Phil. S. P. 2. p. 57. & *Cartwright.* Elect. in Geneſin, refutat Br. *Walton* proleg. 12. n. 11. Aſt vero etiam illa, quam *Elias* ipſi aſſignavit, ætate recentiorem eſſe, ex barbaro ſtylo eruditi judicant, quo de confer Ioh. *Morin.* Ex. 8. lib. 2. & Rich. *Simon* Hiſt. Crit. du V. T. l. 2. chap. 18. Quod ſi vero de Paraphraſi in Pentateuchum Ionathano attributa merito dubitant viri, quanto magis de veritate.

505. *Paraphraſis in Hagiographa* dubitarent, ſi in eam aliquando *Jonathanem* manum admoviſſe, & Paraphraſin Chaldæam compoſuiſſe diceretur, recte concludit Bart. III. 792. ſiquidem in Megilla cap. I. expreſſe dicitur, ei, cum voluiſſet paraphraſtice interpretari Hagiographa, illud de cœlo prohibitum fuiſſe. Nihilominus tamen quidam extiterunt, qui illud aſſerere veriti non

 ſunt,

ſunt. Alii cuidam *Akilaſo*, plerique autem R. *Joſe*, qui alias *Joſephus Cæcus* vocatur, & juxta quoſdam A. C. 400. juxta alios vero 600. vixit, hanc paraphraſin attribuerunt, quo de vid. Bartolocc. III. 814. & *Pfeiffer.* Cr. S. p. 258. 263. Atque hanc paraphraſin reliquis omnibus inferiorem judicamus, quod & prolixitate & frequentia fabularum omnes reliquas ſuperet, in qua etiam ad Cantic. I: 2. expreſſa Talmudis mentio occurrit, his verbis : שתא סדרי משנה ותלמודא בגירסא *ſex ordines Miſchnæ & Talmud cum explicatione*, ita, ut potius pro Commentario Rabbinico, quam Tranſlatione verbali haberi queat. Minus adhuc Judæi cognitum habent, quis autor ſit.

506. *Paraphraſeos ſecundæ* ſ. תרגום שני in Eſtherem, quæ, etſi multum æſtimata a Judæis, ſimiliter plurimis anilibus fabulis ſcatet, quarum ſpecimen exhibet *Pfeifferus* Cr. S. pag. 264.

507. De *Chaldaica tandem Paraphraſi librorum Chronicorum* Judæis pariter ac Chriſtianis parum innotuerat, antequam Matth. Frid. *Beckius* e Codice MS. Bibl. Miniſterii Erfordienſis an. prioris S. 80. Auguſtæ Vindel. illam publicaſſet, etſi ex Cantabrig. Codice in ſuis horis Talmud. quædam verba adduxerat *Lightfootus*, aliique hujus codicis ante

te mentionem injecerant. De hac editione tale judicium legitur in Rich. Simon Hiſt. Crit. du V. T. p. 299. *Cette Paraphraſe eſt peu de choſe, & eſt fort ſeche pour le ſens, etant remplie d'alluſions aux mots. Il eſt vrai qu'elle n'eſt pas remplie de fables comme ſont les derniers Paraphraſes Chaldaiques, mais elle n'en eſt pas pour cela meilleure ni plus ancienne.* Unde mirari non licet, ſi de hujus etiam autore nihil certi definire queamus. Nam quod Sam. *Clericus* apud Edm. Caſtellum Lexic. Heptaglott. voce סרודיתא col. 2613. *Jonathanem* authorem conſtituat, vel memoratus Dn. *Beckius* in præfat. ad Lect. & pag. 43. in not. ab eodem Interprete qui Hagiographa vertit, profectam fuiſſe ſuſpicetur, illud nullo fundamento nititur ac æque incerto aſſeritur, ac ſi *Onkeloſo* (uti etiam *Lightfootus* exiſtimavit, de quo vide ejus vitam §. 5. f. 46. b.) vel alii cuidam vindicare vellem, ideo, quod unus easdem, quas apud alterum etiam obſerves, fabulas attulerit. Cæterum de diverſis harum Paraphraſium editionibus, Tranſlationibus & Commentationibus plura V. D. in Biblioth. noſtra Rabbinica dicemus.

508. ס' התרומות *Sepher Hattrumoth*, *Liber Oblationum.* Juridicus de *commodato & mutuo*, uſuris ac omnibus caſibus, qui ibi in-

intercurrere poſſunt. Exc. Pragæ Ao. 365. fol. (& antea Theſſalon. Ao. 356. 4to) ap. Buxtorf. Autor R. *Samuel Sardus* fil. R. *Iſaaci*. Idem liber cum ampliſſimis Interpretationibus, R. *Azaria*, fil. R. *Ephraim*, qui has Interpretationes ſuas גדולי תרומה inſcripſit, prodiit Venet. Ao. 403. fol.

ADDENDA.

Abſoluto ferme ſpicilegio, miſſus ad me fuit a Judæo Veneto Humaniſſimo æque ac doctiſſimo, Catalogus MS. Librorum & Rabbinorum, qui vel poſt editionem libri שפתי ישנים *impreſſi, vel etiam in illo libro prætermiſſi fuerunt. Cumque nonnullos Anonymos ibi animadvertam, illos hic ſubjungere in lectoris gratiam operæ pretium erit. Sunt autem ſequentes.*

509. אורחות צדיקים *Orchoth Zaddikim*, *Via juſtorum*, de quo libro ſupra n. 66. In hac vero quam recenſemus, editione Sultzbacenſi Ao. 449. & 451. 12mo. junctæ ſunt variæ additiones circa ritus precesque Judæorum, quarum autor non indicatur.

510. אליהו זוטא *Elijahu Sota*, *Elias parvus*. Commentarius in illam partem libri לבוש quæ dicitur אורח חיים cum novis ſpicilegiis, exc. Pragæ 8vo.

511. בית

511. בית יעקב *Beth Jaakob*, *Domus Jacobi.* Præter Titulum libri nullam majorem notitiam ex hoc Catalogo MS. habui. In Excerptis vero meis Pariſienſibus de hoc libro nonnulla annotata reperio ex Cod. MS. Bibl. R. C. n. 173. Nimirum continet iſte Codex tractatus tres, quorum primus vocatur בית יעקב *domus Jacobi*, in quo explicantur omnia, quæ contigiſſe ſcribuntur in Geneſi Jacobo Patriarchæ. Secundus ישועת יעקב *Salus Jacobi*, in quo explicantur 10. illæ plagæ, quibus affecti ſunt Ægyptii, cum Jacobi poſteros in libertatem vindicavit Deus. Tertius קהלת יעקב *Eccleſia Jacob* agit de quibusdam legis divinæ præceptis, quibus Jacobi familia ad religionem initiata fuit: item de fine bonorum malorumve. Autor R. *Jacob* fil. *Salomonis.*

512. בית מידות *Beth Middoth*, *Domus morum.* Liber conſuetudines bonas & mores probos præſcribens, exc. Conſtant. Ao. 285. 4to.

513. ס' הגורלות *Sepher Haggoraloth*, *Liber de ſortibus.* Exc. Venet. Ao. 417. 12.

514. הגדות התלמוד *Haggadoth Hatthalmud*, *Hiſtoriæ Talmudicæ* cum explicatione vocum difficiliorum exc. Conſt. Ao. 271. fol.

155. יודה חטאים *Jodeh Chattaim*,

Confitens peccata, cum plurimis adhortationibus piis ad vota facienda ſanćteque vivendum: exc. Ferraræ Ao. 451. 12mo.

516. ימין ה' רוממה *Jamin Adonai Rommah*, *Dextra Domini elata.* Conſtitutiones de agitatione Lulaf ſeu palmæ cum myrto & ſalicibus in feſto Tabernaculorum (de qua ceremonia nos olim nonnulla typis evulgavimus) Exc. Ven. 4to.

507. משלי חכמים *Miſchle Chachamim*, *Proverbia Sapientum*, lingua Hebræo Italica exc. Ao. 352. 8vo.

518. עונג שבת *Oneg Schabbath*, *Delectans Sabbato.* De ritibus in Sabbato obſervandis compendium alphabeticum exc. Francof. ad Od. 4to.

519. צפנת פענח *Zaphnat Paaneach.* Collectanea & præfationes ſelectæ, & junctim exc. Francof. ad Od. Ao. 456. 4to.

סליק סליק סליק

ADMONITIO
AD
LECTOREM.

Cum in præſenti opuſculo exarando brevitati quam maxime ſtuduerimus, plurima quæ ſæpius repetere opus erat, abbreviate ſcripta fuerunt. Ne vero in illis inter legendum Lector hæreat, illarum, quæ alicujus ponderis videbantur eſſe, abbreviationum, explicationes hic ſubjecimus:

Bart. Bartol. Bartoloccius, id eſt, *Julius Bartoloccius*, qui quatuor Voluminibus in fol. *Magnam Bibliothecam Rabbinicam* Romæ publicavit. Illum quoties allegamus, omiſſo libri titulo, volumen ſaltem & paginas notamus v gr. Bartol. 1. 4. id eſt, Bartoloccius in Biblioth. Rabbinica part. 1. 4. &c.

MS. R. C., id eſt, Manuſcript. Regis Chriſtianiſſimi ex Bibliotheca Regia Pariſienſi.

ד״י, id eſt, דברי הימים liber Hebr. cum plurimis aliis Tractatibus, quo de n. 105.

ש״י id eſt, שפתי ישנים *labia dormientium* Li-

Liber Hebraicus, qui inter omnes, qui de ſcriptis Hebræorum, quædam annotarunt, præſtat. Excuſ. Amſtelod. Ao. 440., id eſt, C. 1680. 4to. Quod ad annum editionis librorum attinet, non niſi Judaicum annum & quidem juxta minorem ſupputationem ad morem Judæorum appoſuimus, ſubintellecto ſemper quinto millenario a Mundo condito. Facile autem inde Chriſtianorum Annus confici poteſt, dummodo annis Judaicis ex minori ſupputatione addantur 240. anni præmiſſo millenario. v. gr. annus Judaicus 440. eſt Chriſtianorum 1680. ann. Judaic. 456. Chr. 1696. ann. Judaic. 458. Chr. 1698. &c.

INDEX

HORUM

RABBINORUM

nec non

quorundam aliorum Autorum qui in hocce ſpicilegio partim detecti partim allegati fuerunt, ordine Alphabetico diſpoſitus.

Numeri intelliguntur librorum, non paginarum.

Aba, id eſt, Abraham ben Aſſer. 41
Aben Ezra. 77, 178, 373, 425
Abigdor, fil. Eliezer Lipman Hildesheimenſ. 313
— Pragenſis. 378
Abraham aben Abimelech. 218.
— de Boten. 208, 209.
— bar Chasdai Hallevi. 83 329, 492.
— bar Chaſariel. 83.
— Chaja. 398.
— Chajon. 59.
— Clausner. 276.
— ben David ſ. ben Deor. 107 a 111, 184.
— Horwitz Hallers cog. Schaptel. 155.
— Jaghel fil. Chanania de Monzelizi. 215.
— bar Iſaac ex Rimmon. 94.

— Ke-

— Kelonia. 201.
— ex diſcipulis R. Iſaac Luria. 104.
— fil. Lew Sarval. 290.
— fil. Iſaaci Chijuth. 119.
— fil. Mardochæi Aſulæi. 155.
— fil. Moſis Germani Heilbrunnenſis. 28.
— fil. Moſis Maimon. 301.
— fil. Nathan. 277.
— aben Ozaz. cogn. aben Burgal. 206.
— Patriarcha. 184.
— Periſot. 11.
— Saſon. 62, 412.
— Scriba Pragenſis. 92.
— fil. Samuelis Gedaliæ de Jeruſalem. 92.
— — Zacuth. 326.
— fil. don Salomo Akara. 259.
— fil. Schabtai Schaptel. 363.
— Videns. 151.
Abſolon Misrachi ſ. Orientalis. 60.
Æſopus. 150.
Aharon Abraham. 18.
— aben Chajim. 354.
— Samuel fil. Moſis Schalom. 335.
R. Akiva. 184, 251, 354.
Akiva Francofurtenſis. 141.
Akſilrad cogn. Bandit fil. Joſeph Levi. 81, 407.
Albumaſar. 1.
Alexander ſacerdos cogn. Zuslan de Francofurto. 9.
Alja Chajim. vide Elia.
Amnon. 262.
Anan. 336.
Anſchel. 315.
Anto i. 428.

Raf Aſche. 487.
Aſcher fil. Joſeph. 416.
Avina. 487.
Azai. 268.
Azaria fil. Ephraim. 103, 508.

B.

Bar Capara. 480.
Bar Scheſcheth. 192.
Baruch fil. R. David. 101.
—— aben Baruch aben Jedaja. 411.
Baſtanai. 301.
Bechai ſenior fil. R. Joſeph Hiſpani. 147, 344.
Ben Sira fil. Jeremiæ Prophetæ. 81.
Benjamin. 185.
—— fil. R. Judæ Romanus. 158
—— de Ardono Germanus. 305.
—— fil. Samuelis. 262.
Bezalael Elias fil. Zedekiæ. 288.
Bibi. 99.

C.

Chaja. 480.
Chajim ben Bezalaël. 17.
—— Galapapa. 365.
—— Chazan fil. Iſaaci Leibſchütz. 416.
—— bar Schmuel bar David de Todela. 405.
Chamai Gaon. 94.
Chizkia fil. Abrami. 273.
Cohana. 381.

David

D.

David Carpius. 474.
—— fil. Jacobi de Lamaz. 257.
—— —— de Schaberſcheñ. 392.
—— fil. R. Joſeph Abudraham. 3.
—— de Paraviſtas filius. 143.
—— fil. Samuëlis. 161.
—— ben don Schlomo aben Jechja. 7 * 236, 275.

E.

Eldad Danita. 51.
Elia ben Abraham hallevi Oettingenſis. 93.
—— Capſali. 337.
—— Chajim Marcianus. 16.
—— Levita. 121, 258, 401.
—— Mantuanus 42.
—— de Vidas. 581.
R. Eliezer magnus. 387.
Eliezer. 66.
—— Azkari. 158.
—— de Garmiza. 184.
—— Hakkalir. 262, 416.
Eliezer fil. Joſe Galilæi, 422.
—— Liberman. 293.
—— Metenſis. 185.
Elijakim. 277.
Emanuel Brundo 129.
—— ben Jekutiel Beneventanus. 497.
Enochus. 154.
Ephraim de Landſchütz. 468.
—— Orientalis. 255.

C.Ei-

C. Epidius. 389.

F.

Friedericus Albertus Chriſtiani. 348.

G.

Gerſom fil. Aſcher. 174.

H.

Hoſchaja rabba. 268, 426.

I.

R. Jacob. 75, 85, 357.
—— Cappel fil. Samuelis. 366.
—— fil. Gerſom. 404.
—— fil. Jeremiæ Matrathiæ Levita. 188.
—— fil. R. Juda Lando. 148.
—— fil. Iſaaci. 394.
—— —— Luzzati. 198.
—— de Liskas. 61.
—— Morlines. 479.
—— fil. Salomonis aben Chaviro. 379, 511.
—— fil. R. Samuel Capelman Briſacenſis. 29.
—— Tam. 188.
—— Neiel. 441.
Jechiel fil. Jacobi. 488.
—— fil. Jekutiel. 281, 289.
Jedajah ben Abraham happenini. 75, 219, 236.
Jekutiel. 262, 362.
Jehuda Almangari. 190.

Jehuda fil. Benjamin. 488.
— ben Bileam. 121, 164.
— Chiug. 332.
— bar Elai. 354.
— Gaon. 99, 123.
— Hallevi fil. Samuel hallevi Hiſpanus. 190.
— ben Kardaniel. 190.
— ben Keriſch. 1, 2.
— Leo fil. Bezalael. 68.
— Leo Jehuda Mutinenſis. 145, 204, 241.
— Muſcatus. 190.
— fil. Moſis de domo Gedaliæ. 283.
— fil. Salom. Charizi. 329.
— bar Schmuel Abarbenel. 211.
— fil. Samuel Lirma Hiſpanus. 207.
— Sanctus. 104, 313.
